ANECDOTA
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

TOMUS PRIOR.

ANECDOTA,

QVÆ

EX AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ CODICIBVS

Nunc primùm eruit,

NOTIS, AC DISQVISITIONIBVS AVGET

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS,

IN EADEM BIBLIOTHECA AMBROSIANI COLLEGIJ DOCTOR.

TOMVS PRIOR

Quatuor S. PAVLINI Epiſcopi Nolani Poemata complectens.

MEDIOLANI,

Typis Ioſephi Pandulfi Malateſtæ. 1697.

Superiorum permiſſu; & Priuilegio.

ILL.MO AC REV.MO DOMINO,

GIBERTO BORROMÆO,

SAPIENTISSIMO, AC ERVDITISSIMO UIRO,
SVOQVE MECOENATI BENIGNISSIMO

LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS
vtramque felicitatem,

IAM diù dolebam, Ampliſſime Domine, me nullis adhuc tabulis, quanta tibi deberem, fuiſſe teſtatum; mihiq; videbar quodammodo ingratus iacere, qui priuatis tantùm, non publicis obſequijs beneficia tua excepiſſem. Illa enim quantò vberiora erant, tantò vehementiùs animum meum mordebant, & ad aliquam gratiæ profeſſionem impellebant. Itaq; felicitatem meam ſatis æſtimare nequeo, quum tantæ mihi demùm oblatæ ſint exuuiæ temporum edacitati præripiendæ, vndè aliquod perenne tributum antè oculos tuos iam ſiſtere poſſim. Viuet in poſterum beneficio (qua-

le-

lecumq; ſit) noſtro locupletior Paulinus, eiuſque ſtabunt opera, non modò vt eximium eruditionis pignus, ſed vt magnum etiam meæ erga te venerationis monumentum. Cui autem meliùs hæc ſunt placitura quam tibi, qui perpetuò in hoc vnum incumbis, vt vniuerſa eruditionis ſacræ ornamenta complectaris? Enimuerò quis ſingularem ingenij tui ſupellectilem non miretur? Nimirùm cuncta Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ arcana, Conciliorum ſanctiones, Hæreticorum ſophiſmata, veterumq; Patrum documenta memoriæ tuæ ità conciliare pergis, vt iam egregium Eccleſiæ propugnatorem ſpondere poſſimus. De vnâ tamen conqueror modeſtiâ tuâ, quæ nobis potiorem ſubtrahit eruditionis tuæ vſum, neque ſolum id agit, vt videaris, qui non ſis, ſed etiam vt ne, qui ſis, videaris. Poſſes agere magnum virum palàm, & mauis tacitus conſcientiæ tuæ teſtimonio frui, quam ſcribendo ambitionis periculum ſubire. Sed quænam eſt huiuſce virtutis ſeueritas, vt tibi vni ſcire, ac mundo, vt ità dicam, te ipſum inuidere velis? Interim non ſine gloriâ fatebor, quicquid ego profecerim, ad exemplum tuum, & ad beneficia tua totum eſſe referendum. Tu vnà cum Excellentiſſimo, & præſtantiſſimo fratre tuo Comite CAROLO, Ambroſianam Bibliothecam mihi reſeraſti, ac in tantum

ſtudia

ſtudia mea promouiſti, vt Reſpublica literaria puſillum hoc opus meum imperijs potiùs tuis, quam conſilijs meis ſit debitura. Itaq; excipe exiguam patrocinij tui meſſem, imò accipe rem tuam. Paulinum ab iniuriâ temporum vindicauit primus omnium magnanimus Cardinalis FEDERICVS inter maiores tuos fulgentiſſimum lumen, illumq; in celebri à ſe conditâ Bibliothecâ repoſuit alienæ adhuc indigum opis, & lucis beneficia poſcentem. Tantum igitur opus nunc ſuprà vires meas aggreſſus iam non donum tibi offero, ſed tributum ſoluo. Vtinam audaci conſilio ſuffragium tuum accedat; ſiquidem in hoc vno tota clauditur votorum meorum ſumma. Nimium erit, atque inuidendum præmium tanto viro, tantoque Mecœnati placuiſſe. Vale.

Mediolani Non. Iul. MDCXCVII.

NOn modò his in Anecdotis, quæ ex Ambroſianæ Bibliothecæ Codicibus eruit, notiſque, ac Diſquiſitionibus auxit Vir, in primis ſciens, Ludouicus Antonius Muratorius, in eâdem Bibliothecâ Ambroſiani Collegij Doctor, aliquid non inueni, aut Fidei Catholicæ, aut bonis moribus oppoſitum; ſed multa potiùs reperi, de quibus cum Auctore, cum Patriâ noſtrâ, cum pijs, literarumque cupidis hominibus maximoperè gratularer: cum Auctore, ob ſingularem eruditionem, laboremque valdè proficuum, quibus rapinam adeò ingentem Orbi Eccleſiaſtico à pluribus ſæculis factam, tantâ cum vſurâ pretioſâ vnus reſtituit; cum Patriâ noſtrâ, pro aduentu Sapientiſſimi terræ, Cælique Herois Sancti Paulini, per Diuum Ambroſium Mediolanenſi Clero, vt Sanctus idem Paulinus teſtatur, adſcripti; atque amicitiâ cum Diuo ipſo Ambroſio, nec non cum Diuo Auguſtino deuinctiſſimi; nouis in Poematibus, ingenioſâ, cultâque, & vberrimâ refertis facundiâ rediuiui; cum pijs autem, literarumque cupidis hominibus, quòd præſenti id habeant in Scriptione, quo pietatem, doctrinam, atque eloquentiam, mirum in modum, amplificent; Solida quippè, & florida in Sancti Nolani Epiſcopi, in Domini Muratorij Opere facilè cognoſcere poterunt, facilè delibare; atque gratiſſimam in dulcedinem, ad ſuam; amicorumque vtilitatem, amœnitatem conuertere. Pridiè Nonas Februarij; ex officio expoſui, Anno MDCLXXXXVII.

Ego D. Hieronymus Meazza Clericus Regularis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, pro Sanctiſſimâ Inquiſitione Cenſor librorum, &c.

IMPRIMATVR

F. Proſper de Leonibus Inquiſitor Generalis Mediolani, &c.

Bartholomæus Craſſus Canonicus Ordinarius pro Emin. D. D. Cardinali Archiepiſcopo.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

IN

IN S. PAVLINI NATALES NVNC EDITOS PROLEGOMENA.

TAndem apertum in diem quatuor PAULINI Epiſcopi Nolani Poemata perduxi , diù ab omnibus literarum cultoribus deſiderata , diù etiam deplorata . Hæc tanti viri monumenta hucuſque nobis inuidit ſæua temporum edacitas, quæ inter illuſtres rapinas hoc quoque magnum inuoluerat eloquentiæ pignus . Maximè dolendum profectò eſt tot veterum Patrum diuitias excidiſſe, quibus & Eccleſiaſtica Hiſtoria , & Fidei Catholicæ dogmata promoueri feliciter poſſent ; ſed in earum potiſſimùm iacturâ dolorem noſtrum exercere iuuat , quæ ab eloquentiſſimis, Sanctiſſimiſq; Patribus elaborata fuere, quorum ope æui noſtri Heterodoxos euertere , & meliorem ad frugem reuocare fas eſſet . Quantus autem fuerit PAULINUS noſter & Orator, & Poeta , & Sanctus , tum eius ſcripta , tum omnium illuſtrium Scriptorum documenta teſtantur . Eximiam illius Sanctitatem non attingam , vtpote quæ ſatis apertos laudatores inuenerit S. Ambroſium Ep. 30. ad Sabin. Sulpic. Seuerum in fine Dialog. Gregor. Turon. lib. de Glor. Confeſs. cap. 107. Greg. Magnum lib. 3. Dialog. alioſq; eius res geſtas proſequutos , ac etiamnum in Faſtis Eccleſiaſticis commendetur. Mirum ſanè videri debet, virum Senatoriâ dignitate, ac ipſo Conſulatu olim auctum, innumeris præſtantem opibus ſeculo ita renunciaſſe , vt vniuerſæ Chriſtianorum Reipublicæ Sanctitatis exemplum extiterit , quod inquit ad eum ſcribens Auguſtinus Ep. 34., & Ep. 39. ad Licentium . Eius in Oratoriâ arte excellentiam commendauit Hieronymus in Ep. 13. his verbis : *Si quaſi extrema manus operi tuo induceretur , nihil pulchrius , nihil doctius , nihil dulcius , nihilq; Latinius tuis haberemus voluminibus* . Tum addit: *Magnum habes ingenium, & infinitam ſermonis ſupellectilem, & facilè loqueris, & purè &c.* Reliqua mitto , vt eiuſdem in Poeſi præſtantiam magno viri magni teſtimonio oſtendam . Auſonius PAULINUM inter paucos charum habuit , totuſq; in eo ſemper fuit , vt illi dignitates compa-

rarentur, eiuſq; nomen famæ commendaretur. Itaq; ad eum ſcribens Ep. 20. hæc habet:

Et, quæ iamdudum tibi palma Poetica pollet,
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret:
Cedimus ingenio, quantum præcedimus æuo,
Aſſurgit Muſa noſtra Camœna tuæ.

Hinc diſce, quantum in Poeſi nominis PAULINO foret, cui Auſonius præclariſſimus alioqui vates aſſurgeret. Idem Auſonius ad PAULINUM Ep. 1. *Iam quid*, ait, *de eloquentiâ dicam? Liquidò adiurare poſſum nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ iuuentutis æquari*. Sed viri tanti numquam ſatis laudandi Panegyrim texere non lubet. Ad eius igitur librorum ſeriem explicandam me confero. Eiuſdem quinquaginta ad plures Epiſtolæ extant, tum Poemata varia, ac præcipuè X. Natales in honorem S. Felicis conditi. Hæc, & alia S. Epiſcopi Opuſcula typis ſæpè commiſſa fuere, ita tamen vt omnium venuſtiſſima habeatur Antuerpienſis editio Anni 1622., quippè quæ notis Frontonis Ducæi, & Heriberti Roſuueidi, ac PAULINI Vitâ per P. Sacchinum elaboratâ abundet. Pariſijs demùm Anno 1685. in duos Tomos digeſta prodiere PAULINI opera ad MSS. Codices recognita, notiſq; variorum illuſtrata ſtudio Ioannis Baptiſtæ le Brun, quæ ad manus meas, quod valdè dolui, deferri nondum potuerunt. Emiſerat etiam Petrus Franc. Chiffletius V. C. è Soc. Ieſu Anno 1662. librum, cui titulum fecerat *PAVLINVS illuſtratus*, eruditèque admodum res geſtas, libroſq; Sancti huius exornarat. Nemini tamen hucuſque ea Poemata intueri contigit, quæ ex Ambroſianæ Bibliothecæ latebris omnium primus in lucem produco. Teſtatur PAULINUS in Ep. ad Seuerum nonâ, ſe quotannis *Natalitium carmen* S. Felici pangere conſueuiſſe. Decem verò ex his Natalibus tantùm extare opinio erat, quum in publicum prolatus eſt Dungali, qui A. Ch. circiter 821. florebat, liber aduersùs Claudium Taurinenſem *de cultu Sacrarum Imaginum*, quem Ludouico Pio Imperatori, eiuſque filio Lothario inſcripſit. Plurima ibi citat vir diſertus ac pius S. PAULINI carmina, inter quæ nonnulla ex Natalibus XI. XIII. XIV. & XV. libata, quibus Sacrarum Imaginum, Reliquiarumq; cultus mirabiliter comprobatur. Vetuſtiſſimum huius Scriptoris exemplar & noſtra Bibliotheca ſeruat. Iſtius igitur monitu alios quoq; Natales PAULINUM procudiſſe innotuit. Sitim auxit fragmentorum pretium,

viſiſq;

viſisq; aliquot vndæ guttis continuò totus in votis fons fuit. Itaque dum vberrimam Manuſcriptorum Codicum ſeriem luſtro, quæ in Ambroſianâ aſſeruatur, incidit in manus meas antiquiſſimum volumen, in quo Venantij Fortunati, Proſperi, Iuuenci, Aratoris, aliorumque veterum Chriſtianorum carmina continebantur. Tres & decem S. PAULINI Natales ibi exaratos inueni, quos cum Dungali fragmentis collatos germanum protinùs tanti Scriptoris fœtum mihi, & orbi literario ſum gratulatus. Codex venerandam ſapit vetuſtatem. Characteres quadrati, ac minutiſsimi, miráq; venuſtate rectis lineis inter ſe diſtincti, ſeculo, vt arbitror, nono elaborati fuere. Quindecim porrò Natales PAULINUM ceciniſſe hucuſque creditum, quum expreſsè carmina Dungalus tum ex XIV. tum ex XV. citarit. Verùm Auctor ille, aut librarij in illo exſcribendo decepti fuere; quæ enim carmina ex Natali XIV. hauſta referuntur, omninò reijcienda in XIII. Codex noſter, & rerum ordo euincunt. Itaq; Natalis apud Dungalum XV. hinc inſcribendus erit decimus quartus, quem in membranis noſtris deſcriptum non fuiſſe vehementer dolemus. Noſtro præterea in Codice ſimul confunduntur primus, & alter Natales, ac idcircò reliqui numero vno ab editis diſcrepant, ita vt hîc ſeptimus dicatur, qui apud alios octauus numeratur, quo ordine reliqui procedunt; ſed amanuenſium incuriâ id factum; quum penitùs inter ſe diſtinguendi ſint primus, & ſecundus. Subſequitur in laudato Codice aliud PAULINI Poema abſque titulo, quod vti ſummâ refertum eruditione & ego produxi. Poſthæc S. Martini vita cum huiuſmodi inſcriptione exhibetur: *Incipit opus PAVLINI Petrecordie de Vitâ S. Martini Epiſcopi verſibus*. Vnde Bellarmini de Script. Eccl., Sirmondi ad Sidon. Apoll., Labbæi de Script. Eccl., aliorumq; ſententia confirmatur, qui horum carminum auctorem faciunt *PAVLINVM Petricorium*, ſeu *Petricordium*, qui 30. aut 40. annis ab obitu PAULINI noſtri florebat. Parùm accuratè ſcripſit Vghellus tom. 6. Ital. Sacr. illorum Scriptorem Poematum fuiſſe S. PAVLINUM iuniorem, Nolanum itidem Epiſcopum; hic enim circa A. Ch. ſaltem 520. Epiſcopatu illo eſt auctus, Petricordium verò, vt dixi, circa A. 460. ſcripſiſſe certiſſimum eſt. Ceterùm ſatis mirari nequeo, cur hoſce Natales partim neglexerint, partim ſummo ſtudio veteres protexerint. Beda, Notkerus, Ado, Marcellus presbyter antiquiſſimus, atq; ipſe Gregorius Turon., alijq; in Acta SS. die 14. Ianuar. relati, S. Felicis vitam, ac miracula illu-

b 2 ſtra-

ſtrarunt; neminem tamen ex ijs plures quam decem hucuſq; editos Natales vidiſſe apparet, quum ea tantùm miracula exhibeant, quæ in eis laudantur, alia etiam relaturi, ſi in promptu reliquos tres habuiſſent, aut quatuor. Vix vnus Dungalus inuentus, qui horum aliquam mentionem inijceret. Lubentiùs igitur ab eruditis laborem noſtrum exceptum iri ſperamus, quum theſaurum tam diù nobis ereptum, ac penè deſperatum tandem ſubduxerimus voracitati temporum. Hæc autem omnia notis eruditis, ac diſceptationibus pro viribus enucleanda cenſui, tum ne reliquis PAVLINI operibus, quæ eruditorum ſtudio hucuſq; ornata viſuntur, in aliquo cederent, tum vt Poeſeos merito aliquá per me ratione ſatisfieret. Vt enim ea omittam, quæ hinc aduersùs Nouatores, Reliquiarum, Sanctorumque cultum improbantes adferri poſſunt, certè nuſquam maiorem quam in hiſce tribus ſaltem Poematis, inuenias eruditionem. Hîc Ethnicorum ſuperſtitio, hîc Sanctorum Monumenta explicantur, reſque geſtæ PAULINI velut in vnum compendium coactæ illuſtrem Scriptoribus ſeriem eruditionis præbebunt. Quod ad annos ſpectat, quibus recitati fuerint huiuſmodi Natales, ſententiæ Chiffletij par. 2. c.9. Paulini ill. propoſitæ acquieſcendum puto, primum nempè ad A. Ch. 394. pertinere, quum nondum Nolam ſe contuliſſet PAVLINVS, alterum deindè in A. 395. cadere, quo Sanctus iam Nolæ redditus erat, tertium in A. 396. & ſic de reliquis, etenim quotannis Natalem cecinit PAVLINVS. Id autem ex Natali XIII. potiſſimùm probatur. Ibi præclariſſima de Gothis relata victoria, cæſusq; Rhadagaiſus memoratur, quæ A. 405. *Stilicone II., & Anthemio Coſs.* contigere, vti Proſper in Chronico teſtatur; ac propterea ſequentem Annum 406. reſpicit Natalis XIII. Si ergò reliquis elapſis annis Natalem ſuum affigas, primum comperies in Annum 394. incidere; ſimiliter vndecimum Anno 404., duodecimum Anno 405. eſſe tribuendos. Vnum tantummodò Lectores monitos velim, nimirùm conſultò hoſce verſus vnà cum amanuenſium erroribus à me fuiſſe deſcriptos; conqueri enim ſæpè ſolent doctiſſimi viri fidem Manuſcriptis non ſeruatam, germanaſque lectiones emendantium opinione, aut audaciá plerumque vitiari. Iccircò omnium ingenio quædam caſtiganda reliqui, nonnullis etiam inter notas manum appoſui. His animaduerſis in omnium commodum PAVLINI vitam ſummatim ſcriptam ſubijcio.

BRE-

BREVIS S. PAVLINI VITA.

SAnctus Pontius Meropius PAVLINVS in Aquitaniâ Burdigalæ, ſeu Hebromagi Ann. Ch. 353. in lucem prodijt. Præceptorem ſortitus Auſonium celeberrimum Poetam, ab illo ad Senatoris, Conſuliſque munera in Vrbe perductus eſt. Baptizatus An. 389. Presbyter ordinatus An. 393. Clero Mediolanenſi adſcriptus fuit. Anno ſequenti Nolam profectus, diſtracto in pauperes immani facultatum cumulo, Monaſticam amplexus eſt vitam. An. 409. in eius Vrbis Epiſcopum electus Anno demùm 431. è vitâ deceſſit. Sanctos Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, & Sulpicium, alioſque ſui æui præclariſſimos viros intimè coluit, maximi à cunctis factus. Multis egregiè ſcriptis, nobilitati eloquentiam iunxit, vtramque verò mirabili ſanctitate ſuperauit.

CONSILIVM AVCTORIS.

QVam vtilem operam nauarint ij, qui tempeſtate noſtrâ in hoc inſudarunt, vt ab iniuriâ temporum, hominumq; obliuione, veterum Patrum ſcripta vendicarent, nemo nunc ignorat, nemo etiam illos non laudat. Quâ in re Clariſſimi potiſſimùm viri Dacherius, Baluzius, Cotelerius, ac Mabillonius ita ſibi Eruditorum Rempublicam deuinxere, vt futuræ, æternæque famæ ſatis conſuluiſſe videantur; Non enim minoris eſt laudis vetera reſtituere, quàm noua proferre. Et ſanè, quum noſtri æui Scriptoribus longè antiqui Patres, tum eruditione, tum ſanctitate præſtent, quantò lubentiùs iſtorum, quàm illorum lucubrationes ſunt excipiendæ? Antiquitatis verò reſtitutores non priorum modò Auctorum gloriæ militant, verùm etiam ſuæ, quum ſecundi quodammodò parentes Operum reparatorum ſint iure cenſendi. Hæc igitur ea ſunt, quæ Clariſſimo quoq; viro Laurentio Zaccagnæ Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodi nunc ſuadent, vt ad euulganda veterum monumenta animum appellat; quod vt ille quamprimùm præſtet, mecum vota omnium conſpirare non deſinunt. Quapropter & ego, vt publicum literarum commodum pro virili promouerem, mentem ad nonnulla conuerti, quæ aut ex opulento Ambroſianæ Bibliothecæ penu, aut ex Aduerſarijs meis adſcita, publicâ luce donanda ſum arbitratus. Primum autem locum S. Paulini carminibus aperui; etenim quis meliùs quàm aliquis eximius Scriptor libri mei limen occupet, ſuſceptique laboris primordia ſacret? Reliqua ſubindè, ſi diuinus fauor ſcribenti annuat, expectent eruditi. Conſilium verò hoc meum tibi Summo Numini, tuæq; puriſſimæ Matri, vt placeat, obnixè rogo, demiſsèq; precor. Tibi ſcribo, Eccleſiæq; tuæ vtilitati ſtudeo; neq; enim homini in terris peregrinanti alia mens eſſe debet, quàm ad te tendere, quàm tibi tuæque gloriæ inſeruire, cui accepta omnia ſunt referenda. Itaq; Poemata iſta, quæ te auſpicante non nugis, & mendacijs, ſed incontaminatis referta ſenſis, Paulinus feliciſſimè compoſuit, quæ eruditis legenda nunc trado, ſicuti deliciæ, gaudiumq; mei cordis fuere, ita ſint faces; ductu quarum te vnicum nocte exquirens inuenire poſſim, & in te, qui omnia regis, qui ſolus es ſapiens, Doctrinæ veritas, ſummè bonus, & ſummum bonum, & omnia in omnibus, Deus meus, requieſcere. Sic animus, quem tu nunc moues, benignoque afflatu ad literarum ſtudia concitas, erroris immunis te dulcem ſentiat ſciendi Auctorem, ſublatiſque demùm vinculis te liber in patriâ complectatur.

IN-

INDEX
DISSERTATIONVM
Ad S. PAVLINI Poemata.

Diſſert. I. *De Turcio Aproniano.* pag. 141
Diſſ. II. *De Aſterio Turcij Aproniani filio.* 143
Diſſ. III. *De Auitâ, ac Eunomiâ.* 144
Diſſ. IV. *De Albinâ.* 145
Diſſ. V. *De Theraſiâ.* 148
Diſſ. VI. *De Piniano.* 149
Diſſ. VII. *De Melaniâ.* 152
Diſſ. VIII. *De Æmilio Beneuentano Epiſcopo.* 153
Diſſ. IX. *De S. Paulini dignitatibus.* 157
Diſſ. X. *S. Paulinus Campaniæ Conſularis.* 160
Diſſ. XI. *De reliquis S. Paulini rebus geſtis.* 162
Diſſ. XII. *De tempore ſuſcepti à Paulino Epiſcopat* 164
Diſſ. XIII. *De ædificijs Nolæ à Paulino conditis.* 167
Diſſ. XIV. *De S. Felice Nolano.* 169
Diſſ. XV. *De Anno, quo SS. Protaſij ac Geruaſij corpora per S. Ambroſium fuere inuenta.* 171
Diſſ. XVI. *De Templorum apud veteres Chriſtianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum vſu.* 178
Diſſ. XVII. *De veterum Chriſtianorum ſepulcris.* 185
Diſſ. XVIII. *De votis, votiuiſque Chriſtianorum oblationibus in Sanctorum venerationem factis.* 190
Diſſ. XIX. *De Sanctorum Martyrum Natalibus.* 195
Diſſ. XX. *De S. Paulini ſententiâ in Elementorum numero aſſignando.* 204
Diſſ. XXI. *De Cruce Nolanâ.* 219
Diſſ. XXII. *Spicilegium ex operibus S. Paulini deperditis.* 212
Appendix *De antiquo iure Metropolitæ Mediolanenſis in Epiſcopum Ticinenſem.* 221

Eic

Εἰς τὰ τοῦ Παυλίνου Ἀνέκδοτα
παρὰ τοῦ Λοδοΐκου Μουρατορίου
σαφῶς ἐξενεχθέντα.

Τετράστιχον.

Παυλίνου κάλλιστα χρόνος ποιήματα κρύψε·
Εἰς φῶς ταῦτ' ἀνάγεις νῦν Λοδοΐκε κλυτόν,
Οὔποτε τοῖς δοκίμοις χάρις οἴχεται. πότνια μοῦσα
Μὶν ποιοῦντι φαινὴν φέγγος ἔνεικε μέγα.

IN ANECDOTA S. PAVLINI POEMATA
A LVDOVICO ANTONIO MVRATORIO
B. A. D.
nunc primùm vulgata.

T E T R A S T I C H O N
è Græco conuerſum.

Carmina PAVLINI, quæ nocte obduxerat ætas;
Edis in illuſtrem nunc Ludouice diem.
Iuſta quidem merito reſpondet gratia; magnum
Attulit ornanti carmina muſa decus.

Michaelis Maddij.

DOCTORIS LVDOVICI ANTONII MVRATORII
LINEAMENTA.
GENETHLIACI COLORES.

LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS.
Pictura textilis.
VIR NAVVS, VIR DOCTVS, VTI SALOMON.
Textum in Pergulâ.

Qui cupis Auctorem Libri cognoſcere, ſpecta:
Eſt VIR NAVVS, VIR DOCTVS, VTI SALOMON.

Ità natiuis coloribus texebat
Petrus Hercules de Bellois
I. V. D. Bononienſis.

SAN-

SANCTI PAVLINI EPISCOPI NOLANI
NATALIS VNDECIMVS.

Sidera ſi cælo poſſunt, ſi gramina terris
Deeſſe, mella fauis, aqua fontibus, vberibus lac,
Sic poterunt linguis laudes ceſſare piorum,
In quibus & vita, & virtus, & gloria mortis

Ipſe

NOTÆ.

V. 1. *Sidera ſi Cælo*. Priora hæc carmina retulit etiam Dungalus Diaconus, qui ſeculo Chriſti nono Librum *de cultu Imaginum* ad verſus Claudium Taurinenſem ſcripſit, eumque Ludouico, & Lothario Auguſtis nuncupauit. Hæc einſdem præclariſſima verba omninò ſunt oculis omnium ſubijcienda: *Paulinus*, ait, *Epiſcopus vir eruditiſſimus, & Sanctiſſimus, ſicut & multi de eo teſtati ſunt, nobilem librum XV. carminibus diſtinctum in honore, & laude S. Felicis Martyris edidit, in quo quanta miracula, & virtutes per ipſius merita, & interceſſiones Diuinâ largiente clementiâ ad ſuum fieri cotidiè tumulum, & maximè die Natali eius anniuerſario diſſernit, non facilè à quoquam excerpi, aut deflorari poteſt; quia cuncta flores, aromata, roſæ, lilia ſuaueolentia, ac melliflua ſunt.* Animaduerti tamen ſupra in Prolegom. deceptum Dungalum, qui XV. à Paulino elucubratos Natales aſſeruit, quum reuera XIV. tantum cecinerit; ipſe enim Dungalus vnum ex eis in duos inconſideratè diuiſit.

V. 4. *In quibus & vita*. In fragmentis ex hoc Natali relatis Dungalus legit: *In quibus & vita virtus, & gloria mortis*. Neque diſplicet huiuſmodi lectio.

Ipſe Deus, pro quo vitam voluere paciſci,
Et moriendo piam ſancire fidem populorum,
Mercariq; ſacrum pretioſo ſanguine Regnum;
Sanguine, quo totum ſpargentes Martyres orbem
Gentibus innumeris ſemen cæleſte fuere.
Horum pro numero Procerum Confeſſor in iſtâ
Vrbe datus Felix longè latèq; per orbem
Nominis emicuit titulo. Sed Nola ſepulti
Facta Domus tamquam proprio ſibi ſidere plaudit:
Omnis enim, quacumq; iacet mandatus in orâ,
Martyr, ſtella locis ſimul, & medicina, colentum eſt.
Namq; tenebroſum veteri caligine Mundum,
Languenteſq; animas miſeratus in orbe Creator
Sic ſacra diſpoſuit terris monumenta piorum,
Sparſit vt aſtrorum nocturno lumina Cælo.
Et licet vna fides, par gratia, & æmula virtus
Martyribus cunctis maneat, tamen omnibus iiſdem
Diſſimiles operum formas extare videmus,
Atq; alibi tacitis meritum ſublime ſepulchris
Excolimus memores; alibi clamantia ſigna
Conſpicuas miramur opes. Vbi credo mali plus
Durior impietas retinet, maiorem ibi morbus
Poſcit opem grauior, vel adhuc vbi cæcior altam
Perfidiæ noctem trahit error, & ægra laborat
In populo titubante fides, ibi lumina prorſus
Accendi maiora decet, mundiq; tenebras
Inluſtrante Deo perimi, menteſq; retuſis
Adtonitas oculis, trepidaſq; intendere ad ipſos
Diuini veri radios, caligine tetrâ
Soluere, collyrioq; medentes inungere Chriſti.
Quod per Apoſtolicas curandis ſenſibus artes

Cote

V. 11. *Longè, latèque per orbem*. Tanta fuit per orbem S. Felicis fama, vt ex quauis terrarum parte Nolam populi venerabundi confluerent. Miracula immania Sanctum quotidiè commendabant, ipſaque Roma, tot licet Sanctorum cætu ſublimis, tota penè ſuis è ſedibus ſoluebatur, vt glorioſi Confeſſoris ſepulchrum inuiſeret. Hoc ſæpè repetit Paulinus, ac potiſſimum Natali II. S. Damaſus Papa Sancto huic ſe quondam voto obſtrinxerat, cuius rei teſtem Epigramma reliquit noſtra quoque ad tem-

pora

Cote piâ teritur, quia lene iugum, & leue Chriſti
Eſt onus ad Chriſtum puro iam lumine verſis,
Atq; Euangelico ſuffuſis pectora ſucco,
Quo benè purgantur nebulæ, quibus interiorem
Obducunt aciem mundi fallentis amores,
Qui magnum per inane vagos ſine remige ſenſus
Circumagunt, hebetantq; graui caligine captos
Mollibus inlecebris, vt frangant robora vitæ,
Sectenturq; cauas per gaudia lubrica pompas.
Hos igitur nobis cupiens auertere morbos
Omnimedens Dominus Sanctos mortalibus ægris
Per varias gentes medicos pietate ſalubri
Edidit, vtq; ſuam Diuina potentia curam
Clarius exereret, potioribus intulit illos,
Vrbibus, & quoſdam licet oppida parua retentent,
Martyres, ad proceres Deus ipſos mænibus amplis
Intulit, & paucas functos diuiſit in oras,
Quos tamen antè obitum toto dedit Orbe Magiſtros:
Inde Petrum, & Paulum, Romanâ fixit in Vrbe,

Prin-

pora reſeruatum. Videnda ſuper his Acta SS. tom. 1. die 14. Ianuar.

V. 36. *Quia lene iugum*. Sunt ipſiuſmet Saluatoris verba apud S. Matthæum cap. 11. homines ad ſe dulciter trahentis. *Iugum enim meum*, inquit, *ſuaue eſt, & onus meum leue*.

V. 44. *Sectenturque cauas*. Ideſt inanes. Virgil. 6. Æneid.

Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cauâ ſub imagine formæ,
Irruat, & fruſtrà ferro diuerberet vmbras.

Et alibi.

Nox atra cauâ circumuolat vmbrâ.

V. 45. *Hos igitur nobis*. Theophridus Abbas in Serm. 1. de SS. Reliqu. *Has*, ait, *ſingulis Prouinciarum, & Ciuitatum populis dedit in ſolatium, vt dum importunis vrgentur incurſibus hoſtium viſibilium, & inuiſibilium, per harum defenſentur meritum*: Infra: *Sic & Deus noſter videns hoſtium multitudinem per totum volitare aerem, & pugnam aduerſus adoptionis ſuæ filios ſtruere multiplicem, humanæ miſeriæ miſericorditer conſulit, & multiplicatis ſuper arenam patrociniis Ciuitatem ſuam, ideſt Eccleſiam cuſtodit, & protegit*.

V. 51. *Ad proceres*. ſcriberem *At proceres*.

V. 54. *Inde Petrum, & Paulum*. S. Leo in Serm. de Nat. Apoſt. Petri, & Pauli, appoſitè ad hanc rem: *Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolo-*

rum.

Principibus quoniam medicis caput Orbis egebat
Multis inſanum vitijs, cæcumq; tenebris.
Sed potiore Deo noſtram reparare ſalutem,
Quam Satanâ captos etiam nunc fraude tenere;
Rareſcunt tenebræ mundi, & iam penè per omnes
Præualuit pietas, & mortem vita ſubegit.
Crebreſcente Fide victus dilabitur error,
Et propè iam nullis ſceleri, mortiq; relictis;
Tota pio Chriſti cenſetur nomine Roma
Inridens figmenta Numæ, vel fata Sibyllæ;
Cumq; ſacris pia turba ferat Paſtoribus Amen;

Per

rum ad arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Vide reliqua.

V. 63. *Tota pio Chriſti.* Haud ita ſtrictè ſumenda Paulini verba, Vt Romæ tum nullos ſuperfuiſſe Paganos credamus; ſiquidem non vno cecidit ictu Superſtitionis imperium, ſed temporis beneficio id obtentum, quod ſtatim à Conſtantino ſacra Fidei documenta, Principumque exempla, euincere haudquaquam potuerant. Certè ex Paganorum grege Conſules, Senatores, alijque Magiſtratus aſſumpti penè ad hæc vſque tempora, hoc eſt ad Annum Ch. 404. Quin & ipſe Paulinus nondum profanâ Religione expeditus Conſul proceſſerat. Emiſſæ verò per hæc eadem tempora plures à pijſſimis Imperatoribus Leges, queis Ethniciſmus confodiebatur, ſatis innuunt nondum illi, vt Taciti verbis vtar, magnum diem impoſitum fuiſſe. Videndus hac de re Codex Theod. tit. de Paganis &c. Quin imò & Anno 410., ſex videlicet ab hinc Annis, Roma Barbarorum irruptione ſub Alarico euerſa S. Auguſtino ſcribendi præclariſſimos de Ciu. Dei libros cauſam præbuit, vt à Paganorum contumelijs Chriſti Fidem tueretur. Inquit autem Magnus Doctor lib. 1. cap. 1. *An non etiam illi Romani Chriſti nomini infenſi ſunt, quibus propter Chriſtum Barbari pepercerunt? Teſtantur hoc Martyrum loca, & Baſilicæ Apoſtolorum, quæ in ipsâ vaſtatione Vrbis ad ſe confugientes ſuos, alienoſque* (videlicet Paganos Romæ degentes) *receperunt.*

V. 65. *Cumque ſacris pia.* Id moris in Eccleſiâ primitiuâ inualuit, vt poſt ſacras Antiſtitis preces populus concordi voce reſponderet *Amen*. Egregius in hanc rem eſt S. Iuſtini Martyris locus in Apol. pro Chriſtianis ſecundâ, quæ reuera prior dicenda eſt: οὗ συντελέσαντος, inquit is, τὰς εὐχὰς, καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρῶν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων ἀμήν. *Vbi ille,* (idest Epiſcopus) *preces, & Eucbariſtiam abſoluit, totus qui adeſt populus fauſtâ approbatione acclamat dicens Amen.* Quod etiam antiquiſſimus Doctor infra repetit. Tertullianus lib. de Spe-

ctac.

Per numeroſa Dei regnantis Ouilia lætum
Laudibus æterni Domini ferit æthera clamor
Sanctus; & incuſſo Capitolia culmine nutant,
In vacuis ſimulachra tremunt ſquallentia Templis,
Vocibus icta pijs, impulſaq; nomine Chriſti,
Diffugiunt trepidi deſertas Dæmones ædes,
Liuidus incaſſum Serpens fremit ore cruento
Lugens humanam ieiunâ fauce ſalutem,
Seq; ſimul pecudum quem ſanguine defraudatum
Prædo gemens fruſtrà ſiccas circumuolat aras.
Sic Devs & reliquis tribuens pia munera terris.
Sparſit vbique loci magnas ſua membra per vrbes.
Sic dedit Andream Patris, Epheſoq; Iohannem,

Vt

ctac. cap. XXV. ad Chriſtianum ait: *Eo ore, quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori teſtimonium vis reddere?* Ipſe Paulinus in precatione Matut. de Deo loquens:

——Quem celebrant modulato carmine plebes,
Et reſponſuris ferit aera vocibus Amen.

Conſule præter hæc Bonam Rer. Liturg. lib. 2. cap. 5.

V. 68. *Capitolia culmine*. Legendum profectò *fulmine*, hoc eſt piarum vocum fragore.

V. 69. *In vacuis ſimulacra*. Eadem fermè verba exhibet S. Hier. in Præf. ad 2. Lib. Comment. in Ep. ad Galat. *Romanæ*, inquit, *plebis laudatur fides. Vbi alibi tanto ſtudio, & frequentiâ ad Eccleſias, & ad Martyrum ſepulchra concurritur? Vbi ſic ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboat, & vacua Idolorum templa quatiuntur?*

V. 74. *Quem ſanguine*. Superfluit in ſenſu particula *quem*. Ego legerem: *Iam ſanguine defraudatum*.

V. 78. *Sic dedit Andream*. Patræ Vrbs Achaiæ. Ibi conſummaſſe Martyrium Andreas dicitur etiam in eius Actis apud Sur. tom. 6. Hieronymus in Ep. 148. ad Marcellam: *In omnibus locis verſabatur* (Ieſus) *cum Thomâ in Indiâ, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Cretâ, cum Andreâ in Achaiâ*. Vide Bar. in Martyr. Rom., & Florentin. in Martyr. Hieron.

V. 78. *Epheſoque Iohannem*. Epheſi occubuiſſe Iohannem mille monumenta teſtantur. Euſeb. Cæſ. Lib. 3. cap. 35. Hiſt. Eccl. Polycratis Epheſini Epiſcopi Epiſtolam refert, in quâ idem aſſeritur. Vide Baron. in Martyr. ad diem 27. Decembr. Hinc celebris Epheſina Eccleſia, & inter Apoſtolicas relata Primatem, ſeu Exarchum nulli ſubditum Patriarchæ quondam iactauit. Tertull. cap. 36. Præſcript. *Proximè*, inquit, *eſt tibi Achaia? habes Corynthum. Si non longè es à Macedoniâ, habes Philip-*

pos,

Vt ſimul Europam, atq; Aſiam curaret in illis,
Diſcuteretq; graues per lumina tanta tenebras.
Parthia Matthæum complectitur, India Thomam,

Leb-

pos, habes Teſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Venantium Fortunatum his iuuat addere canentem lib. 8. carm. 4.

Nobilis Andream mittit Achaia ſuum.
Præcipuum meritis Epheſus veneranda Iohannem
Dirigit——

V. 81. *Parthia Matthæum.* M. Antonius Columna in libello de Vitâ, & geſtis S. Matthæi: *Illud*, ait, *certè inter Hiſtoricos conuenit in Regiâ Ethiopiæ Ciuitate B. Apoſtolum Martyrio coronatum, ibique diu ſacrum manſiſſe corpus.* Pro Martyrij loco adſentiri aliquantulum poſſem, ſiquidem Metaphraſtes eidem adſtipulatur, vnàque cum eo Venantius Fortun. lib. 5. carm. 1. vbi ait.

Mattheus Æthiopes attemperat ore vapores,
Viuaque in exuſto flumina fudit agro.

Verùm de Sepulturæ loco Columna decipitur. Quî enim Paulinus noſter Parthiam Matthæi ſepulchrum complecti dixiſſet, ſi in Æthiopiâ illud conditum fuiſſet? Parthi, Æthiopeſque nimium diuerſi, vt eorum nomina confundantur. Sed audiamus iterum Venantium lib. 8. carm. 4.

Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Naddauer alta virum.

Idem etiam innuit carm. ſequ.

Quos Patra, quos Epheſus, Naddauer arce tenet.

Vt igitur concilientur viri tanti, Vrbem Naddauerem in Parthiâ poſitam arbitrarer, quô S. Matthæi oſſa poſt mortem fuerint tranſlata. Cur enim hîc audiatur Abdias omnium iudicio ſcriptor apocryphus, qui hanc Vrbem Æthiopicâ in regione ſtatuit? Si huiuſmodi auctoritatibus agendum, Dorotheum & ego reponerem pſeudographum & ipſum Auctorem, qui in libello de XII. Apoſtolis Matthæum aſſerit *Hierapoli Parthiæ* defunctum, ſeu *Hierapoli Syriæ*, vt prodit in fragmento quodam. Gulielmus Caue lib. de Script. Eccl. Sed apertè Paulino meo ſubſcribunt Anonymus apud Oecumenium dicens: *Matthæus Euangeliſta Euangelium Hebraicâ linguâ conſcriptum tradidit. Obdormiuit autem in Hierâ Ciuitate Parthiæ, & ibi ſepelitur.* Hippolytus in Indiculo XII. Apoſt. ſcribit: *Matthæus obdormiuit Hiereæ Parthorum Ciuitate.* Freculphus tom. 2. lib. 2. cap. 46. Matthæi ſepulchrum ita ſignat: *Primum euangelizauit in Iudæâ, poſtmodum in Macedoniâ prædicauit, requieſcit in Montibus Parthorum.* C. V. Bollandus ad diem 24. Febr. ex Codice à mille annis exarato notitiam refert de locis SS. Apoſtol., ibiq; dicitur: *Natalis S. Matthæi Apoſtoli, qui paſſus eſt in Perſida.* Martyr. Hieronym. à Florentinio editum hæc habet: *In Perſida Natalis S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.*

Lebbæum Lybies, Phryges accepere Philippum;
Creta Titum ſumpſit, medicum Boethia Lucam;
Marcus Alexandria tibi datus, vt boue pulſo

85 Cum

liſtæ. Alius item Indiculus vetuſtiſſimus apud Florent. pag. 159. *in Perſida* paſſum teſtatur Matthæum. Parthia certè Perſidi adiacebat, imò, vt Plin. lib. 6. cap. 25. ait: *Perſis in Parthorum iampridem translata eſt nomen*. Et Perſidem Parthia complectebatur, vt etiam erudit. & C. V. Baudrandus amicus meus in Lexico Geograph. monuit. Vnde opinioni meæ aliud ſuffragium accedit, dum in Parthiâ ſepultum Matthæum vnà cum Paulino affirmo. Patet etiam in Parthis prædicaſſe S. Apoſtolum, vt par ſit credere relictos ibi diſcipulos eidem è viuis ſublato, eiuſque oſſibus in Vrbem Naddauerem reportatis parentare potuiſſe.

V. 81. *India Thomam*. Obijſſe hunc Apoſtolum ibidem præter alios Auctores teſtatur S. Hieron. de ſcript. Eccleſ., qui & Vrbem Calaminam locum Martyrij aſſignat. Eius corpus Edeſſam deindè translatum, vti videre eſt apud Baron. in Martyr. ad diem 3. Iulij. Laudata à Bollando notitia hoc etiam aſſerit: *Natalis S. Thomæ Apoſtoli in Indiâ, & translatio corporis eius in Edeſsâ*.

V. 82. *Lebbæum Lybies*. Lebbæus idem eſt ac Thaddæus, qui alio etiam nomine Iudas nuncupatur. S. Hieron. in Cap. X. Matth. *Thaddæum Apoſtolum Eccleſiaſtica tradit Hiſtoria miſſum Edeſſam ad Abagarum Regem Choſidenæ* (Oſrhoenæ legendum potius) *qui ab Euangeliſtâ Lucâ Iudas Iacobi dicitur, & alibi appellatur Lebæus, quod interpretatur corculum, credendumque eſt eum fuiſſe trinomium*. At à Paulino diſſident reliqui Scriptores in conſtituendo loco, vbi ſacrum illius corpus ſeruetur. Venant. Fortun. carm. 4. lib. 8.

Hinc Simonem, & Iudam lumen Perſida gemellum
Læta relaxato mittit ad aſtra ſinu.

Dorotheus Tyrius in lib. de XII. Apoſt. *Iudas Iacobi, qui & Thaddæus, & eſt Lebbæus Edeſſenis, & vniuerſæ Meſopotamiæ Euangelium Domini prædicauit. Sub Augaro Edeſſenorum Rege in Beryto Occiſus, & cum honore ſepultus*. Florentin. in not. ad Martyr. Hieron. quædam producit Martyrologia antiquiſſima, quibus *in Perſide*, aut *in Suanis Ciuitate Perſarum* Occiſus Thaddæus dicitur. Ego cenſerem hos de mortis loco intelligendos, Paulinum verò de ſepulchri loco.

V. 82. *Phryges accepere*. Hierapoli in Vrbe Phrygiæ ſepultum Philippum diſcimus etiam à Venantio Fortun.

Læta ſuis votis Hierapolis alma Philippum
Producens —

Cui adde Hieron. de Script. Eccleſ. *Philippus Apoſtolus in Phrygiâ prædicat Euangelium Domini Ieſu. Sepelitur Hierapoli cum filiabus honorificè*. Vide Baron. in Martyr. ad diem 1. Maij.

V. 85.

Cum Ioue, nec pecudes Ægyptus in Apide demens;

In

V. 83. *Creta Titum ſumpſit*. Epiſcopum Cretæ fuiſſe Titum, ibique etiam ſepulturam nactum docet Hieronymus, ceterique Scriptores, ac Menologia, vt eandem recoquere crambem nihil ſit opus.

V. 83. ***Medicum Boethia Lucam***. Hactenus deprauatam lectionem è Dungalo hauſeramus, quum ità in eius Codicibus, ac præſertim in antiquiſſimo Bibliothecæ noſtræ legatur:

Creta Titum ſibi ſumpſit, & Antiochia, & Oſtia Lucam.

Roſuueidus in notis ad hunc locum ità ait: ***Mirum à Paulino aſſeri Lucæ reliquias ſeruari Antiochiæ, & Oſtiæ, quum Martyrologium Romanum IX. Maij dicat eius reliquias translatas ex Achaiâ Conſtantinopolim. Niſi tantum velit Antiochiam, & Oſtiam Lucam Euangelij proſeminatorem habuiſſe egregium, fors & reliquias aliquas eius aliundè expetierint***. Verum vulneris huius ſanitatem Codici noſtro debemus. Reuera in Boethiâ, ſeu Achaiâ ſepultus eſt Lucas. Gaudentius Brix. in ſerm. habito in Dedic. Eccleſ. *Iohannem in Sebaſte Prouinciæ Paleſtinæ, Thomam apud Indos, Andream, & Lucam apud Patras Achaiæ Ciuitatem tumulatos refert*. Lucæ dein reliquias vnà cum Andreæ Apoſtoli Oſſibus Conſtantinopolim de Achaiâ translatas meminit Hier. de ſcript. Eccleſ. Quibus alia documenta addi poſſunt. Hinc pſeudo Dorotheum arguas, dum Epheſi mortuum, ac ſepultum Lucam ſomniat. Ceterum Medici titulus Lucæ à Paulino alibi aptatur, nempè Natal. 9.

Hic Medicus Lucas prius arte, deindè loquelâ
Bis Medicus Lucas ——

V. 84. *Marcus Alexandria*. Alexandrinam Eccleſiam Marcus à S. Petro illuc miſſus fundauit, eamque ſuo etiam ſanguine, tumuloque beauit. Id à Hieronymo docemur, omnibuſque Martyrologijs.

V. 84. *Vt boue pulſo*. Apud Ægyptios celebris quondam fuit cultus Apidis, quem bouis ſpecie figurabant. Huic quotannis longa cæremoniarum series impendebatur. Solin. cap. 32. ***Inter omnia, quæ Ægyptus habet digna memoratu, præcipuè bouem mirantur. Apim vocant. Hunc ad inſtar colunt numinis, inſignem notæ albæ maculâ, quæ dextero eius lateri ingenita corniculantis Lunæ refert faciem &c.*** Hiſtoriam de hiſce Ægypti ſuperſtitionibus texere poſſem; præſtat tamen Lectorem ad ea dimittere, quæ congeſſerunt Voſſius in Libris de Theolog. Gentil., Salmaſ. in Exercit. Plin. ad Solini locum ſupra relatum, Diodor. Sic. lib. 1., Clem. de Præp. Euang. cap. 11., Herodot. &c. Ego quoque ad quartum Paulini Poema plura notabo.

V. 85. *Cum Ioue*. Illato per Titum in Cretenſem vrbem Euangelio, inde pulſus eſt Iupiter. Quod ſi ad Ægyptios huius mentionem referas, ille eſt Iupiter Ammon, quem ſummâ illi veneratione proſequebantur. Plutarch. de Iſid. & Oſir. Ammonem ait eſſe *ἴδιον παρ' Ἀιγυπτίοις ὄνομα τῦ Διός*, ***proprium*** nempè ***apud Ægyptios Iouis nomen***. Herodot. in

Euterp.

In Ioue nec ciuem coleret malè Creta ſepultum;
Nec Phryges exſectis agerent Cybeleia Gallis
Impuram fædo ſolantes vulnere Matrem;
Et tandem caſtis fronderet montibus Ida

90. Inta-

Euterp. *Ἀμμοῦν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Ammonem enim Ægyptij appellant Iouem.*

V. 86. *In Ione nec coleret*. Iouem Cretæ Regem fuiſſe, ibique ſepulturæ datum, atque ad diuinitatis faſtigium ab infelici Ethnicorum errore perductum ipſi fatentur Gentiles, inter quos Lucianus in lib. de Sacrific. ita ait: *οἱ δ' αὖ Κρῆτες οὐ γενέσθαι παρ' αὐτοῖς, οὐδὲ τραφῆναι μόνον τὸν Δία λέγουσι, ἀλλὰ καὶ τάφον αὐτοῦ δεικνύουσι. Rurſus autem Cretenſes Iouem affirmant non modò vixiſſe apud ſeſe, nutritumque fuiſſe, verùm etiam ſepulcrum illius oſtendunt*. Idem aſſeruit Callimachus in Hymno ad Iouem duobus his verſibus:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτε ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες: ἐσσὶ γὰρ ἀεί.
Mendaces ſemper Cretenſes, namque ſepulcrum
Conſtruxere tuum, o Rex; non es morte peremptus
Ipſe, ſed es ſemper——

Vide Clement. Alex. in Orat. Hortatoriâ ad Græcos, Demetrium Sceptium apud Scholiaſt. Apollon. lib. 3. & reliquos Mythologos.

V. 87. *Nec Phryges exſectis*. Cybeleia Cybeles, ſeu Berecynthiæ magnæ Deorum matris dies Feſti erant. Huius Deæ Sacerdotes *Galli* nuncupati virilibus carere in Atidis memoriam cogebantur. Paulinus noſter in Poem. 4. ita ait:

Hic habet & matrem captam paſtoris amore,
Sed melior Paſtor, caſtum ſeruare pudorem
Qui voluit, ſpreuitque Deam, cui ſæua viriles
Abſcidit partes &c.
Nunc quoque ſemiuiri myſteria turpia plangunt &c.

De Gallis etiam meminit Lucanus lib. 1.

——crinemque rotantes.
Sanguineum populis cecinerunt triſtia Galli.

Herodian. lib. 1. *Inde Phryges olim Orgia colebant ad ipſum fluuium Gallum, à quo etiam Sacerdotes Cybeles cognominantur*. Vide Panuin. lib. 2. Deſcript. Ciu. Rom., & ea, quæ ad quartum Poema retuli. Plura etiam de Gallis, & Archigallis dixi ad Inſcriptionem quandam Iuliani I. C., quam in marmorum collectione nouâ propediem ſum editurus.

V. 89. *Et tandem caſtis*. Cybele potiſſimum in Idâ monte colebatur apud Phryges, quia ibi nefandos Atidis amores exercuerat. Hinc Virgil. lib. 10. Æneid. *Alma parens Idæa Deûm——*

A *Cybelo* etiam Phrygiæ monte putatur Cybele nomen traxiſſe.

V. 90.

Intactas referens ſecuro vertice pinus;
Vana nec vlterius multos iam Græcia Delphos
Conſuleret, ſpernenſq; ſuum calcaret Olympum
Altius in Sion gradiens, vbi collis alumni
Lene iugum celſo faſtigat vertice Chriſtus.
Fugit & ex Epheſo trudente Diana Iohanne

Ger-

V. 90. *Intactas referens*. *Pinus in tutelâ Matris Deûm eſt*, inquit Seruius ad lib. 9. Virgil. vbi hæc leguntur Cybeles Iouem alloquentis verba:

Pinea ſylua mihi varios dilecta per annos
Lucus in arce fuit ſummâ ——

Arnobius etiam lib. 5. contra Gent. *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deûm Matris intermittitis Sacrario?* Et eod. Lib. ad finem: *Pinus illa ſolemniter, quæ in Matris infertur Sacrum Deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub quâ ſibi Atys virum demeſſis genitalibus abſtulit? Et quam memorant Diuam in ſolatium ſui conſecrauiſſe mæroris?* Multa ſuper his videas apud V. C., mihique ſupra omnes chariſſimum Benedictum Bacchinum in ſingulari diſſert. de Siſtris.

V. 91. *Vana nec vlterius*. Vnos adhuc nouimus Delphos Apollinis oraculo celebres. Quid eſt igitur, quod multi hîc memorantur? Poeticè loquutus hoc in loco mihi videtur Paulinus, vt pro Delphis oracula, aut templa Phœbo præcipuè dicata intelligat. Eſt hoc Poetarum. Scimus etiam Apollini Pythio plura delubra fuiſſe ſacrata, Delphoſque antiquitus Pythum apellatos. Pauſan. in Phociciſ. Κρόνῳ δὲ, ait, ὕστερον, καὶ Πυθὼ τὴν πόλιν, οὐ Δέλφους μόνον ἐκάλεσαν οἱ περιοικοῦντες. *Sequenti verò tempore vrbem Delphos non ſolùm, ſed etiam Pytho incolæ nuncuparunt*. Quarè pro Delphis multa Apollinis Pythij templa hîc intelligenda non ineptè venirent. Dæmonem Delphicum obmutuiſſe nato Chriſto ferunt Oroſius lib. 1. Cedrenus, & Niceph. Calliſt. lib. 1. cap. 17. De ſilentij causâ rogatum reſpondiſſe aiunt:

Me puer Hebreus Diuos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub Orcum &c.

Hinc arbitrarer in textu latere mendum, ac propterea pro *multos* reponerem *mutos*.

V. 94. *Faſtigat*. hoc eſt: *acuit*. Silius lib. 5.

——*mediamque per aluum*
Senſim faſtigans compreſſa cacumina nectit.

Et apud Cæſarem in Comment. *faſtigatus leuiter collis* legitur.

V. 95. *Fugit & ex Epheſo*. Plin. lib. 36. cap. 14. *Magnificentiæ veræ admiratio extat templum Dianæ Epheſiæ*. Cenſebatur autem hoc templum inter ſeptem mundi miracula. Paulus Apoſtolus, vt habetur in Actis Apoſt. cap. 19., delatus Epheſum hæc ait: *Magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & deſtrui incipiet maieſtas eius, quem tota Aſia,*

& Or-

Germanum comitata ſuum, quem nomine Chriſti
Imperitans Paulus pulſo Pythone fugauit.
Fugit & Ægypto Satanas ſub mille figuris.
Nomina mille ſibi varijs adcommoda monſtris
Sumpſerat, vt Serapis Sanctum formaret Ioſeph,

Nomi-

& Orbis colit. Illuc demum S. Iohannes venit, ac Dianæ ſilentium impoſuit. Prochorus licet Apocryphus ſcriptor in Iohannis Hiſtoriâ id multis prodit cap. 4. & 5.

V. 97. *Pulſo Pythone*. Cap. 16. Act. Ap. hæc habentur: *Factum eſt autem euntibus nobis ad orationem puellam quandam habentem ſpiritum Pythonem obuiare ſibi, quæ quæſtum magnum præbebat Dominis ſuis diuinando &c. Dolens autem Paulus, & conuerſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab eâ, & exiuit eâdem horâ*. Apollo Pythius oraculis clarus habebatur; quicumque igitur ſpiritu malo obſidebantur, ac in diuinationem erumpebant, Pythium in ſe habere dicebantur. Hoc autem a muliere illâ expulſo Paulinus Apollinem fugatum rectè memorat. Pythij verò cognomen a Pythone interfecto, vel a πύθεσθαι hoc eſt *à conſulendo* Phæbus traxit.

V. 98. *Fugit & Ægypto*. Aegyptiorum Deorum numerus erat infinitus. Longam horum ſeriem texit Diodor. Sic. lib. 1. Biblioth., Iuuenalis Sat. 5.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hac, illa pauet ſaturum ſerpentibus Ibim,
Effigies ſacri nitet aurea Circopitheci &c.

Tertull. cap. 34. Apolog. *Aegyptijs permiſſa eſt tam vana ſuperſtitionis poteſtas, auibus, & beſtijs conſecrandis, & capite damnandis, qui aliquem huiuſmodi Deum occiderit*. Videndi Lucian. de imag., Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. cap. 2., Minutius Fel. in Dialog., & imprimis Conſtantinus Manaſſes in Annal., vbi ab Aegyptijs coli aſſeruit

Αἰλούρους, καὶ πιθήκους,
Ἴβεις, καὶ Τράγους, βοάς τε, κυνάς, καὶ κροκοδείλους,
Καὶ τἄλλα προσοχθίσματα τῆς σφῶν φρενοβλαβείας.
———————— *felles, & ſimias,*
Ibes, & hircos, & boues, canes, & Crocodilos,
Et alias abominationes ab errore mentis profectas.

Hinc S. Hieron. lib. 4. Comment. in Eſaiam. cap. 11. aiebat *Gentem Aegyptiorum intantum Idololatriæ, & vaniſſimæ ſuperſtitioni deditam, vt accipitres, noctuas, canes, & hircos, & aſinos Diuino nomine conſecrarent &c.*

V. 100. *Vt Serapis*. Ioſephum Patriarcham in Aegypto celebrem vana incolarum ſuperſtitio in Serapidem conuerterat. Iulius Firmicus de er-

Nomine ferali abſcindens venerabile nomen;
Cum tamen ipſa Fidem ſimulacri forma doceret;
Quâ modius capiti ſuper eſt, quia frugibus olim
Ante famem, Domino ſic inſpirante, coactis
Innumeras gentes Ægypti ex vbere pauit,
Et ſteriles annos annis ſaturauit opimis.
Sed ne vltra Sanctus coleretur honore profano,
Mens arcana Dei deuotæ pectora plebis
Immiſſis acuit ſtimulis, cultumq; nefandi
Dæmonis auerſo fractoq; Serapide clauſit.

Non

ror. profan. Relig. cap. 14. id pluribus aſſerit; nomenque Serapidi inditum prodit. *Nam quia Saræ pronepos fuerat, ex qua nonagenariâ Abraham indulgentiâ Dei ſuſceperat filium, Serapis dictus eſt Græco Sermone, hoc eſt Σαρᾶς ἀπὸ. Sed hoc inuito Ioſeph accidit, imò mortuo. &c. Hic in Aegypto colitur, hic adoratur, huius ſimulacrum Neocororum turba cuſtodit, & ad memoriam vetuſtatis errans populus ordinem Sacrorum in honorem integerrimi, ac prudentiſſimi hominis conſtitutum contentioſâ hodie animoſitate cuſtodit.* Poſt Firmicum Rufinus Paulino coæuus id quoq; teſtatus eſt lib. 2. Hiſt. cap. 23. de Serapidis ſimulacro loquens: *Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulacrum ob diuiſionem frumenti, quâ famis tempore ſubuenit Aegyptijs.* Vide Baronium ad Ann. 389. De hac re præclaram diſſertationem non ita pridem emiſſam Romæ à viro eruditiſſimo Patre Bonjour per literas monuit V. C. Ant. Magliabechius, eiq; Paulinum quoq; noſtrum fauere gratulamur.

V. 103. *Quâ modius capiti.* Serapidis ſtatua modio capiti ſuper impoſito effingebatur. Hanc effigiem reperire eſt apud Cartarium de Imag. Deor., & apud Fulu. Vrſin. in Scipionis numiſmate. Rufinus ſuprà laudatus ibidem ait: *Poſt hoc reuulſum ceruicibus, & depreſſo modio trahitur caput.* Et infra: *Alij Iouem putant, cuius capiti modius ſuperimpoſitus.* Suidas quoque verbo Σαράπις. inquit: οὐδὲ τὸν Νεῖλον ἔφασαν εἶναι, διὰ τὸ ἔχειν μέδιον ἐν τῇ κεφαλῇ. *Alij verò Nilum eſſe dicebant, eo quod modium in capite geſtaret.* Macrob. cap. 20. lib. 1. Saturn. huius falſi numinis meminit, ſed pro modio *calathum* eius capiti parum benè affingit. Ad Theodoſij vſq; tempora ſtetit Aegyptij Serapidis templum. Dirutum deinde iacuit, vt Rufinus, Socrates, ceteriq; narrant Hiſtorici. Caſalius de profan. rit. cap. 13. Serapidis effigiem exhibet, ſed quum eius capiti modius deſit, incertum mihi videtur, an illius Numinis ſit ſimulacrum. certè plures Serapidis figuras profert Clar. Patinus in Impp. Numiſm. pag. 153. in Tito, & in Hadriano, ac omnes cum Modio intueri licet. Id etiam tetigit Plutarch. in libell. de Iſid. & Oſir.

V. 110. *Fractoq; Serapide.* Id innuit, quod æuo ſuo peractum fuerat;

Sera-

Non Peluſiacis vaga ſaltibus Iſis Oſirim
Quærit haruſpicibus caluis, qui pectore tunſo
Deplo-

Serapidis enim ſimulacrum ſub Theodoſio M. euerſum.

V. 111. *Iſis Oſirim*. Oſiris à Typhone interemptus fuit, ac in fruſta diſcerptus. Iſis coniugem occiſum vlta cum luctu, ac eiulatibus eius reliquias quæſiuit, inuentaſq; ſepulcro reddidit. Hinc profanus apud Aegyptios ritus quotannis repetebatur. Ouid. lib. 9. Metam.

Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaq; Bubaſtis, varijsq; coloribus Apis,
Siſtraq; erant, numquamq; ſatis quæſitus Oſiris.

Minutius in Octau. *Conſidera deniq; ſacra ipſa, & ipſa myſteria, inuenies exitus triſtes, fata, & funera, & luctus, atq; planctus miſerorum Deorum. Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo, & alijs Sacerdotibus luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri cadunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ matris imitātur. Mox inuento paruulo gaudet Iſis, exultant Sacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur.* Sed cur perditum filium vocat Minutius? Oſiridem profectò maritū Iſidis teſtantur antiqui omnes, ac potiſſimum Syneſius in lib. de Prouid., & Plutarchus in lib. de Iſid., & Oſir. Non iuuat his immorari, quum tantùm à ſe ipſis diſcrepantes ipſimet Aegyptij inueniantur in Sacrorum ſuorum Hiſtoriâ, vt fabulas ne venditent quidem ſale mixtas, ſed nugas proferant ineptiſſimas. Pro Minutio ſtat Lactantius lib. 1. Inſtit. cap. 21. vbi inquit: *Iſidis Sacra ſunt, quatenus filium vel perdiderit, vel inuenerit; nam Sacerdotes eius ſua pectora tundunt, lamentantur, deinde puer producitur, quaſi inuentus, & in lætitiam luctus mutatur.* Filium autem Iſidis Horum nomine deperditum ab Iſide, ſimulque quæſitum ſuſpicor ex verbis Athanaſij in Orat. contra gentes: ἐν γοῦν Αἰγύπτῳ ἔτι καὶ νῦν ὁ περὶ Ὀσίριδος, καὶ Ὥρου, καὶ Τύφωνος, καὶ τῶν ἄλλων θρῆνος τῆς ἀπωλείας ἐπιτελεῖται. *Certè in Aegypto nunc etiam de Oſiride, Horo, Typhone, alijsq; vt deperditis, & extinctis deploratio ſolemnis peragitur.*

V. 112. *Quærit Haruſpicibus*. Lampridius in Commodo: *Sacra Iſidis coluit, vt & caput raderet, & Anubin portaret.* Idem repetit Spartianus in Peſcenn. Nigro. *Vidimus Sacra Iſidis ferentem, quibus Commodus adeo deditus fuit, vt & caput raderet, & Anubim portaret.* Hieron. in Ezech. cap. 13. *Perſpicuè demonſtratur raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, cultoresque Iſidis, ac Serapidis nos eſſe non debere.* Ambroſ. quoque in Ep. ad Sabin: *Ipſi capita, & ſupercilia ſua radunt, ſi quando Iſidis ſuſcipiunt Sacra.* Huius ridiculi moris cauſam tradit Plutarchus de Iſid. & Oſir. De vocabulo *calui* ad rem facit Martialis diſtichon lib. 12. Epigr. 29.

Linigeri fugiunt calui, ſiſtrataq; turba
Inter adorantes cum ſtetit Hermogenes.

V. 112. *Qui pectore tunſo*. Iulius Firmicus præclariſſimus Scriptor de errore profan. Relig. cap. 2. Iſiaci Sacri ſummam his perſtringit verbis: *In adytis habent Idolum Oſiridis ſepultum. Hoc annuis luctibus plangunt,*
radunt

Deplorant aliena ſuo lamenta dolore,
Moxq; itidem inſani ſopito gaudia planctu
Vana gerunt eadem mentiti fraude repertum,
Quà non amiſſum ſibi quæſiuere vagantes.
Heu quo ſtultitiæ merguntur gurgite mentes
Luce Dei vacuæ! Nam quid, rogo, cæcius illis,
Qui non amiſſum quærunt, nuſquamq; manentem
Inueniunt, planguntq; alij, quod non dolet ipſis?
Elige quid facias miſer error. Quid colis? aut quid
Plangis? Non coeunt, quæ iungis. Luctus honorem
Non ſequitur. Lamenta colis, lugendaq; credis.
Quæ diuina putas, ſi dicis, nec miſeri ſunt;
Aut ſi ſunt miſeri, Dij non ſunt, atq; homines ſunt,
Et miſeri. Miſerere igitur mortalia paſſos,
Aut lætos venerare Deos; nam cæcus apertè eſt
Hic furor, aut miſeros colere, aut lugere beatos.
Ergò Dea eſt Iſis, mulier Dea, ſi Dea corpus
Non habet, & ſexus ſine corpore, aut ſine ſexu

Pars

radunt capita, vt miſerandum caſum ſui Regis turpitudine deboneſtati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſerant cicatrices, vt annuis luctibus in animis eorum funeſtæ, ac miſerandæ necis exitiũ renaſcatur. &c. Lactant. lib. 1. diu. Inſt. *Sacerdotes Iſidis deglabrato corpore pectora ſua tundunt, lamentando ſicut ipſa, cum filium perdidit, fecerat.* Commodus quoq; referente Lampridio Iſiacos pineis vſq; ad perniciem pectus tundere cogebat. Athenag. in Apolog. Αἰγύπτιοι τύπτονται ἐν τοῖς ἱεροῖς τὰ στήθη. *Aegyptij pectus tundunt in Sacris ſuis.*

V. 116. *Quâ non amiſſum.* Minutius in Octau. *Nec deſinunt annis omnibus vel perdere, quod inueniunt, vel inuenire, quod perdant. Nonne ridiculum eſt, vel lugere, quod colas, vel colere, quod lugeas?*

V. 125. *Aut ſi ſunt miſeri.* E Iulio Firmico lib. de Proph. Relig. error. hæc hauſit verba Paulinus: *Si Dij ſunt illi,* inquit is cap. 8. *quos colitis, cur eos lugetis? Cur annuis luctibus eos plangitis? Si lacrymis, & luctu digni ſunt, cur eos diuino honore cumulatis? Vnum itaq; è duobus facite, aut nolite eos lugere, ſi Dij ſunt, aut ſi luctu eos dignos putatis, ac lacrymis, Deos eos appellare nolite, ne luctibus, ac lacrymis veſtris maieſtas diuini nominis polluatur.* Epiphanius etiam in Anchorato cap. 106. Ἄλλος δὲ Ἡράκλειτος Αἰγυπτίοις φησίν· εἰ θεοί εἰσι, διὰ τί θρηνεῖτε αὐτούς; *Alius verò Heraclitus Aegyptijs ita obijcit: Si Dij ſunt, quos colitis, cur illos lugetis?*

V. 130. *Et ſexus ſine corpore.* Corruptum carmen. Ego emendatis verbis ita legerem:

Ergò

Pars habet? Vnde ergò illi quem quærat Oſirim;
Atq; vbi quærat eum neſcit Dea? Sed Dea nunquam
Eſſe poteſt mater, nec fæmina. Nam Deus vnus,
Virtus Trina Deus, Pater vnus, & vnus in ipſo
Filius, ex ipſo ſimul vnus cum Patre Verbi
Spiritus. Hæc trina ſunt Devs vnus nomina ſemper;
Sola Dei natura Deus. Quod Filius, & quod
Spiritus, & Pater eſt. Sed Filius ex Patre natus
Spiritus ex Patre procedens. Nihil hîc habet illa
Commune, aut ſimile in rebus natura creatis.

Et

Ergò Dea eſt Iſis? Mulier Dea? Si Dea, corpus
Non habet, & ſexum ſine corpore, vel ſine ſexu
Corpus habet?

Vt ſit ſenſus. Si Dea eſt Iſis, quomodo corpus, à quo diuinitas abhorrere deprehenditur, habet illa? Si corpore carentem dicitis, quo pacto ſexus illi erit ſine corpore?

V. 131. *Vnde ergò illi*. Et hîc inſciti exſcriptores offenderunt. Corrigo ſic:

Vnde ergò illi, quod quum quærit Oſirim,
Aut vbi quærat eum, neſcit Dea?

V. 135. *Ex ipſo ſimul vnus*. Spiritus Sanctus hîc *Spiritus Verbi* nuncupatur, aut ſi aliter legendum cenſes, vt illud *Verbi* referendum ſit ad *Patrem, ex ipſo* referendum eſſet ad Filium; à quo Spiritus procederet, ac propterea de proceſſione S. Spiritus à Filio argumentum hinc quoque duci poſſet. Priorem tamen ſenſum tuetur S. Auguſtinus Tract. 99. in Iohann., vbi ait: *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filij quoq; ipſe ſit Spiritus?* Verum vide quæ inferius adnotaui.

V. 136. *Hæc trina ſunt*. Medico indiget carmen. Ita porrò emendandum.

Hæc trino Deus vnus nomine ſemper.

V. 139. *Spiritus ex Patre*. Prioribus Eccleſiæ ſeculis quum in controuerſiam non adduceretur, an ex Filio quoq; procederet S. Spiritus (id enim hæretici, vt Bellarminus ait, concedebant, quemadmodum ex Baſilio lib. 2. contra Eunomium in Concilio Florentino euictum eſt) contenti erant Catholici ex Patre Filium procedentem dicere. Nuſquam tamen à ſolo Patre procedentem affirmare auſi ſunt; quin imò & complures expreſsè Spiritum à Filio procedere ſcripſerunt, vt pluribus exemplis probat Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 24. 25. &c. Leo Allatius, & alij. Ego in reliquis Anecdotorum libris Venantij Fortunati expoſitionem in Symbolum *Quicumque* producam, quâ idem etiam expreſſum reperietur. In

alio

Et Carthago potens Cypriano Martyre floret,
Cuius & ore ſimul profuſi, & ſanguine fontes
Fæcundauerunt Lybię ſitientis arenas.
Nec procul inde Vticam conlatis Candida Maſſa
Martyribus magno venerandæ cædis aceruo
Extulit; vnum etenim benedicti ceſpitis agger
Corpora multa tegens altè caput extulit aruis,
Et meritis altos teſtatur monte ſepulcri.
Inde Deo dudum iam fertilis Africa Chriſto
Multiplicat largas tanto de ſemine fruges,

Et

alio item vetuſtiſſimo Ambroſianæ Bibliothecæ Codice ante mille, & plures annos ſcripto Symbolum idem ſum nactus, vbi vulgata occurrunt verba: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio non factus, non creatus, nec genitus, ſed procedens*. Quare inſanam Græculorum, ipſorumq; Nouatorum querelam retundere fas erit, quibus particula *Filioq;* ſerò addita videtur. Nil igitur, vti ſuperius dixi, obſtat, ſi apud veterum nonnullos *e Patre* Spiritum procedere audiamus, quum, licet de Filio ſileatur, nihil in nos eorum ſilentium pugnet. Sic Bachiarium audiemus antiquiſſimum Philoſophum, qui ſeculo Chriſti quantùm ex Gennadio colligere poſſumus quinto florebat, in Apologiâ ſuâ *Patris*, non verò *Filij* meminiſſe. Hanc item Apologiam in Anecdotis meis veluti eximium vetuſtatis arcanum Deo fauente proferam. Illud etiam animaduerti in expoſitione Fidei, quæ inter S. Hieronymi Opera habetur, Rufinoq; presbytero adiudicatur, itidemq; in Symbolo, quod à quibuſdam Hieronymo, ab alijs Pelagio, & in vetuſtiſſimo Ambroſianæ Codice Papæ Damaſo tribuitur, non addi particulam *Filioque*, vti volumina typis conſignata habent, ſed eam à nuperis exſcriptoribus nimium ſcrupuloſis adiectam. Verùm Lectorem ad ſecundum Anecdotorum volumen remitto, vbi de his fuſiùs. Nunc animaduertiſſe ſufficiat Paulinum hunc S. Spiritus è Filio proceſſum alibi affirmare, ſiquidem ita canit Natal. IX.

Spiritum ab vnigenâ Sanctum, & Patre procedentem.

Hoc eſt *à prole vnigenâ*, quæ alia non eſt, quam Filius. Hoc certè miror tanti Scriptoris teſtimonium nulli obſeruatum fuiſſe.

V. 141. *Et Carthago potens*. Cypriani Sanctitas, & fama doctrinæ adeò ſe per Orbem propagarunt, vt apud Latinos non tantum, ſed & apud Græcos antiquis temporibus celeberrima fuerit illius ſolemnitas. Extant de illo ſermones quidam S. Auguſtini, & duo S. Maximi. Quinque etiam alios eiuſdem Taurinatis Epiſcopi in S. Cypriani laudem proferam in reliquis Anecdotorum libris.

V. 144. *Nec procul inde Vticam*. Celebris eſt Catonis fato, amplitudine, & antiquitate inter Africanas Vrbes Vtica. De eâ ſic Appianus:

Ἰτύκη

Et parit egregios verboq; fideq; Magiſtros:
Nec minor Occiduis effulſit gratia terris:
Ambroſius Latio, Vincentius extat Iberis,
Gallia Martinum, Delphinum Aquitanica ſumpſit:
Multaq; præterea per eaſdem largiter oras
Semina Sanctorum poſitis diffuſa ſepulcris
Inluſtrant totum ſuperis virtutibus Orbem,
Et toto antiquum detrudunt Orbe Draconem,
Qui genus humanum per nomina mille Deorum;

Quæ

Ἰτύκη Λιβύης μεγίστη μετὰ Καρχηδόνα πόλις. *Vtica poſt Carthaginem maxima vrbs Africæ.* Sub Valeriano trecenti Martyres, vt fatentur quæuis Martyrologia, ſeu vt S. Auguſt. Tract. in Pſal. 49., centum quinquaginta tres in fornacem coniecti glorioſè occubuerunt. Hinc cinerum ſacrorum maſſa in ſummâ veneratione habita. Vide Baron. in Martyr. ad diem 24. Septemb. Prudentius in Hymno 13. de S. Cypriano.

Corpora candor habet, candor vehit ad ſuperna mentes,
Candida maſſa dehinc dici meruit per omne ſæclum.

V. 151. *Et parit egregios.* Ita me Deus amet, quum Paulinus religioni ſibi aliquantulum duceret, Sanctos in viuis agentes laudibus extollere, quod ſaltem potuit, tacitè laudauit. Hîc itaque S. Auguſtinum, qui tum Hipponenſem vrbem, imò totum orbem *verboq; fideq;* illuſtrabat, innui certo certius arbitror, & fortè etiam Alipium egregium virum, ac tum temporis Tagaſtenſem Epiſcopum, quos omnes Paulinus arctâ familiaritate complectebatur. Conſule Auguſtini, Pauliniq; amæbæas Epiſtolas.

V. 153. *Ambroſius Latio.* Doctorem tantum nullus eſt ex antiquis, qui dignis non extulerit laudibus. Vnum producam Venantium Fortunatum lib. 8. carm. 4., vt eius vulneri opem feram. Commendat ille

Vitalem, & reliquos, quos chara Rauenna ſepultat
Gerunſium, Ambroſium Mediolane tuum.

Hactenus deprauata lectio; ſed ex Codice optimo Ambroſianæ Bibliothecæ lectionem genuinam reſtituo: *Gerbaſium, Ambroſium* &c. ſcilicet S. Geruaſij Fortunatus meminit, cuius corpus ab Ambroſio repertum Paulinus infrà memorat.

V. 153. *Vincentius extat.* Idem Ven. Fortun. ibid.

Vincenti Hiſpanâ ſurgit ab arce decus.

V. 154. *Gallia Martinum.* Ad S. Martini memoriam illuſtrandam non eſt meum plura congerere. Eiuſdem res geſtas à Paulino Petricordio, Sulpicio Seuero, alijsq; magnis Scriptoribus pete. Satis ſit adnotaſſe paucis ante annis tantum virum ad Superos conceſſiſſe. An. 397, an verò 400, aut 401. is annus fuerit, inquirendum alijs relinquo.

V. 154. *Delphinum Aquitanica.* Burdegalenſis Epiſcopus fuit Del-

C phi-

Digitized by Google

Quæ tamen ex obitis mortalibus & ſibi ſumpſit
Ipſe, ſuiſq; dedit coluber, quibus arte nocendi
Princeps in vacuo tetrum gerit aere ſignum,
Dæmonibuſq; caput nobis inimicus oberrat.
Sic itaq; & noſtra hæc Chriſti miſerantis amore
Felicis meruit muniri Nola ſepulcro,
Purgariq; ſimul, quia cæcis mixta ruinis
Orbis, & ipſa ſimul moriens in nocte iacebat
Saxicolis polluta diù cultoribus, in quâ
Proſtibulum Veneris, ſimul & dementia Bacchi

Nu-

phinus, Pauliniq; noſtri admodum familiaris; Ad illum etiamnum quinque Paulini Epiſtolæ extant, in queis etiam teſtatur Poeta noſter ſe ab hoc viro Sancto baptizatum. Hinc autem diſce Delphinum Anno Ch. 404. inter viuos non extitiſſe, quippe viros Sanctitatis famâ poſt mortem præclaros hîc tantum Paulinus recenſet.

V. 169. *Proſtibulum Veneris*. Vetus ænigma de quadam muliere Clodia nomine vſurpatum legitur: *In triclinio Coa, in cubiculo Nola*. Quod eruditorum conſenſu nil aliud portendit, quam Clodiam in triclinio, conuiuijſq; laſciuo ore, verbiſq; procacibus ſic vſam, vt Venerem, quæ in Inſulâ Coo colebatur, penitus exhiberet; in cubiculo verò in omne libidinis genus Nolanorum more incubuiſſe. Et reuera Nolana laſciuia in adagium translata eſt, ac propterea Auſonius in Epigr. 70. Criſpæ cuidam fædiſſimos obijcit amores hiſce verbis:

Et quam Nolanis capitalis luxus inuſſit.

Campani autem populi, inter quos Nolani, antiquitus Oſci appellabantur, hoc eſt *quaſi obſcæni*, vt Porphyrionis antiquiſſimi Scholiaſtis verba ad Horatium teſtantur, & Feſtus Oſcis frequentiſſimum fuiſſe ſpurcarum libidinum vſum aſſerit. Jure itaq; Paulinus Nolæ poſitum *Veneris proſtibulum* inquit.

V. 169. *Et dementia Bacchi*. Ambroſius Leo lib. 3. cap. vlt. de Nolâ. Eiuſdem regionis vindemiam eleganter expreſſit. Inter alia hæc ait: *At verò vindemiatores eâ die, quâ pro quoq; vindemiam faciunt, atq; per totum vindemiæ tempus Baccho Deo pleni eſſe, ac furere prorſus videntur.* Subdit: *Clamor verò captum omnem hominis ſuperat, atq; qui vix audientibus creditur, nam omninò furentium eſt. In agro quin etiam, in quo vindemiant, ſemper pudibunda vindemiando inclamant, obſcæniſſimas quaſq; partes ſuis nominibus pronunciantes, Veneres vel obſcæniſſimas ſe optare exclamant, eas iactant, minitantur &c.* Quis certè crederet ijs in oris tantas Ethniciſmi reliquias tamdiu duraſſe, vt noſtra ad vſq; tempora illic Orgia celebrarentur, & ſub Chriſtianis mutato tantum nomine Bacchus coleretur? Proh ſummum dedecus! *Quale enim*, vt cum Tertullia-

tullia-

Numen erant miſeris, fædoq; nefaria ritu
Sacra celebrabat ſociata libido furori.
Et quis erat vitæ locus hîc, vbi nec pudor vſquam;
Nec metus vllus erat? Quis enim peccare timeret
Hîc, vbi ſanguineus furor, atq; incæſta libido
Relligiones erant, & erat pro Numine crimen?
Atq; erat in toto quaſi ſanctior agmine cultor,
Qui Veneris Sacris pollutius incaluiſſet,
Plenus & ille Deo, reliquiſq; beatior eſſet;
Qui magis infuſo ſibi Dæmone ſæuius in ſe
Deſipiens, proprijs litans furalia ſacræ
Vulneribus ſanam meruiſſet perdere mentem?
O cæcis mens digna animis, & Numine, digna

Aduer-

tulliano lib. de cor. mil. cap. 6. loquar, *habendum eſt apud homines veri Dei, quod à candidatis Diaboli introductum, & ipſis à primordio dicatum eſt, quodq; iam tunc Idololatriæ initiabatur ab Idolis, & Idolis adhuc viuis?*

V. 179. *Sæuius in ſe deſipiens*. Non poſſum me continere, quin egregium proferam S. Maximi Taurinatis Epiſcopi locum ex ſermone *de Idolis auferendis*, quem vnà cum alijs eiuſdem Sancti in ceteris Anecdotorum libris orbi propediem Deo fauente communicabo. Inquit ille: *Cum matutinum vigilaueris, & videris ſaucium vino ruſticum, ſcire debes, quoniam, ſicut dicunt, aut Dianaticus eſt, aut haruſpex eſt; inſanum enim Numen amentem ſolet habere Pontificem; talis enim Sacerdos parat ſe vino ad plagas Deæ ſuæ, vt dum eſt ebrius pœnam ſuam miſer ipſe non ſentiat. Hoc autem non ſolùm de intemperantiâ, ſed & de arte faciunt, vt minus vulnera ſua doleant, dum vini ebrietate iactantur*. Tum haruſpicum veſtes, furoremq; deſcribens addit: *More gladiatorum paratus ad pugnam ferrum geſtat in manibus, niſi quod gladiatore peior eſt; quia ille aduerſus alterum dimicare cogitur, iſte contra ſe pugnare compellitur*. Multa dein inſignia in hanc rem addit, quæ ſilentio præterire propoſitum ſuadet. Tibull. de fœminâ ſacrificante agens.

Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineq; effuſo ſpargit inepta Deam.

Expreſſius hæc aſſerit Prudentius in Hymn. S. Romani:

Sunt Sacra, quando vos ipſi exciditis,
Votiuus & cum membra detruncat dolor,
Cultrum in lacertos erexit fanaticus,
Sectiſq; matrem brachijs placat Deam.

V. 180. *Litans furalia*. Lege *furialia ſacræ*, hoc eſt *Matri Deûm*, aut potius *furialia Sacra*.

Aduerſis ſeruire Deis! Venus, & nemus illis
Sint Deus. Ebrietas demens, amor impius illos
Sanctificent, abſciſſa colant, miſeriq; pudorem
Erroris fædi Matris Myſteria dicant.
Digna fides illis, quibus almo in lumine veri,
Legibus & caſtis, & magno nomine Chriſti
Nulla fides, & nullus amor, ideòq; nec vllum
Indignæ pretium vitæ eſt in ſanguine Chriſti.
Sit Deus his venter, vel cetera gaudia carnis,
Queis Deus ipſe Deus non eſt, quibus in Cruce Chriſti
Gloria nulla ſubeſt, quia non dignatur adire
Degeneres animos virtus Crucis. Inde Beatus

Fe-

V. 183. *Venus, & nemus*. Nemora, quæ alio nomine *luci* appellabantur, apud antiquos magnâ ſuperſtitione coli ſolebant. *Nemus Aricinum*, vbi Dianæ ſimulacrum conditum, *Lucus Martis* apud Athenienſes, & in Ponto, & alia nemora paſſim memorata audimus. Ouid. lib. 2. Faſt.

Lucus Auentino ſuberat niger ilicis vmbrâ,
Quo poſſis viſo dicere: Numen ineſt.

Claudian. de rap. Proſ. l. 3. Lucum venerabilem refert prope flumen Acym, additq; numen loco, religionemq; fuiſſe. Propert. El. 10. lib. 4. *Lucoq; abſcede verendo*. His addam Apuleium in Apolog. pag. 377. ita loquentem: *Iſte verò nec Dijs rurationis, qui eum paſcunt, ac veſtiunt, ſegetis vllas, aut vitis, aut gregis primitias impartit, nullum in villâ eius delubrum ſitum, nullus locus, aut lucus conſecratus*. Et hæc in re ſatis notâ ſint ſatis. Hanc eruditionem ſupra omnes illuſtrauit Pinto Ramirez in Spicileg. ſacro. Tract. 1. cap. 6., quem conſule.

V. 185. *Abſciſſa colant*. Tum in Iſiacis, tum in Orgijs nefandus hic ritus inoleuerat, vt virilia colerentur, quæ Phallum nominabant antiqui. Diodor. lib. 1. Biblioth. hæc omnia explicat: *Virilia*, inquit, *Oſiridis à Typhone in fluuium abiecta eſſe aiunt, quod ſociorum nemo hæc recipere vellet. Quæ tamen ab Iſide recepta diuinis ſunt honoribus affecta. Nam in templis effigiem eorum adornatam coli præcepit, & cæremonijs, ſacrificijſque Deo iſti peragendis honoratiſſimus vt eſſet effecit. Idcircò, & Græci poſtquam Sacrorum Bacchicorum, & Orgiorum ſolemnitates ab Aegyptijs accepere, membrum id in myſterijs, initiationibus, & ſacrificijs Dei huius Phalli nomine honorant*. Sed hæc Scriptoribus Priapeis animo lubentiſſimo tractanda relinquo.

V. 191. *Sit Deus his venter*. Reſpicit cap. 3. Epiſtolæ 1. Pauli ad Philipp., vbi de inimicis Crucis Chriſti ait Apoſtolus: *Quorum finis interitus, quorum Deus venter &c.* Apud Philiſteos Dagon colebatur, quod numen propriè *Deus venter* interpretandum venit.

V. 228.

Felix, vt reliqui diuerſo Martyres Orbe;
Nolanis Medicus fuit, eſtq; perennis ope iſtâ:
Nec modò Nolanis, ſed & omnibus, à quibus idem
Imploratus erit, dabit iſto iure ſalutem,
Si Crucis alma Fides in pectore ſupplicis adſit.
Iſta Fides genus humanum curatq;, piatq;,
Hæc vbi defuerit medicina, morabitur illic
Omne mali regnum, nec in illo definet vnquam
Cypres adulterijs, furijs regnare Lyæus,
In quo defuerit Chriſti pudor, & Crucis ardor.
Ignis enim diuinus ineſt, vbi vis Crucis intus
Ardeſcente fide cruciat malè conſcia corda,
Viuificans animam, vitijs in carne peremptis:
Hoſtibus his obtrita diu, corruptaq; tantis
Peſtibus ingentem poſcebat Nola medelam,
Atq; ideò penſante Deo diſcrimen, opemq;
Felicem accepit medicum, qui vinceret omnem
Quamlibet antiquam miſerorum in cordibus atris
His, qui crediderant eſſe vnum in crimine Numen,
Perniciem, & meriti virtute potentior altis
Vulneribus ductum ſuper vlcera putria callum
Scinderet, vt ſaniem ſuffuſâ labe coactam
Exprimeret ſinibus ruptis, ac deinde lacunam
Vulneris expleret planâ cute ducta cicatrix.
Ergò vbi Nolanis Felix vt ſtella tenebris
Fulſit ab ore Dei veniens, verbumq; medendi
Ore gerens, tamquam venturo Sole ſerenus
In matutino lætum ſubar exerit ortu
Phoſphorus, occiduiſq; nouus præfulgurat aſtris
Nuncius inſtantis ceſſurâ nocte diei.
Sic iam Euangelio totum radiante per Orbem;
Propitiante Deo cunctis mox Iudice terris,
Aduentus vexilla ſui prætendit vbique,
Perq; ſuos Chriſtus ſua ſigna coruſcat amicos,

Ex

V.228. *Sua ſigna coruſcat*. Eleganter, atq; meliorum exemplo id vſurpatum. Virgil. lib. 12. Aeneid.
Aeneas inſtat contra, telumq; coruſcat,

Ite-

Ex quibus hac voluit ſibi prælucere ſub orâ
Felicem, vt noſtras iſto decerperet vmbras
Sidere, & antiquos iſtâ quoq; pelleret vrbe
Dæmones, vt pulſis hominum de corde colonis
Talibus, intraret puras Deus incola mentes,
Et vice mutatâ nobis pietate ſolutis
Noſtra prius noſtros premerent modò vincla Leones
Fruſtrà in oues Chriſti vinctâ feritate frementes.
Et manet hæc nobis etiam nunc gratia, quæ nos
Peccatis prece Sanctorum exorante reſoluit,
Atq; iiſdem Sanctis vltoribus alligat illos,
Diſcruciatq; hoſtes, qui nos vincire ſolebant.
Hi modò tam lato deprenſi lumine fures,
Atq; in vincla dati, nunc ignea flagra piorum,
Vt meruere, ferunt, aut iam Infernis malè truſi
Carceribus trepidant, vicinum inſtare fatentes
Iudicium Domini ſolis ſibi triſte, ſuiſq;
Omnibus, in Satanæ partem quos ſæua voluntas
Verterit, & Satanæ ſociauerit æmula vita
Iſtic nequitiæ ſocios homines, ibi pœnæ.
Ecce dies accepta Deo; modò vera ſalutis
Lux micat; omnia iam nobis benè verſa videmus.
Diffugêre doli, cecidit Bel, interit error,
Quiq; colebantur totis quaſi Numina templis
Dæmones, hi per templa Dei torquentur inermes,
Et qui diuinos audebant ſumere honores,
Hi modò ab humanâ plectuntur lege ſubacti.
Namq; iſti, quos nunc celebri Felicis in aulâ

Tor-

Iterum ibidem:

Hinc atq; hinc oditq; moras, haſtamq; coruſcat.

Græcorum quidem ad imitationem hoc factum, ſed venuſtè admodum.

V. 255. *Hi modò ab humanâ*. Piſſimi Imperatores Conſtantinus, eiuſq; ſucceſſores plurimas in Paganos leges emiſerant, quæ Codicem Theod. tit. de Pagan. &c. conſulenti patebunt. In his autem Gentilium Sacra, Dæmonumq; cultus omninò interdicuntur, quod hîc per Poetam noſtrum innui arbitrarer.

V. 256. *Namq; iſti, quos*. S. Felicis mirabilem in fugandis immundis ſpiritibus alibi canit, ac præcipuè Natal. III., vbi inquit:

Marty-

Torqueri, clamare, rapi per capta videmus
Corpora, corporibus vincti retinentur in ipſis;
In quæ ſe truſere ipſi, pænamq; volentes
Humanam, inuenere ſuam. Nunc ergò reorum
Perſonæ exululant pænis, qui Numine falſo
Dij fuerant, & qui mentito Numine viuos
Ante Dei cultum ſibi nil cæleſte videntes
Dediderant homines, hi nunc vbi lumine Chriſti
Vera Fides patuit, non poſſunt ferre ſepultos;
Sed magis vt pateat, quia nunc hi, qui cruciantur
Dæmones ante fores, aut ante ſepulcra piorum,
Ijdem ſunt illi, quibus olim ſerua litabat
Gens hominum, & ſacros demens litabat honores,
Ipſa docet vocum ſpecies, nam ſæpius illâ
Voce gemunt, ſolitum vt noſcas clamare furorem;
Sic plerumq; velut diſſoluto laxius ore
Dente fremunt, ſpumant labris, horrentq; capillis,
Vtq; manu prenſante comam excutiuntur in altum,
Et pede pendentes ſtant crinibus, interea illic
Sacrorum memores veterum, quibus exta ſolebant
Lambere cæſarum pecudum, aut libamine paſci,
Laſciuoſq; choros hederatis ducere pompis,
Nunc etiam ſua teſtantes Sacra illa fuiſſe,
In quibus inſanos dabat ebria turba tumultus,
Euhoe Bacchiſonum fractis imitantur anheli
Vocibus, & lento iactant ſua colla rotatu.

Sed

Martyris oſtendit meritum, cum iure potenti
Dæmonas exercet, deuinctaq; corpora ſoluit;
Nam ſibi Felicem cæcis incumbere pænis
Peſtiferi proceres triſti clamore fatentur,
Occultaſq; Cruces gemitu teſtantur aperto &c.

V. 262. *Mentito Numine viuos.* Scriberem potius: *mentito numine vino.* Dungalus in fragmentis habet: *mentito nomine viuos.*

V. 278. *Hederatis.* In Dionyſiacis mos erat hederâ caput redimire. Hinc Seneca in Oedip. Act. 2. in choro: *Te caput Tyriâ cohibere mitrâ, Hederâq; mollem bacciferâ religare frontem.* Hæc ille ad Bacchum. Statius item lib. 1. Sylu. 2. verſ. 233. *Atq; hederis, redimita cohors.* Vide comment. Delrij in Senec. ibid., reliquoſq; Mythologos; ne in re ſatis notâ putidus videar, pluribus parco.

V. 282.

Sed quia non poterat mortalibus vnius ætas
Sufficere, vt longo contagia tempore tracta
Dilueret paucis, quos corpore viueret, annis;
Confeſſor Felix, & Presbyter, ore Magiſter,
Elogio Martyr, merito, officioq; Sacerdos,
Omnipotens Dominus finitum corporis æuum
Felici potiore viâ perſiſtere fecit
Continuans medicos operoſi Martyris actus,
Virtutes vt eas idem celebraret humatus,
Quas in carne manens Chriſti virtute gerebat,
Atq; ita ſuſceptæ nec mortuus abforet Vrbi
Corpore, cum tantùm poſiti ſanator adeſſet
Spiritus, & deſiderijs latitaret amantum
Ad tempus cari facies ſubtracta Patroni,
Prompta ſed ægrorum ſemper medicina ſaluti
Adforet. Inde perennis honos, & gloria Sanctum
Felicem meritis ſine fine virentibus ambit,
Et licet à veteri tumulis abſconditus æuo,

Quâ

V. 287. *Elogio Martyr*. Felicis Nolani tormenta, paſſionemque prioribus in Natalibus expreſſit Paulinus, exprimuntur & illa in Actis editis. Non tamen in perſequutione mortem obijt Sanctus ille. Hinc *Elogio tantùm Martyr* dicitur, vti etiam alibi *ſine ſanguine Martyr* appellatur. Primæuâ in Eccleſiâ verò Martyris nomen etiam ijs tribuebatur, qui tormentis ſuperſtites erant, vt manifeſtè ex lib. Tertull. ad Martyras colligitur. Cyprianus *ad Martyras, & Confeſſores Ieſu Chriſti* Epiſtolam 9. dedit, & Ep. 12. ait: *De hoc & ad Clerum, & ad Martyras, & Confeſſores literas feci*. Ep. quoq; 15. *Literas*, inquit, *feci, quibus Martyres, & Confeſſores conſilio meo, quantum poſſem, ad Dominica præcepta reuocarem*. Quidam igitur viuentes adhuc Martyris appellatione diſtinguebantur, quia ad ſanguinis vſq; effuſionem Chriſtum conſtantiſſimè fuerant confeſſi. Scribit in hanc rem Cyprianus laudatus Ep. 30. *Illud præterea vellemus addiſcere, ſi Martyres non propter aliud Martyres fiunt, niſi vt non ſacrificantes teneant Eccleſiæ vſq; ad effuſionem ſanguinis ſui pacem*.

V. 287. *Officioq; Sacerdos*. *Sacerdotis* vox pro *Epiſcopo* hîc capienda; ſiquidem ſuperius *Presbyter* dicitur S. Felix. Reuera tantum pro grege Chriſti egerat hic Sanctus, vt Antiſtitis nomen promereretur. Sic Natal. XIII. ait Paulinus additam Felici in Cælis coronam Antiſtitis. Uide quæ ibidem notaui verſu 568.

V. 300. *Et licet à veteri*. Septem ſequentia carmina retulerat etiam Dungalus, eaq; Roſuueido viſa erant ad Natalem IX. referenda; ſed verum

rum

Digitized by Google

Quâ mortalis erat, lateat telluris operto,
Viua tamen vegetante Deo membriſque ſuperſtes
Gratia diuinum ſpirantia Martyris oſſa
Clarificat populis, merito viuente ſepulti,
Et magni ſolium breue Confeſſoris adorat
Iugiter è varijs confecta frequentia terris.
Sed Deus vt cunctorum hominum ſator omnibus iſtam
De Sanctis indulſit opem procedere terris,
Vt iam de tumulis agerent pia dona Beati
Martyres, & viuos poſſent curare ſepulti.
Nec ſatis hoc donum Domino fuit, vt ſua tantùm
Nomine, ſiue opibus loca Martyres inluſtrarent,
Ex iiſdem tumulis etiam monimenta piorum
Multiplicans multis tribuit miſerator eoſdem
Gentibus. Et referam varias ab origine cauſas,
Ex quibus hæc orta eſt varijs benedictio terris.
Nam quia non totum pariter diffuſa per Orbem
Prima Fides ierat, multis regionibus Orbis
Martyres abſuerant, & ob hoc, puto, munere magno
Id placitum Chriſto nunc inſpirante potentes,
Vt Conſtantino primùm ſub Cæſare factum eſt,
Tunc famulis retegente ſuis, vt ſede priori
Martyres accitos transferrent in noua terræ
Hoſpitia, vt Sancto non olim Antiſtite factum
Nouimus Ambroſio, qui fultus munere tali.

Poſſ-

rum intueris eorum ſitum. In antiquo Dungali Codice, quem Ambroſiana Bibliotheca aſſeruat, ex Natali XI. dilucidè citata reperiuntur.

V. 305. *Et magni ſolium*. Animaduertere iuuat, quibus verbis debitam Sanctis venerationem Paulinus exprimat. Certè is ait eorum ſepulcra adorari:

Et magni ſolium breue Confeſſoris adorat.

Cui ſi tot alia Paulini adijcias hac de re teſtimonia, profectò Nouatorum impudentiam miraberis, quibus tantam bilem mouet idem Sanctorum cultus in Eccleſiâ Catholicâ etiamnum ſeruatus. Paulinum itaque, ceteroſque Sanctos velint nolint Idololatris accenſeant oportet, quum nos paſſim huiuſmodi laborare morbo gens cæca exclamet.

V. 321. *Vt Conſtantino*. Ea recole, quæ de Sanctorum Translationibus fusè notaui in diſſ. IX.

V. 325. *Nouimus Ambroſio*. Celebrem refert, ſuiſq; peractam tempo-

Poſtquam ignoratos prius, & tunc indice Chriſto
Detectos ſibimet mutatâ tranſtulit aulâ,
Reginam promptâ confudit luce furentem.
Nam Conſtantinus proprij cum conderet Vrbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Chriſticolam gereret, diuinum mente recepit
Conſilium, vt quoniam Romanæ mænibus Vrbis
Æmula magnificis ſtrueret tunc mænia cæptis,
His quoq; Romuleam ſequeretur dotibus Vrbem,
Vt ſua Apoſtolicis muniret mænia lætus

Cor-

ribus SS. corporum Protaſij, & Geruaſij inuentionem, quæ magno Mediolanenſium Antiſtiti Ambroſio contigit. De illâ S. Auguſt. lib. Conf. 9. cap. 7. hæc habet: *Tunc memorato Antiſtiti tuo* (Ambroſio) *per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Protaſij, & Geruaſij, quæ per tot annos incorrupta in theſauro ſecreti tui recondideras.* Sidon. Apoll. Ep. 1. lib. 7. *Ambroſium duorum Martyrum repertorem* appellat. Videnda etiam Ambroſij ipſius Ep. 14. ad Marcellinam ſororem, & Paulinus alter in Ambroſij vitâ. Fuſiſſimè autem omnium Io. Petrus Puricellius, quo accuratiùs nemo res Mediolanenſium proſequutus eſt, hanc rem tractat in diſſ. Nazar. & in Monum. Baſil. Ambroſ. Horum Sanctorum reliquias ad ſe ipſum ab Ambroſio tranſmiſſas meminit Poeta noſter in Ep. 12. ad Seuer. dum enim reliquias recenſet in Fundanâ Baſilicâ per ſe conditas ait: *Quosq; ſuo Deus Ambroſio poſt longa reuelat*
Secula Protaſium cum pare Geruaſio.

V. 326. *Et tunc indice Chriſto.* Per viſionem S. Ambroſio reuelata SS. Protaſij, & Geruaſij corpora teſtatur etiam, vt nuper vidimus, S. Auguſtinus præter ipſum Ambroſium ad Marcellinam Ep. 14. Molinæus tamen famoſus inter Caluiniſtas miniſter lib. 7. contr. Perron. cap. 11. totam huius inuentionis hiſtoriam inter commentitias fabulas reijcit. Vir ſanè & fronte, & mente deſtitutus, qui tantos Auctores piiſſimi huius euentus teſtes quaſi impiiſſimos impoſtores traducere eſt auſus. S. Aug. iterum hanc rem diuinitùs factam aſſeruit lib. 22. de Ciu. Dei cap. 8., vbi agens de SS. Protaſij, & Geruaſij corporibus ait: *Quæ cum laterent, & penitus neſcirentur, Epiſcopo Ambroſio per ſomnium reuelata reperta ſunt.*

V. 328. *Reginam.* Arianâ labe infecta Imperatrix Iuſtina, vt Paulinus, qui Ambroſij vitam ſcriptis conſignauit, expreſſum nobis reliquit, Ambroſium oderat, vireſque plurimùm eius inimicis augebat. Viſo autem tanto miraculo per Sanctiſſimum Antiſtitem patrato, coercuit exinde furorem, & à Catholicorum perſequutione abſtinuit. Hæc quoq; Auguſtinus habet cap. 7. l. 9. Confeſſ. *Vnde opportunè promeres ad coercendam*

rabiem

Corporibus; tunc Andream deuexit Achiuis,
Timotheumq; Aſiâ. Geminis ita turribus extat
Conſtantinopolis magnæ caput æmula Romæ,

Verius

rabiem fæmineam, ſed regiam &c. Inde illius inimicæ (Iuſtinæ ſcilicet) *animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.*

V. 336. *Tunc Andream.* Mirum in modum diſcrepant Auctores in aſſignando tempore, quo SS. Andreæ, Timotheiq; corpora Conſtantinopolim fuere translata; Alij enim Conſtantino, alij Conſtantio pium opus adiudicant. Certum tamen crediderim id ſub Conſtantino contigiſſe, quum Hieronymus duobus in locis id expreſsè tradat. Aduerſ. Vigilant. agens ironicè hæc habet: *Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andreæ, & Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim.* Idem quoq; de Script. Eccl. in Lucâ: *Sepultus eſt*, ait, *Coſtantinopoli, ad quam vrbem vigeſimo Conſtantini anno oſſa eius cum Reliquijs Andreæ Apoſtoli translata ſunt de Achaiâ.* Illud quidem verum eundem Scriptorem in Addit. ad Euſeb. Chron. A. 19. Conſtantij ita loquutum: *Reliquiæ Apoſtoli Timothei Conſtantinopolim inuectæ.* Sed exſcriptorum vitio potius quam Hieronymi memoriæ tribuendus error. B. Petrus Damiani Serm. 16. de S. Marco: *Vigeſimo anno Conſtantini Cæſaris Lucas de Achaiâ Conſtantinopolim translatus eſt vnà cum ſacris B. Andreæ Apoſtoli Reliquijs.* Certè Euſeb. lib. 4. de vit. Conſtantini. cap. 60: inquit: αὐτὸς γῦν αὐτῷ εἰς δέοντα καῖρον τῆς αὐτῦ τελευτῆς τὸν ἐνταυθοῖ τόπον ἐταμιέυετο τῆς τῶν Α᾽ποσόλων προσρήσεως κοινωνὸν εἰς τὸ ἑαυτῦ σκῆνος. *Is igitur in opportunum venturæ mortis diem hic locum ſibi diuinâ diſpenſatione præparauit, qui Apoſtolorum appellatione innoteſcit, ad ſuum ſepulcrum.* Igitur Eccleſiam Apoſtolorum Andreæ, & Lucæ Conſtantinus ædificari mandauit, vt ibi tum Apoſtolorum oſſa, tum ſuum corpus requiem haberent. Hoc alij multi, & meliores tradunt. Sed Lectorem ad lib. 4. cap. 5. Conſtantinop. Chr. Cl. viri Du Freſnij remitto. Is rem huiuſmodi ſupra cunctos diligentiſſimè examini ſubiecit.

V. 337. *Geminis ita turribus.* Sancti Regnorum propugnacula, turresque meritò vocantur. In hanc rem optimè conferri poſſunt Baſilij Magni verba in Or. in XL. Martyr., vbi de Reliquis eorumdem loquens ſimilia habet: *Hi ſunt*, inquit, *qui noſtram regionem adminiſtrant, & veluti turres quædam cohærentes ſecuritatem ab hoſtium incurſu exhibent, non vno loco ſe ipſos includentes, ſed multis iam locis hoſpites facti, & multas patrias exornantes.* Theophrid. Abbas ſerm. 1. de SS. Reliqu. *Vnicuiq; locorum ſicut & huic noſtro abundè magnas Sanctorum reliquias accommodat, quatenus dum ab indigenis dignè, ac familiaribus honorantur, ijdem indigenæ earum perpetuâ defenſione firmentur.*

V. 338. *Conſtantinopolis. Secundam, & nouam Romam* Conſtantini vrbem dictam pluribus probat eruditionis fons Du Freſnius lib. 1. Conſt.

D 2 Chr.

Veriùs hoc ſimilis Romanis culmine muris;
Quod Petrum, Paulumque pari Devs ambitione
Compenſauit ei, meruit quia ſumere Pauli
Diſcipulum cum fratre Petri. Iam quanta per iſtam
Sanctorum per longa viam diuortia terræ
Creuerit vtilitas ad noſtræ munia vitæ,
Ipſa docent hodieque loca, in quibus illa Beati
Rheda capax oneris poſitâ ſtatione reſedit;
Omnibus in ſpatijs quacumq; aut manſio Sanctis
Corporibus, requieſque fuit vectantibus illos
Sacratos cineres, miris clamantia ſignis
Nam diuina manus medicâ virtute per omnes
Eſt illic operata vias, quâ corpora Sancta
Impreſſere ſacro veſtigia viua meatu.
Inde igitur ſuadente Fide data copia fidis
Tum comitum ſtudijs, quædam vt ſibi pignora vellent
Oſſibus è Sanctis merito decerpere fructu,
Vt quaſi mercedem officij, pretiumq; laboris
Præſidia ad priuata domum ſibi quiſque referret;
Ex illo ſacri cineres quaſi ſemina vitæ
Diuerſis ſunt ſparſa locis, quâq; oſſe minuto
De modicâ ſacri ſtipe corporis exiguus ros

Deci-

Chr. cap. 6. Socrates de Conſtantino loquens lib. 1. cap. 16. hæc habet: χρηματίζειν δὲ δευτέραν Ῥώμην νόμῳ ἐκύρωσεν. *Lege denique ſanciuit, vt ſecunda Roma Conſtantinopolis diceretur*. Eaque lex marmoreæ columnæ inciſa, quod etiam aſſerunt Chron. Alex., & Theophanes A. 25. Conſtantini. Secunda Synodus Oecumenica A. C. 381. celebrata Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopo poſt Romanum priuilegia honoris concedit, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν τὴν νέαν Ῥώμην, *eò quod ipſa ſit noua Roma*. Appoſitè verò ad Paulini verba cecinit Claudian. in Rufin. lib. 2.

Vrbs etiam magnæ quæ dicitur æmula Romæ.

Vide Gothfr. ad l. 1. C. Th. de Iure Italiæ.

V. 346. *Rheda capax*. Sanctorum Reliquias in lecticis collocatas transferri conſueuiſſe & nos docuit Paulinus alter in vitâ S. Ambroſij; agens enim de SS. Protaſij, & Geruaſij translatione ait: *Sed vbi SS. Martyrum Corpora ſunt leuata, & in lecticis poſita, multorum ibi ſanatæ ægritudines perdocentur*.

V. 358. *Ex illo ſacri*. Vide quæ de SS. Reliquiarum translatione notaui in diſſ. XIX.

V. 364.

Decidit, ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluuios vitæ generauit gutta fauillæ.
Inde in nos etiam ſtillauit copia Chriſti
Diues & in minimis; nam hoc quoque ſumpſimus iſtic
Carnis Apoſtolicæ ſacra pignora puluere Patrum,
Quæ Sanctus noſtri Dominusq; paterq; cubilis,
Et cuſtos animæ noſtræ, & tutela ſalutis
Felix viciná ſibi cominus æde recepit,
Quæ reliquis eius ætate recentior aulis
Exiguos cineres, & magnos ſeruat honores,
Seruaturq; magis cuſtodibus ipſa Patronis;
Abſit enim vt ſeruari vnquam videantur egere,
Qui ſeruare ſolent tamen, & curare ſuorum
Commoda alumnorum patrio dignantur amore,

375 Atq;

V. 364. *Nam hoc quoq;* Emendandum carmen: *Nam nos quoq;*

V. 365. *Carnis Apoſtolicæ*. Plures Apoſtolorum Reliquias in Baſilicis Nolanis repoſitas ſæpè teſtatur Paulinus. In Ep. 12. ad Seuer. agens de Reliquijs in Baſilicâ S. Felici ſacrâ conditis ita canit:

Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum Cruce Apoſtolicos quæ ſociant cineres.

De Baſilicâ Fundanâ loquens ait:

Hic & Apoſtolicas præſentat gratia vires
Magnis in paruo puluere pignoribus.
Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas &c.

V. 369. *Quæ reliquis eius*. Hæc eadem eſt Baſilica, quam deſcripſit Natali IX. ad Nicetam Epiſcopum, eamq; vix perfectam fuiſſe tum temporis innuit hiſce verſibus, quibus Nicetæ ad ſe opportunè delato gratulatur, vt

Imperfecta iuuet precibus, perfecta Sacerdos
Dedicet ——

Tum illam elegantiſſimis carminibus deſcribit, & Reliquias ibi collocatas recenſens addit:

Namq; & Apoſtolici cineres ſub cælite menſà
Depoſiti placidum Chriſto ſpirantis odorem
Pulueris inter Sancta ſacri libamina reddunt.

Hanc eandem Baſilicam Nat. X. his verbis deſignat, ſimulq; eoſdem Apoſtolorum cineres memorat:

Currimus ergò fide tantùm, & prece ſupplice mixti
Ad vicina mei Felicis limina, & inde
Contiguam paribus votis adcurrimus aulam,
Atq; ab Apoſtolici cineris virtute medelam
Poſcimus. ——

V. 375.

Atq; dicatorum ſibi tutamenta locorum
Diligere. Hoc Sanctis ſtudium pietatis ineſſe
Spiritibus miranda fide documenta dederunt.
Inde recens etiam paucis opus eloquar orſis,
Dignum etenim Sancti Felicis munera in ipſo
Natali eiuſdem gratantibus edere verbis.
Non peregrina loquar, neq; tempore priſca profabor;
Finibus in noſtris, & in iſtâ Sede patratum
Nuper opus referam, quod fortè agnoſcere vobis
Promptum erit in medio, quoniam res lumine geſta eſt.
Credo ex hoc numero veſtrum propè nullus in iſto
Sit nouus auditu, quia per longinqua remotis
Fama volans iuit. Certè adſueratis in iſtâ
Vrbe aliqui per idem tempus, quo contigit, vt fur
Inlicitis animo ſtimulis agitatus auaras
Mitteret in ſacra dona manus, & ab omnibus vnam
Improbus, & demens, venerandæ inſignibus aulæ
Eligeret prædæ ſpeciem Crucis, inſcius illam
Indicio ſibi, non ſpolio fore, quam velut hamum
Piſcis edax hauſit captâ capiendus ab eſcâ.
Quis, rogo, latronem tam grandis ſpiritus auſo
Impulit, armauit, cæcauit, præcipitauit?
Vt nec ad excubias vigilum, nec ad ipſa (quod eſt plus)
Quæ cineres reuerenda tegunt altaria ſacros,

Pul-

V. 375. *Atq; dicatorum*. Neſcio quid aduerſus Eccleſiarum noſtrarum dedicationes obmurmurent Heterodoxi, quum eas etiam Sanctis honoris causâ dicemus. Sed animaduertant quæſo, quam noſtro mori ſuffragetur Paulinus.

V. 392. *Eligeret prædæ*. In Ms. eſt: *Eligeret prædæ ſpeciem Cruce*. emendaui.

V. 398. *Quæ cineres &c.* Altaribus quibuſque ſubeſſe Martyrum corpora, aut oſſa ſolebant. Quin & abſq; illis aræ ſacrari nequibant. Expreſſus eſt can. 14. Concilij Carthag. V. id interdicentis. S. Hieron. contra Vigilant. hæc habet ironicè: *Malè facit ergò Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem puluiſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria*. Synodus VII. Oecum. Can. 7. Ἐπίσκοπος χωρὶς ἁγίων λειψάνων καθιερῶν ναὸν καθαιρείσθω, ὡς παραβεβηκὼς τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις. *Epiſcopus abſq; ſacris Reliquijs conſecrans* tem-

Pulueris & Sancti virtutem halantia fragrant;
Corde repercuſſo fugeret, neq; Numine tantùm;
Sed ſpecie ſimul, & præſtantia ferret?

Multa

templum deponatur, vt ille, qui Eccleſiaſticas traditiones transgreditur. Hoc aliæ Synodi ſtatuêre. Præterire etiam nolo egregium S. Ambroſij locum in Ep. ad Marcellinam, vbi SS. Protaſij, & Geruaſij inuentione expoſitâ ita ad populum ſe dixiſſe ait: *Succedant victimæ triumphales in locum, vbi Chriſtus hoſtia eſt. Sed ille ſuper altare, qui omnibus paſſus eſt, iſti ſub altari, qui illius redempti ſunt paſſione &c.*

V. 398. *Altaria*. Roſuueidus ih Addend. ad notas in Paulini locum Ep. 12. ad Seuer. *Reliquijs Apoſtolorum, & Martyrum intra Abſidem trichora ſub altaria ſacratis*, prioribus Eccleſiæ temporibus vnicum altare in templis fuiſſe cenſet. Salmas. in Solin. Polyhiſt. pag. 1213. hæc ait: *De trichoris altaribus nugæ, Vnicum tantùm altare in templis Paulini tempore habebatur*. Tum laudata verba ita corrigit: *intra Abſidem trichoram ſub altari ſacratis*. Verum non ita certum vnum altare antiquitus ſacris in ædibus conſtitutum. En ipſe Paulinus in vnâ Baſilicâ memorat:

Quæ cineres reuerenda tegunt altaria ſacros.

Ipſe in Ep. 12. ad Seuer.

Diuinum veneranda tegunt altaria fædus
Compoſitis ſacrâ cum Cruce Martyribus.

Iterum: *Sancta Deo geminum velant altaria honorem,*
Cum Cruce Apoſtolicos quæ ſociant cineres.

Verum quidem Paulino rationem carminis ſuadere potuiſſe, vt plurali numero pro ſingulari vteretur. Sed ab ipſo etiam pluralem numerum ſolutâ in oratione vſurpatum oſtendam. Agit in eâd. Ep. de conſecrandâ vnâ Baſilicâ, ad quod opus Martyrum reliquiæ ſatis erant, *Quorum Martyrum*, inquit Paulinus, *venerandus cinis ſi ſine Crucis conſortio ſubijciatur altaribus, hic apertus titulus indicabit*. Sed & in Ep. XI. ad Seuer. de Baſilicâ per Helenam Auguſtam Hieroſolymæ conditâ ait: *Dignoq; mox ambitu conſecratur condita in Paſſionis loco Baſilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus arcano poſitam Sacrario Crucem ſeruat*. Verum audiamus & magnum Ambroſium in Ep. 4. lib. 2. ad Marcellinam. Refert ille celebrem de Portianâ Baſilicâ aduerſus Arianos defensâ hiſtoriam. Incluſus ipſe cum plebe immiſſos per vim armatos intrepidus ſuſtinebat, quum repentè nunciatur pax ab Imperatore reddita: *Certatim*, inquit, *hoc nunciare milites, irruentes in altaria oſculis ſignificare pacis inſigne*. Ergò non vnum altare, ſed plura. S. Greg. M. l. 5. Ep. 50. ad Pallad. Eccleſiæ meminit, in qua *XIII. Altaria* collocata. In Cæmeterijs item, quæ ſub Ethnicorum Imperio Eccleſiæ erant, idem eſt obſeruare. Vnum ex ijs deſcribit Aringhus Rom. Subterr. l. 3. c. 22., &

non

Multa etenim ſuberant alia, vt nouiſtis, in ipſo
Ornamenta loco, quæ ſumeret, vt Crucis auro
Parceret; intus enim latitabant myſtica vaſa
Sumendis mandata ſacris. Sed præter & aulæ
Ipſius in ſpatio varijs inſignia formis
Munera erant de more ſita, hæc quæ cernitis illic
Omni prompta die, vel circumfixa per omnes
Ordine dimenſo quaſi candelabra columnas,
Depictas extare gerunt quæ cuſpide ceras,
Lumina vt incluſis reddantur odora papyris.
At medio in ſpatio fixi laquearibus altis

Pendo-

non pauca altaria Martyrum tumulis ſuperpoſita monet. Quantò id vſitatius futurum fuit, quum Religioni libertas reddita, pluraq; Sanctorum Corpora in vnâ eâdemq; Eccleſiâ plerumq; conderentur? Ad alia propero.

V. 402. *Multa etenim ſuberant*. Conſule diſſ. XVI. de Eccleſiarum ornamentis, quam ad hæc explicanda, ne in notis nimium prolixus eſſem, ad libri calcem retraxi.

V. 409. *Ordine dimenſo*. Candelabra antiquitus in Chriſtianorum Sacris adhibita. Id ſatis in præf. diſſ. probaui. Iuuat nunc apponere S. Clementis auctoritatem in Ep. ad Iacob., licet enim tanti Pontificis illam eſſe genuinum fætum & ego vix arbitrer, adhuc apud antiquos venerabilis fuit: ait igitur: *De vaſis ſanè ſacris ita gerendum eſt: Altaris palla, canthara, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur*. Quam verò magnifica forent candelabra, hinc diſce, vbi dicuntur columnarum ad inſtar extructa.

V. 410. *Depictas extare*. Non auſim *extare* illud aut corrigere, aut immutare. Olim quoq; pingebantur cerei, idemq; mos in Eccleſiâ perdurat. Paulin. Natal. VI.

Aſt alij pictis accendant lumina ceris.

V. 411. *Lumina vt incluſis*. Idem Paulin. Natal. III. cecinit.

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Mos fuit tum Ethnicis, tum Chriſtianis ſcyrpum papyri ſpeciem cerâ circumdare, atque ex illo candelas efformare. Plinius cap. 27. lib. 16. de ſcyrpis loquens: *E quibus detracto cortice candelæ luminibus, & funeribus ſeruiunt*. Sunt etiam Antipatri carmina apud Suidam in hanc rem.

Λαμπάδα κηροχίτωνα κρόνῳ τορύρεα λύχνον
Χοίνῳ, καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον πατύρῳ.

Quæ ſic verto: *Lampadem, ceream tunicam habentem, Saturni ardentem lucernam iunco, & leni conſtrictam papyro*.

V. 412. *Fixi laquearibus*. Virgil. lib. 1. Aeneid. ita:

— Dependent lychni laquearibus altis
Incenſi —

Ipſe

Pendebant per ahena caui retinacula lychni,
Qui ſpecie arboreâ lentis quaſi vitea virgis
Brachia iactantes, ſummoq; cacumine rami
Vitreolos geſtant tamquam ſua poma caliclos,
Et quaſi vernantes accenſo lumine florent,
Denſaq; multicomis imitantur ſidera flammis,
Diſtinguuntq; graues numeroſâ luce tenebras,
Et tenerum igniculis florentibus æthera pingunt,
Dumq; tremunt liquidos crines, crebrùmq; coruſcant
Aſſiduis facibus, ſparsâ caligine noctis,
Ambiguam faciem miſcent lucem inter & vmbras,
Et dubium trepidis conſpectibus aera turbant.
Iſte ergò licet in patulo ſibi prompta videret,
Tutiùs & furanda ſibi, quoniam minus eſſet
Criminis, & pretij ſuſpenſam altaris ab orâ
Longiùs, argentoq; leuem emendare lucernam;
Sed miſer, ambitioſus, & ipsâ in fraude ſuperbus,
Tamquam vile nefas argentea ſumere furto
Spreuit, & audacem porrexit in aurea dextram,
Quæ ſimul & varijs ſcitè diſtincta lapillis
Viderat, & magnis inflarat pectora votis,
Vt pariter gemmis gauderet diues, & auro.
Sed tantùm ſceleris magni cumulatus iniquo
Pondere, peccato manſit grauis, & leuis ære;
Sacrilegum ſua pœna manet, ſua præda latronem

De-

Ipſe Paulinus Nat. VI.

Multiforeſq; cauis lychnos laquearibus aptent.

Et Natal. IX. ——— *tectoq; ſupernè*
Pendentes lychni ſpiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus, vndantes flammas leuis aura fatigat.

V. 414. *Qui ſpecie arboreâ*. Lucernas graphicè deſcribit, quæ *Lumiere* Italicè nuncupantur, quæq; Mediolani arte mirâ elaborari ſolent. Hæ pluribus conſtant ramis, aut brachijs ab vno ſtipite, aut à medio orbe in circulum tendentibus. Singuli rami cereis ſuis in cacumine grauantur, & pendentes circum vndiq; cryſtalli baccas ita gerunt, vt lumen in illas impingens nobili varietate iteretur.

V. 416. *Vitreolos*. En tibi vitreæ illæ baccæ, quas modò memorabam.

V. 427. *Altaris ab orâ*. Etiam æuo Paulini ſuſpendabantur lampades

ad

Deſeruit. Spolio furti, non crimine, nudus
Viuit inops fructu, ſed vulnere fraudis abundans.
Quamquam illum non hoc magno ſine numine Chriſti
Conſilioq; putem permiſſum crimen adeſſe,
Vt, quia vel quicquam de ſacris tollere rebus
Mente recepiſſet, ſineretur ad illa venire
In quibus admiſſi impietas inſignior eſſet.
Ante dies paucos idem confugerat illuc
Militiam ſimulans fugere, & ſuſceptus amicè
Hoſpes ab æditnis ſacram curantibus aulam,
Toto penè latens vbi menſe, cubilia, ſomnos,
Tempora cuſtodum ſimul explorauerat. Et cum
Cæpiſſet placitas meditati criminis horas,
Nocte nefas tacitâ arripuit, nulloq; labore,
Nec ſtrepitu foribus clauſis incluſus, vt vnus

Ser-

ad altaris latus. Hinc ille Natal. III.

Clara coronantur denſis altaria lychnis.

V. 441. *Permiſsum crimen:* Certè malè poſitum illud *adeſſe*. Emendo itaq; *Permiſſum crimen adiſſe*, aut *adire*.

V. 445. *Confugerat illuc*. Eccleſiarum immunitatem, ſeu aſylum multis exemplis illuſtrat V. C. Gothofr. tom. 3. Cod. Th. tit. 45. l. 1. de his qui ad Eccl. confug. Hanc ſtatuerunt poſtea Impp. Theodoſius, ac Valentinianus l. 4. eod. tit. *Pateant*, inquiunt, *Summi Dei templa timentibus. Nec ſola altaria, & oratorium templi circumiectum ad tuitionem confugientium ſancimus eſſe propoſita* &c. Idem exprimitur in aliá Theodoſij iun. Lege, ſuper quibus conſulendus laudatus Gothofredus.

V. 447. *Ab aedituis*. Aedituus apud veteres *aeditimus* etiam dicebatur, & ſacræ ædis cuſtos hoc nomine inſigniebatur. Ab Ethnicis ad Chriſtianos vocabulum translatum. Aeditui autem nil aliud ſunt, quam Oſtiarij, quorum Ordo in Eccleſiâ Dei ab ipſis eius incunabulis viguit. Hinc apud Græcos Oſtiariorum Ordo Νεωκόρων τάξις appellatur, quod nomen propriè *æditNum* ſonat. Paulini verò noſtri locus in Ep. 6. ad Seuer. ab his lucem accipiet. Inquit is: *Repentinâ vi multitudinis, ſed credo ipſius ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus ſum, fateor, inuitus, non faſtidio loci (nam teſtor ipſum, quia & ab Aeditui nomine, & officio optaui ſacram incipere ſeruitutem) ſed* &c. Vides itaq; etiam Paulini tempore Oſtiarij munus primum Clericatus gradum extitiſſe.

V. 448. *Toto penè latens*. In lege ſuperius memoratâ Imperatores immunitatem multis etiam Eccleſiæ adiacentibus locis conceſſerant, rationemque pietatis hanc adferunt: *Hanc autem ſpatij latitudinem ideò in-*

dulge-

Seruantum, quibus hoſpes erat, primos vbi ſomnos
Non vigiles Vigiles cæpere ſilentibus vmbris
Carpere, & oppreſſis obliuia ducere curis,
Ille locum ſceleri ſumens, quam nouerat vſu
Adpoſitam lychnis per noctem ex more parandis
Machinulam gradibus ſcalas præbere paratam,
Et malè ſecuro ſibi iam cuſtode relictam,
Quâ Crucis inſtar erat, quod & eſt modò perpete virgâ
Directum geminos tranſuerſo limite geſtans

Car-

dulgemus, ne in ipſo Dei Templo, & ſacroſanctis altaribus confugientium quemquam manè, vel veſpere cubare, vel pernoctare liceat. Fur igitur iſte in ipsâ Baſilicâ ſomnos carpere non ſolebat.

V. 453. *Primos vbi ſomnos*. Hinc diſce Oſtiarijs neceſſitatem impoſitam in Eccleſijs noctu cubandi, ibiq; vigilias ducendi. Conſule Hallier. p. 2. art. 1. cap. 1. de Sacr. Elect. & Morin. de Sacr. Ordin. Etiamnum in Metropolitanâ Mediolani Eccleſiâ id moris retinetur.

V. 460. *Quâ Crucis inſtar*. Inſtar hîc ſumendum pro imagine, formâ, aut figurâ. Id alibi in hoc Natali occurrit:

Ante tamen, quia res hoc poſtulat, ipſius inſtar
Enarrabo Crucis ———

Nat. XIII. *Ipſius inſtar erit Domino puer iſte beatus*
Arboris ———

Hoc eſt *imago*. Fuit hoc etiam Latio meliori vocabulum.
Virg. l. 6. Aeneid. ——*Quantum inſtar in ipſo eſt!*
Videlicet *exemplar*. Vlpian. in l. ſi ſtipulatio ff. de noui op. nuntiat. ait: *Si proponatur inſtar quoddam, & quaſi facies quædam operis facta*.

V. 461. *Tranſuerſo limite*. Limes tranſuerſus alius non eſt quam trabs tranſuerſa, quæ lateralia Crucis brachia conſtituit. Hanc infrà ità deſignat:

Quâq; cacumen habet, tranſuerſo vecte iugatur.

S. Aug. tract. 118. in Iohann. *Crux lata eſt in tranſuerſo ligno, quo extenduntur pendentis manus*. Duo itaq; ex his Cantharulis Crucis Sanctæ lateralibus brachijs ſuperponebantur. Crucem elegantiſſimè elaboratam Aringhus profert lib. 2. cap. 22. pag. 381. Rom. Subterr., in cuius brachijs candelabra duo itidem ſuperpoſita cernuntur. Huius ad inſtar ſitos fuiſſe Crucis Paulinianæ Cantharulos crediderim, quum nulla catenæ mentio occurrat, quâ hi regerentur, vti de alio mox videbimus. Hincmarus Rhem. Epiſc. in S. Remigij vitâ apud Surium Id. Ianu. ait: *Aſſumptâ igitur pallâ de Beati ſepulcro, componunt eam in modum feretri, accenſisq; ſuper Cruces cereis, atq; ſuper ceroforarijs dant voces in canticis*.

V. 462.

Cartarulos; vnum de calce catenula pendens
Suſtinet in tribus. His ſcyphulis incerta relucent
Lumina, cum fert feſta dies; Tunc verò ſine vſu
Luminis ad ſpeciem tantùm ſuſpenſa manebant.
Sed paulò Crucis ante decus de limine eodem
Continuum ſcyphus eſt argenteus aptus ad vſum:
Hunc importuno ſibi lumine prædo micantem
Protinus extinguit, namq; id quoq; nouerat idem
Sæpe ſolere mori, cum ſtuppa perarida longam
Conderet in noctem conſumpto lumen oliuo,
Nec miraturum vigilem, ſi fortè tenebras
Cerneret obducto ſubducere culmine lychno,
More putaturus noctem, non crimine, factam:
Non igitur quaſi fur, quod erat latro, ſed quaſi cuſtos
Aufert

V. 462. *Cartarulos*. Neceſſariò vox corrigenda, ac reponendum *Cantharulos*. Canthari autem ſpecies lucernæ fuere, quæ in Eccleſijs ſuſpendebantur aliarum lampadum more. Anaſtaſ. Bibl. ſæpè illorum meminit, & expreſsè in Sylueſtro: *Pharum cantharum*, ait, *ex auro puriſſimo ante altare, in quo ardet oleum nardinum piſticum, vbi candelæ ardent*. In Leone 3. *Canthara habentia in medio ceros ex argento deauratos*. *Pharocanthara* alibi etiam occurrunt, & *canthara ceroſtrata*. Cl. V. Io. Ciampinus Vrbis, ac literarum decus in eximio opere de muſiuis canthari figuram exhibet. Frequentius tamen candelabra per hanc vocem deſignata arbitror. Hac ſignificatione Canthari nomen in Ambroſianæ Eccleſiæ Ritualibus perdurat. Beroldus vetuſtiſſimus huiuſce ritus Scriptor, qui in Metropolitanæ Archiuo, & in Bibl. Ambroſ. MS. aſſeruatur, vocabulum non rarò vſurpat, vt candelabra deſignet. Exſcribam quædam loca: In Sabbati S. ritibus hæc ait: *Et tunc duo Diaconi de circumſtantibus accendunt Cereos, quos tenent cum cantharis de igne, qui eſt ſuper candelabrum maius*. Infra: *Duo Diaconi portant duo candelabra, quæ vocantur canthara cum cereis deſuper accenſis*. Item Paſchatis die: *Diaconi portant candelabra, quæ vocantur Canthara*. Et pluries alibi.

V. 462. *Vnum de calce*. Catenula pendens de Crucis calce alium cantharulum ſuſtinebat *in tribus*, nempè *in tribus catenis*.

V. 464. *Cum fert feſta dies*. Etiam in diurnis Sacris cereos accendi conſueuiſſe hinc diſce, de quâ re conſule diſſ. XVI. *Incerta* vero lumina relucere dicuntur, quia interdiu accenſa Solaris luminis vigore ita premuntur, vt vix ardere cera videatur.

V. 467. *Continuum ſcyphus*: *Scyphus* tum ſacrum vas, in quo vinum ad Miſſæ Sacrificium detinebatur, tum etiam candelabri, lampadiſue ſpecies

Aufert inlicitam ſecurus prædo rapinam,
Nec fugit, impauiduſq; manet. Tegit vna latentem
Cellula de multis, quæ per latera vndiq; magnis
Adpoſitæ tectis præbent ſecura ſepultis
Hoſpitia. Harum vnâ fur abditur, atq; vbi mane
Clauſtra patere videt, reſeratâ proſilit aulâ,
Et latebram linquens portat ſcelus. Ire parabat
Romuleam, vt poſt iam captus narrabat, ad Vrbem;
Illic infandæ acturus commercia fraudis.
Interea ignaris noſtris nox illa dieſq;
Totus obit. Sero ſolitum iam veſpere munus
Curantes poſuere gradus. Vt ſcandere cæpit
Facturus lychnum, nihil inuenit. Orba manebat
Virga Crucis ſolitæ, pulchro ſpoliata monili.
Palleſcunt miſeri, neq; damnum criminis audent
Prodere noſcentes etiam ſibi poſſe reatum
Competere. Abſcedunt trepidi, fugiuntq; latronem
Sectantes profugum. Nuſquam veſtigia lapſi
Vlla legunt. Omnes adeunt diuerſa viarum,
Scrutanturq; ſitos diuerſo litore portus.
Effluxere dies fruſtrà quærentibus octo,
Siue decem, & cunctis vacuâ iam indage recurſis
Vnus quærentum puer irritus ipſe laboris
Incaſsùm fuſi longâ regione redibat,
Et prope iam Nolam veniens ſubſiſtit in ipſo
Aggere, & ingenti gemitu, fletuq; profuſo
Felicem clamans præſumit corde fideli
Non remeare domum, niſi cum Cruce. Moxq; peractum
Promptus iter relegit, fitq; illicet obuius illi
Quidam homo qui furem, non furem, ſed quaſi ciuem
Norat eum. Noſter primus rogat, vndè viator
Adforet. Ille refert. Rurſus de fure rogatus,

Si

cies fuit, ita à calicis ſimilitudine appellatus. Cap. 25. & 37. Exodi, & alibi hoc ſenſu vſurpatur *ſcyphorum* vox, & in Græcâ editione κρατῆρες dicuntur.

V. 478. *Cellula*. Recurre ad diſſ. XVII., vbi etiam in Eccleſijs priuatos homines ſepulcri locum inueniſſe probaui, ſimulq; hanc vocem illuſtrare ſtudui.

V. 509.

Si vidiſſet eum, reſpondit at ille, propinquis
Inde locis agere, & regio prope ipſos,
Dum loquerentur, erat monti coniuncta Beſæuo,
Quintus ab vrbe lapis Nolâ. Sed veſperis ortus
Conſilium differt. Placet vt lux craſtina rurſus
Iungat vtrumq; ſibi. Fit mane; Reuertitur index;
Perducit noſtros; capitur fur; præda refertur.
Fortè ſacrata dies inluxerat illa Beati
Natalem Priſci referens, quem Nola celebrat,
Quamuis ille aliâ Nucerinus Epiſcopus vrbe
Sederit. Ecce ipſam Sancti Felicis in aulam,
Quam tunc ſolemni populus ſtipauit honore,
Poſt Sacra iam ſoluente pios Antiſtite cætus,
Tempore prouiſo diuinitus egredientis
Plebis in occurſum ſubitò introducitur ille
Furaces poſt terga manus nodata reuinctus.
Lætitiâ populus, formidine prædo repletur;
Vtq; nouum ad monſtrum totâ concurritur Vrbe.

Turba

V. 509. *Et regio prope*. Claudicat verſus, ac propterea addendum Epithetum, dicis causâ: *Et regio monſtrata prope ipſos*.

V. 510. *Beſæuo*. Græcorum aliquorum more V. conſonans per B. effert. Apud hos non rarò Βεσύβιος, & Βέσβιος nuncupatur Veſuuius. Celebre eſt Agellij effatum de ijs Virgilij verſibus: *Vicina Veſæuo Ora iugo*; ait enim Poetam ſcripſiſſe prius *Nola iugo*, at ob negatum à Nolanis aquæ petitæ beneficium pro *Nola* repoſuiſſe *Ora*. Fidem ſeruamus Auctori. Veſuuium montem ab vrbe Nolâ quinq; paſſuum millia diſtare docet quoq; Ambr. Leo lib. 2. de Nolâ cap. 3.

V. 516. *Natalem Priſci*. Nuceriæ duæ. In Vmbriâ vna, in Picentibus altera. Poſtrema hæc *Nuceria Paganorum* nominatim dicta, eiuſq; Epiſcopus fuit S. Priſcus. Vghellus tom. 7. Ital. ſacræ hæc de illo profert: *S. Priſcus primus huius Eccleſiæ Epiſcopus cenſetur ſub Nerone coronatus, cuius dies feſtus agitur IX. Maij in Martyrol. Rom., de quo Bar. in notis, Eſtq; Diuus tutelaris*. In Martyrol. hodierno nil tamen de hoc Sancto occurrit, vnde Vghellum ſuſpicari licet hallucinatum, ac pro Ferrario Baronium, eiuſq; notas memoraſſe. Illi Cathedralis à Nucerinis dicata, ac tutelaris apud illos eſt ſemper habitus. Agunt de hoc Sancto ad diem IX. Maij in Act. SS. Cl. Viri Henſcherius, & Papebrocius, qui tamen incertam fatentur huius hiſtoriam, ſicuti incertiſſimum etiam eſt Martyrij tempus. Ego Nucerinis gratulor, quod illuſtrem ante tot ſecula S. Epiſcopi memoriam primus è tenebris eruerim; Quam enim ce-

lebris

Turba furens odijs popularibus ibat in illum;
Lætitia incertos miſcebat & ira tumultus.
Pertimui, fateor, ne fortè Diabolus illâ,
Quâ ſolet, inuidiâ violaret ſanguine pompam,
Et peiore prius curaret vulnere vulnus.
Eripitur populo, cellâque includitur ipsâ
(Quod ſic fortè reo capto tunc accidit) in quâ
Delituit raptâ Cruce, quâ poſt ipſe repertâ
Clauditur, vt viuat. Tunc ergò vt mente receptâ
Ipſe ſuum facinus reus, atque obſtacula cæpit
Mirandis narrare modis, faſſusque per illos
Octo, decemue dies, quibus ire parauerat Vrbem
Romuleam, implicitis ita ſe pedibus retroactum,
Semper vt ire parans, ſemper retrahente rediret
Neſcio quó, rurſusq; illam remearet ad oram
Beſæui, quâ iuſſus erat quaſi carcere claudi,
Angelicâ nectente manu. Tamen ille putabat
Arbitrij miſer eſſe tui, quod corpore liber
Eſſe videbatur, quem non extante catenâ
Fortior arcanis retinebat dextera vinclis.
Vltor eum digno Felix errore ligabat
Et tali mentem vertigine circumagebat,
Semper vt abſcedens nuſquam deſcendere tectum
Proſiliente gradu cæpiſſet abire rediret.
Mira fides! ibat ſtando, remanebat eundo,
Neſcius hoc ipſo, pro quo fugitare parabat,
Ne fugeret fieri, & ſecum ſua vincla manere,
Inruptamq; ſibi proprium ſcelus eſſe catenam.
Namq; ſinu clauſæ mandauerat inſita prædæ
Pondera, & hinc auidam quaſi captus mente latebram
Quærens, luce tamen campis errabat apertis,
Seq; latere putans extabat in æquore claro.

Con-

lebris ille fuit, cuius natalitius dies non Nuceriæ modò, ſed & in alijs vrbibus Paulini tempore colebatur!

V. 534. *Tunc ergò*. Textum correxi, vbi *Tunc ego*. Nempè verſus claudicabat.

V. 557. *In æquore*. Mendum certè exſcriptoris, ac poſitum pro *æthere*, aut *aere claro*.

V. 561.

Conſcia ſic mentem impietas cæcauerat, vt nec
Effugeret fugiens, nec celaretur aberrans
Sentibus aduerſis. Metus hinc, ſtupor inde nocentem
Miſcuerant animam, vitabat ſtrata viarum,
Secretos metuebat iners accedere ſaltus;
Ipſa etiam in ſyluis ſibi fortè ſilentia tantum
Clamatura nefas metuens, aut triſtia formis
Occurſura putans vltricum monſtra ferarum.
Inde miſer celebri ſeductus ab aggere iuxtà
Deuius in quodam ſpatiabatur ſibi rure,
Securum ignaris ſimulans, ſed corde timorem
Vt facinus ſub veſte premens, nam veſtis in altum
Succinctæ ſinibus clauſum mandauerat aurum;
Nam neq; vel tacitæ furtum committere terræ
Auſus erat, ſpecubuſue cauis de more latronum,
Indicium metuens credendæ fraudis auarus,
Inde ſuæ tantùm tunicæ ſua furta nefandus
Crediderat. Quare ſtrictum nudarat amictum
Suſpendens fluidam nudato poplite veſtem.
Hanc prædo pænam ſceleris tunc ſemet in ipſo
Struxerat, & dignè tali eſt formidine vinctus,
Crederet vt nullis miſeri conſortia furti,
Vt ſceleris tanti contagia ſolus haberet,
Et ſinus illius fieret cuſtodia furti,

Cuius

V. 561. *Strata viarum*. Vide quæ de ſtratis collegi ad verſ. 375. Nat. XII., vbi de his fusè.

V. 577. *Hanc prædo*. MS. ita habet: *Hanc ſibi prædo pænam*. Sed ſyllabâ verſus abundabat. Errorem Amanuenſium reparaui.

V. 581. *Et ſinus illius*. Deſcripſerat modò Paulinus tunicam, quæ vulgaribus hominibus in vſu fuit. De illâ audiendus Quinctilianus lib. XI. *Cui laticlaui ius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulùm, poſterioribus ad medios poplites vſq; perueniant*. Cingebant autem Romani tunicam, & prout libebat, illam contrahebant, aut dimittebant, interdum ita laxabant, vt ſinu facto ibi celare aliquid poſſent. Inquit ſupra Paulin.

———— veſtis in altum
Succinctæ ſinibus clauſum mandauerat aurum,
Suſpendens fluidam nudato poplite veſtem.

Hoc idem fieri ſolitum docet Plutarchus in Coriolano, vbi Candidatos

olim

Cuius ſacrilegam fuerat manus auſa rapinam;
Ipſe ſuum ſibi ferret onus, ſolumq; grauaret,
Pollueretq; ſuæ lethalis ſarcina prædę;
Vt nihil ex illo vacuum impietate maneret;
Qui ſpolium ſceleris ſacris ex ædibus actum
Includens habitu cincto contingeret ipſum,
Atq; ſuis ſignum prætenderet ipſe catenis.
Namq; breui captus mutauit cingula vinclis,
Vtq; aurum finibus diſcinctâ veſte ſolutis
Decidit, ex ipsâ fuerat quâ cinctus habenâ
Vinctus eas, quas in ſacra dona tetenderat audax
Prædo manus, proprij captus nodamine lori
Rettulit, & prædæ vacuas, & rete repletas.
Verùm ſi penitus totam ſpectare velimus
Ordinis exacti ſeriem magis, ac magis omni
In ſpecie, vel quâ latuit, quâue arte recluſus
Claruit, admiranda Dei cernemus operta
Felicem geſſiſſe manu. Iam plurima retrò
Diximus, vt fugiens non fugerit, vtq; redactis
Paſſibus emenſos ſua per veſtigia curſus
Incaſſum totiens voluente relegerit orſo,
Longinquis excluſus, & ad vicina recurſus.
Nunc aliud Felicis opus, quod dextera Chriſti
Edidit, vt meritum cari monſtraret alumni,
Commemorabo pari ſpecimen mirabile ſigno,
Quod reus ipſe tremens confeſſo prodidit auſo.
Ante tamen, quia res hæc poſtulat, ipſius inſtar
Enarrabo Crucis, qualem & pictura biformem
Pingere conſueuit, baculo vel ſtante bicornem,
Vel per quinque tribus diſpanſam cornua virgis.

Forma olim ſine tunicis ad Comitia acceſſiſſe ait, ne incluſo in eiſdem auro ſuffragia mercarentur: *Ἄζωστον ἐβούλοντο προϊέναι, καὶ ἀχίτωνα τοῖς πολίταις τὸν δεόμενον αὐτῶν. Diſcinctum volebant, ac ſine tunicâ ad Ciues accedere candidatum.* Ouid. Amor. lib. 1.

Quid puerum Veneris pretio proſtare iubetis?
Quô pretium condat non habet ille ſinum.

Horat. lib. 2. Sat. 3.

Ferre ſinu laxo, donare, & ludere vidi.

 Super

Forma Crucis geminâ ſpecie componitur, & nunc
Antemnæ ſpeciem naualis imagine mali,
Siue notam Græcis ſolitam ſignare trecentos
Explicat exiſtens, cum ſtipite figitur vno,
Quâq; cacumen habet tranſuerſo vecte iugatur:
Nunc eadem Crux diſſimili compacta paratu Eloqui-

Super his Conſule Oct. Ferrar. de re veſt.

V. 612. *Forma Crucis*. Elegantiſſima eſt Crucis iſta deſcriptio; Hanc duplici modo effingi dicit. Alius Crucem exhibet eius ad inſtar, in quâ Chriſtus Redemptionem noſtram conſummauit; alius verò Monogramma Græcis, Latiniſq; notum profert. Singula diſpiciamus.

V. 613. *Antemnæ ſpeciem*. Minutius in Octau. *Signum ſanè*, ait, *Crucis naturaliter viſimus in naui, cum velis tumentibus vehitur*. Auctor Poematis de Paſcha, quod S. Cypriano adſcribitur, ſed à Beda Victorino Pictau. vindicatur:

Arboris hæc ſpecies vno de ſtipite ſurgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos,
Sicut plena graues antennæ carbaſa tendunt.

I. Iuſtinus Apol. 2. κατανοήσατε πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, εἰ ἄνευ τοῦ σχήματος τούτου διοικεῖται, ἢ κοινωνίαν ἔχειν δύναται. θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται ἐὰν μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον, ὃ καλεῖται ἱστίον, ἐν τῇ νηῒ σῶον μένῃ. *Conſiderate omnia, quæ in mundo ſunt, an ſine ſigno hoc* (Cruce) *gubernentur, aut poſſint præbere ſui vſum. Mare etenim non ſecatur, niſi trophæum hoc, quod appellatur malus, ſaluum in naui maneat.* Auctor. ſer. 56. tom. 3. op. S. Ambr. ſeu ille S. Maximus, ſeu Ambroſius ſit, id luculenter aſſerit. Origen. Hom. 8. in diuerſ. inquit: *Antemnæ nauium, velorum cornua ſub figurâ noſtræ Crucis volitant.*

V. 614. *Siue notam Græcis*. Hoc eſt Tau. Vide quæ congeſſi in diſſ. XXI.

V. 617. *Nunc eadem Crux*. Monogramma Chriſti nomen fuit compendioſè ſcriptum. Hoc antiquis vexillis, quæ Labara nuncupantur, Conſtantinus Magnus addidit, quum Chriſtianorum alio primus nomen ſuum dedit. Euſeb. lib. 2. cap. 8. de vit. Conſt. hoc ſignum τῶν ἄλλων τιμιώτερον, *aliijs pretioſius, ac ſanctius*, habitum aſſerit. Videndus Gretſer. in egregio Opere de S. Cruce lib. 2. cap. 38. & ſequ. Brentius hæreticus perquam famoſus Monogramma aiebat nullam habere formam Crucis, ſed ſignificare tantùm hanc vocem *Chriſtus*. En vt illum Paulinus noſter impudentiæ arguit, dum ita loquitur:

Nunc eadem Crux diſſimili compacta paratu
Eloquitur Dominum tamquam Monogrammate Chriſtum.

Eſt hoc planè Crucis exhibere figuram. Effingebatur autem ita Monogramma.



V. 619.

Eloquitur Dominum tamquam monogrammate Chriſtum.
Nam nota, quâ bis quinq; notat numerante Latino
Calculus, hæc Græcis Chi ſcribitur, & mediam Rho,
Cuius apex & ſigna tenet, quod rurſus ad ipſam
Curuatum virgam facit O, velut orbe peracto;
Nam rigor obſtipus facit I, quod in Ellade Iota eſt,
Tau idem ſtylus ipſe breui retrò à cacumine ductus

Effi.

V. 619. *Nam nota.* Numerus *decem* per X. exprimitur apud Latinos. Hæc eadem litera apud Græcos *Chi* dicitur.

V. 620. *Et mediam Rho.* Fortè ſcribendum: *Et medium eſt Rho.*

V. 621. *Et ſigna tenet.* Ad efformandum Chriſti Græcum nomen, hoc eſt Χριστὸς, vtique ſeptem elementa concurrunt, quæ tamen ſex melius vocantur, quia vnum ſigma vtrobique inſervit. Quum verò adnumerarit Paulinus X. P. I. T. O., nihil de Σ. addit. Cenſerem itaq; pro *Signa* ſcribendum *Sigma.* Hoc autem elementum dupliciter olim Effigebatur; modò enim Σ. & modò C. exaratum inuenimus. Illud in nummis antiquioribus Græcis obſeruare eſt, alterum, teſtante Spanhemio diſſ. 2. de Præſt. & vſ. Numiſm., poſt Domitiani tempora ita in vſu fuit, vt prioris veſtigia vix deprehendantur. Adſunt etiam in Inſcriptionibus quibuſdam Chriſtianorum notæ iſtæ XC. hoc eſt XPICTOC, *Chriſtus*, Equidem fateor me nondum ſatis perſpexiſſe, quomodò Sigma iſtud in Monogrammate exprimatur, vt verum fiat, quod hîc Paulinus canit:

——— *Atq; ita ſex, quibus omni nomine nomen*
Celſius exprimitur, coeunt elementa ſub vno
Indice. ———

Et infra: *Sex itaq; vna notas ſimul exprimit.*

Neque enim Σ ibidem cernitur. Cenſeo tamen alteram eiuſdem *Sigmæ* figuram, nempe C, in Monogrammate conſtitutam, ſi partem lineæ rectæ, partemq; conuexæ literam Rho conſtituentium ſumamus. Aliter Paulinus explicari nequit.

V. 622. *Facit O.* Ita ego repoſui, quum in Codice ſcribatur *facit* ω, non enim Omega, ſed Omicron in voce Χριστὸς occurrit. Illud verò ſatis exprimitur in lineâ curuatâ ipſius P.

V. 623. *Facit I.* Demptâ ex P lineâ curuâ, purum ſupereſt Iota I.

V. 624. *Tau idem ſtylus.* Poſito Iota ſi lineam tranſuerſam eius cacumini ſuperponas, habes T., cuius altera pars in ſinum curuata integrum deindè P. præbebit. Animaduerti autem in antiquis Labaris aliquantulum protendi ſummam lineam ipſius Rho ad ſiniſtram, quæ protenſio etiam Paulino dicitur breuis. Huius obſeruationis exempla ab Aringho petes in Rom. ſubterr. l. 4. c. 27. pag. 175. & 178. l. 6. c. 50. pag. 685. l. 3. c. 22. pag. 524. Annulum etiam præfatus Aringhus exhibet, in quo Monogramma ita expreſſum, vt integrum quoq; Tau ibi conſpicias.

Efficit, atque ita ſex, quibus omni nomine nomen
Celſius exprimitur, coeunt elementa ſub vno
Indice, & vna tribus formatur litera virgis.
Sex itaq; vna notas ſimul exprimit, & tribus vna
Significat virgis Dominum ſimul eſſe ter vnum.
Et Deus in Chriſto eſt, quem ſumpto corpore naſci
Pro nobis voluit Trinæ concordia mentis,
Idq; Sacramenti eſt, geminæ quod in vtraq; virgæ
Vt deducta pari faſtigia fine ſupinant,
Infra autem diſtante ſitu parili pede conſtant,
Adfixæq; ſibi mediâ compage cohærent,
Et paribus ſpectant diſcreta cacumina ſummi.
His intermedio coeuntibus inſita puncto
Virga quaſi ſceptrum Regale ſuperbius extat,
Significans regnare Deum ſuper omnia Chriſtum;
Qui Cruce diſpansâ per quatuor extima ligni
Quatuor adtingit dimenſum partibus Orbem,

Vt

ſpicias. Sex itaq; literas, quod infra Paulinus aſſerit, in Monogrammate delineatas nanciſcêris. Neq; ſenſus, neq; carmen hîc ſibi conſtant. Supprimendum iccircò illud *Idem*; reliquum carmen ſi pro *cacumine* legas acumine, ita reſtitui poſſet:

Tau ſtylus ipſe breui retrorſum acumine ductus.

V. 627. *Vna tribus*. Virgæ duæ ad conſtituendum X., vna verò dumtaxat ad efformandum P. concurrunt. Et hinc ſublime Triadis myſterium educit Paulinus. X. duabus conſtare virgis ſubiecta docent carmina.

Idq; Sacramenti eſt, geminæ quod in vtraq; virgæ
Vt deducta pari faſtigia fine ſupinant,
Infra autem diſtante ſitu parili pede conſtant,
Adfixæq; ſibi mediâ compage cohærent.

V. 636. *Cacumina ſummi*. Mendum, cui apponere manum haud ſcio. Fortè ſcribendo *ſummis*, intelligi poſſet paribus extremis diſcreta cacumina, ideſt paribus extremitatibus. Feliciùs emendent alij.

V. 637. *His intermedio*. Ita lego. Ms. habet: *Has inter medio*.

V. 640. *Extima ligni*. An ex ligno Monogramma efformari ſolitum? Ne credas. Hîc itaq; legendum duco *extima Signi*.

V. 641. *Quatuor adtingit*. S. Ambr. Serm. 56., ſeu vt meliùs dicam, S. Maximus ita ſcribit: *Cælum quoq; ipſum huius ſigni figurâ diſpoſitum eſt; nam cum quatuor partibus, hoc eſt Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septemtrione diſtinguitur, quatuor quaſi Crucis angulis continetur.*

Greg.

Vt trahat ad vitam populos ex omnibus oris.
Et quia morte Crucis cunctis Deus omnia Chriſtus
Extat in exortum vitæ, finemq; malorum,
Alpha Crucem circumſtat, & ω, tribus vtraq; virgis
Litera diuerſam trinâ ratione figuram
Perficiens, quia perfectum eſt mens vna, triplex vis:
Alpha itidem mihi Chriſtus, & ω, qui ſumma ſupremis
Finibus excelſi pariter complexus, & imi,
Victor & inferna, & pariter cæleſtia cepit,
Effractiſq; Abyſis cælos penetrauit apertos,
Victricem referens ſuperatâ morte ſalutem.
Vtq; illum patriæ iunxit victoria dextræ,
Corporeum ſtatuit cæleſti in ſede tropæum,
Vexillumq; Crucis ſuper omnia ſidera fixit.
Illa igitur ſpecies, quam fur agitatus auaris
Incaſſum furijs pendente refixerat vnco,
Pollutâq manu ſanctâ amandauerat aulâ,
Hoc opere eſt perfecta, modis vt conſita miris

Æter-

Greg. Nyſſ. Orat. de Chriſti Reſurr. hæc de Cruce ab Apoſtolo memoratâ habet: *Nouit enim eâ figurâ quatuor cornibus è medio prouenientibus deſcriptâ potentiam, ac prouidentiam illius, qui ex ipsâ pependit, declarari*. S. Hier. (ſeu quis alius ſit Auctor ille) in cap. 11. Marci. *Ipſa ſpecies Crucis quid eſt niſi forma quadrata Mundi?*

V. 645. *Alpha Crucem.* In plurimis Græcorum numiſmatis, ac in omnibus fermè veterũ Chriſtianorũ ſepulcralibus notis Monogramma inuenias cũ literis A. & Ω. vtrinq; locatis, hoc modo α  ω. Appoſitè ad illud Apocal. cap. 1. Ἐγώ εἰμι Α καὶ Ω, λέγει ὁ Κύριος ὁ θεὸς, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχ. *Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis, primus, & nouiſſimus*. Clemens Alex. lib. 1. παιδαγ. εἰκότως γάλα αὖθις ὑπισχνεῖται τοῖς δικαίοις ὁ Κύριος, ἵνα δὲ σαφῶς ὁ λόγος ἄμφω δειχθῇ Α καὶ Ω. ἀρχὴ, καὶ τέλος. *Meritò rurſus lac iuſtis pollicetur Dominus, vt manifeſtè Verbum vtrumq; eſſe oſtendatur, Alpha, & Omega, principium, & finis.*

V. 645. *Tribus vtraq;* Tres virgæ A componunt. Duæ etenim in cacumine coeuntes tertiam ſinu complectuntur. Similiter Omega tali figurâ delineatum ω. tres exhibet virgas, queis magnum Trinitatis myſterium aperitur.

V. 654. *Tropæum*. Ita Codex noſter, & ad veræ orthographiæ amuſſim. Bulengerus in Opuſc. de Spol. bell. *trophæum* potius legendum cenſet propter vſus conſtantiam, neq; tamen diffitetur rectiùs *Tropæum* dici.

Ver-

Æternæ Crucis effigiem deſignet vtramq;
Vt modò ſi libeat ſpectari cominus ipſam,
Prompta fides oculis; nam reddita fulget in ipſo;
Quo fuerat prius apta loco, & velamine clauſi
Altaris faciem ſigno pietatis adornat.
Ergò eadem ſpecies formam Crucis exerit illam,

Quæ

Verbum è Greciâ prodijt, a quâ ita exprimitur *τρόπαιον* videlicet *tropæum*. Ger. Io. Voſſius in Etymol. hanc lectionem tuetur. Sanè vetuſti Codices ita legunt, quos & ego conſului, & Virgilianus Codex antiquiſſimus in Florentinâ M. Ducis Bibliothecâ aſſeruatus ſub curâ Cl. viri, eximijq; in re literariâ fulgoris Antonij Magliabechij *tropæum* non *trophæum* inſcriptum habet. Neq; ipſa diſſentiunt marmora. Vide Dauſquium in orthogr.

V. 660. *Aeternæ Crucis*. Non purum putumq; Monogramma fuit Crux à Paulino deſcripta, verùm vulgaris etiam Crucis imagini iunctum erat. Omnia percurri Monogrammatis exempla tum in vetuſtis nummis, tum in ſepulcralibus monimentis, neq; mihi vtramq; hanc effigiem ſimul copulatam nanciſci fas fuit. Vnum tantùm, atq; egregium huius eruditionis teſtimonium occurrit apud Aringhum in Rom. Subterr. lib. 2. cap. 10. pag. 311. Exhibetur ibi marmorei Sarcophagi ex Vaticano cæmeterio effoſſi icon, in quo XII. Apoſtolorum imagines eleganter delineatæ cernuntur. Media inter illos gemmatæ Crucis forma conſpicitur, eodem planè modo, quo Crux vulgaris efformatur, nempè tranſuerſo ligno. Ab haſtæ rectæ ſuperiori cacumine ſacrum attollitur Monogramma venuſtâ coronâ circumdatum. Huius ad inſtar Paulinianam Crucem elaboratam autumo.

V. 163. *Velamine*. Fortè ſcripſit Paulinus: *Velamine clauſa altaris faciem &c.* quod puriorem ſenſum efficeret. Solebant autem altaria velo claudi ad eius ſimilitudinem, quod olim fuit in Salomonis templo ante Sancta Sanctorum 2. Paralip. 3., quodq; *περιπέτασμα τοῦ ἀδύτου* *velum Adyti* vocabatur. Theodoritus lib. 1. Hiſt. cap. 31. *διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι*. *Ornabatur autem & Diuinum Altare regijs velis*. Conc. Tolet. cap. 7. *Qui inſanâ temeritate abrepti altaria nudantes ſacratis veſtibus exuunt*. Anaſtaſ. in Steph. 2. ait: *In circuitu altaris fecit tetraucla octo*. Item: *ſuper altare in Eccleſiâ S. Laurentij coopertorium fecit*.

V. 664. *Altaris faciem*. Cruces in Altaribus antiquitus collocabantur, quicquid obmurmurent heterodoxi. S. Io. Chryſ. orat. *quod Chriſtus ſit Deus*: ait: *in menſâ ſacrâ Crux*. Egregius porrò eſt in hanc rem Sozomeni locus lib. 2. cap. 3. Hiſt. Eccl. vbi narrat Probiano cuidam, qui ex Ethnico Chriſtianus factus Crucis tamen virtutem non admittebat, oblatum per viſionem fuiſſe *Σταυροῦ σύμβολον τῶν ἀνακειμένων ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ*

τῆς

Quæ trutinam æquato libratam ſtamine ſignat;
Subrectoq; iugum concors temone figurat,
Siue ſupercilijs à fronte iugantia vultum
Lumina tranſuerſis imitatur cornibus arbor
Ardua, quâ Dominus mundo trepidante pependit
Innocuum fundens pro peccatore cruorem.
Huic autem ſolido quam pondere regula duplex
Iungit, in extremâ producti calce metalli
Parua corona ſubeſt varijs circumdata gemmis.
Hæc quoq; Crux Domini tamquam diademate cincta
Emicat æternâ vitalis imagine ligni.
Hanc fur ille ſui toto de corpore furti
Intactam ferro, quo cetera fregerat, vnam
Liquit, & vt capto tunc diſcinctoq; refuſis
Veſtibus, elapſæ ceciderunt fragmina prædæ:
Viſa rei ſpecies tunc inuentoribus ipſis
Ancipiti motu confudit pectora. Gaudent
Inuentis, ſed fracta dolent. cum quærere cauſam
Incipiunt, cautum ſimul, audacemque latronem
Mirantes cæcum fractis, cautumq; relictis.
Tunc ille adtonitis crimen, Numenque fatetur,

Mente

τῆς ἐνθάδε ἐκκλησίας, *Crucis ſignum, ſeu effigiem, quæ in ſacro eius Eccleſiæ altari collocata erat.* Hanc quidem hiſtoriam mendaciſſimi Centuriatores cent. 4. c. 13. ſuperſtitioſam vocant, & à Conſtantini tempore alienam, à Sozomeno confictam, vel ſtultè pro verâ acceptam. Sed nos non morantur eorum calumniæ. Sigebert. ad A. C. 451. Crucem auream in Altari fuiſſe docet, quum Epiſcopus Vaſatenſis Miſſam celebraret. Hæc rectè animaduertit Gretſer. cap. 13. lib. 2. de S. Cruce. Quibus adde quæ habet Can. 3. Concil. Turonenſis habiti A. 567. (non vt quidam putant 570.) *Vt Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo componatur.* Qui canon profectò de Cruce in altari poſitâ intelligendus. Hinc lucem accipit Paulini carmen, de Cruce.

Altaris faciem ſigno pietatis adornat.

V. 666. *Quæ trutinam.* MS. ità ſe habebat: *Quæ trutinam æquatæ librata ſtamine &c.* Emendaui. Recurre ad ea, quæ diſſerui in diſſ. XXI.

V. 667. *Subrectoque iugum.* Ita ſcribendum duxi, non *ſubrepto*, vt in MS. conſule eandem diſſ. XXI.

V. 668. *Siue ſupercilijs.* De his in præd. diſſ. XXI.

V. 674. *Parua corona.* Cruces coronâ circumdatæ pingi ſolebant.

Idem

Mente etenim placida conſederat; hoc tamen vnum
Numine ſeruarat, quo Crux incluſa vetabat
Quamlibet audacem ſegni virtute latronem.
Ipſe fatebatur mentis ſcelus, atque Crucis vim
Conteſtans quotienſque manus armaſſet in illam
In Cruce conſertam ſociâ compage coronam,
Ceu fractas totiens ictu cecidiſſe recuſſo,
Brachiaque ægra ſibi neruis ſtupuiſſe ſolutis.
Hîc libet in miſerum paucis inſurgere furem:
Infelix quæ tanta tuam dementia mentem
Verterat, vt tanto reprehenſus lumine veri
Non feſtinares omnem præuertere curſu
Indagem reuolans, vt furtum ſponte referres?
Tantane vis animum tenebris oppreſſit auaris,
Auderes illam vt gremio tibi condere partem,
Quam totiens arcente Deo violare timebas?
Dic mihi: quâ pauor ille tuus fugiebat, & vnde?
Rurſus vt intrepidum præceps audacia ſenſum
Tam malè durabat, pauidus, contemptor & idem,
Eiuſdem ſceleris ſpeciem diuerſus abibas,
Perfidiæque fidem diuiſo pectore miſcens,

Idem nos edocet Paulin. Ep, 12. ad Seuer. vbi ſic ait:
Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
Stare Crucem duro ſpondentem celſa labori
Præmia, tolle Crucem qui vis auferre coronam.
Ibidem: *Ardua floriferæ Crux cingitur orbe coronæ.*
Iterum: *Crucem corona lucido cingit gyro,*
Cui coronæ ſunt corona Apoſtoli.
De coronis item Crucem ambientibus hæc ibidem carmina ſunt capienda:
Sanctorum labor, & merces ſibi ritè cohærent,
Ardua Crux, pretiumq; Crucis ſublime coronæ.

Greg. Nazianz. in Iulian. Orat. 1. idem expreſſit. τὸ δ' οὖν λεγόμενον ὅτι θυομένῳ τὰ σπλάγχνα τὸν σταυρὸν ἀναδείκνυσι στεφανούμενον, *Ferunt quum Iulianus ſacrificaret, victimarum exta coronatam Crucis effigiem illi oſtendiſſe.* Harum Crucium exempla in pluribus Chriſtianorum Impp. numiſmatis occurrunt. Vide quæ Aringh. in Rom. Subterr. habet, & Gretſer. lib. 2. cap. 11. de S. Cruce, & ex eo Roſuueid. in not. ad prælaudatam Paulini Epiſtolam.

V. 687. *Mente etenim.* Quum pede carmen laboraret, ex coniecturâ addidi illud *placidâ.*

Virtutem Crucis, & ſignum inuiolabile Chriſti
Credebas metuendo fidem confringere ferro;
Et quod noſcebas metuens, portando negabas:
Sed tamen impietas tua nec tibi profuit, & nos
Stultitiam confeſſe tuam, diuinaque ſigna
Feciſti magno Crucis exultare triumpho.
Ergò relinquamus captum iam inceſſere furem;
Cui ſatis ad pænam eſt ſpoliatæ fraudis egeſtas.
Nunc ad te veneranda Dei Crux verto loquelas,
Gratanteſque tuâ concludam laude profatus:
O Crux magna Dei pietas, Crux gloria Cæli,
Crux æterna ſalus hominis, Crux terror iniquis,
Et virtus iuſtis, lumenque fidelibus. O Crux,
Quæ terris in carne Deum ſeruire ſaluti,
Inque Deo cælis hominem regnare dediſti.
Per te lux patuit veri, nox impia fugit.
Tu deſtruxiſti credentibus eruta fana
Gentibus, humanæ concors tu fibula pacis
Concilians hominem medij per fædera Chriſti,
Facta hominis gradus es, quo poſſit in æthera ferri;
Eſto columna pijs tu ſemper, & anchora nobis
Vt benè noſtra domus maneat, benè claſſis agatur
In Cruce nixa Fidem, & de Cruce nacta coronam.

V. 711. *Sed tamen impietas*. Aberat in MS. *profuit*. Senſus, & carmen poſcebant. Idcircò adieci,

AD SANCTI PAULINI NATALEM DVODECIMVM.

PRÆFATIO.

ANno Chriſti 405. Natalem hunc cecinit S. PAVLINVS. Tria verò Sancti Felicis miracula complectitur. Quidam Beato Confeſſori ſuem vouerat, diuiſiſque inter pauperes exiguis victimæ partibus votum completum arbitratus abibat. Mirabiliter è cælo tactus ex equo ruit, pedeſque ſecretis compedibus laborare dolet. Ad S. Felicis Baſilicam rurſus defertur. Ibi Sanctum precibus, & carnium diſtributione demulcet, priſtinâque ſanitate diuinitus donatur. Apuli quidam agricolæ ſuem alium S. Felici votiuum Nolam trahere conantur. Animal ſaginâ oppreſſum pio deſiderio obſtat, primoque in itinere greſſu deſtituitur. Hi aliter votum completuri ad S. Felicis pergunt. Inſcijs ipſis per plura paſſuum millia, nulloque hominum ducente, ſua ſponte Nolam defertur. Miraculum cuncti ſtupent, & hoſtiâ improuiſâ Nolanos pauperes alunt. Poſtremum prodigium agricolis alijs accidit. Iuuencam & ipſi glorioſo Confeſſori vouent. Hæc plauſtro iungi renuit, & è Dominorum manibus furioſa dilabitur. Sponte dein ipſorum iter comitatur, & non ſine miraculo manſuefacta ſe ad ſecurim ſiſtit. Omnia fusè, atq; eleganter à PAVLINO canuntur.

SANCTI PAVLINI EPISCOPI NOLANI

NATALIS DVODECIMVS.

SÆpè boni Domini caris famulantur alumnis
Mente piâ, patrio ſubiecta tuentur amore
Mancipia, hiſque fauent curâ propiore fouendis,
Quos magis indiguos opis, & virtute carentes
Affectu rimante vident. Et ſi quis eorum,
Moris vt humani ſolemnis poſtulat vſus,
Votum aliquod celebrare velit, neque poſſit egenis
Id patrare opibus, ſtudio curatur herili
Seruus inops, cui diues opum, queis pauper egebat,
Contulerit Dominus cumulandæ impendia menſæ.
Hæc mihi conditio eſt data ſub Felice Patrono,
Nulla mihi ex me ſint, vt ſint mihi cuncta per illum;
Namque ad Natalem nunc ipſius, vt quidem & ante
Præteritis, quibus iſta dies mihi floruit, annis,
Non erat vnde epulum voti ſolemne pararem,
Inſtabatque dies, nec adhuc mihi prompta facultas
Ex aliquo ſuberat; ſubitò ecce Patronus abundans,
Vnde dapem inſtruerem, ... geminos dedit vnâ
Cum iunice ſues, quorum de carne cibatis

Pau-

NOTÆ.

V. 19. CVM *Iunice ſues*. Iunix eſt bos fæmina teneræ ætatis, quæ iam ceſſauit vitula eſſe, nec dum tamen ad ſummam magnitudinem peruenit. Perſius Sat. 2.
Tot tibi quum in flammâ iunicum omenta liqueſcant.
Plautus Mil. 6.
Quam mox ad ſtabulum iunix recipiat ſeſe pabulo.
Papias: *Iunices, boues iuuenes*. Alexander Iatroſophiſta lib. 2. Paſſionum: *Qualia ſunt bubula, & de iunice pedes.*

V. 24.

Pauperibus, nos materiam ex animalibus iiſdem
Sumpſimus, egregijs quoniam miracula ſignis
Per pecudes ipſas nuper Deus edidit, altâ
Deſtimulans ratione homines adtendere Chriſto,
Nec deſiderium Carnis præferre Fidei.
Namque ad auaritiæ noſtræ lacrymabile probrum
Et pecora humanæ rationis egentia ſummum
Signa dediſſe Deum ſeries recitanda docebit.
Non adficta canam, licet arte Poematis vtar;
Hiſtoricâ narrabo fide ſine fraude Poetæ,
Abſit enim famulo Chriſti mentita profari:
Gentibus hæ placeant, vt falſa colentibus, artes;
At nobis ars vna Fides, & muſica Chriſtus,
Qui docuit miram ſibimet concurrere pacem
Diſparis armoniæ quondam, quam corpus in vnum
Contulit adſumens hominem, qui miſcuit almum
Infusâ virtute Deum, vt duo conderet in ſe,
Diſtanteſque procul naturas redderet vnum;
Vt Deus eſſet homo, Deus eſt homo factus ab ipſo,
Qui Deus eſt, genitore Deo, cui gratia non eſt,
Sed natura, quod eſt ſummi Patris vnicus hæres,
Solum & habens proprium, quod munere præſtat habere
His, quibus alma Fides dederit diuina mereri.
Ille igitur verè nobis eſt muſicus auctor,
Ille Dauid verus, cytharam qui corporis huius
Reſtituit Patri dudum compage iacentem,
Et tacitam ruptis antiquo crimine chordis
Adſumendo ſuum Dominus reparauit in vſum,
Conſertiſque Deo mortalibus, omnia rerum

In

V. 24. *Fidei*. Vocabulum hoc ſæpè Paulinus vſurpat pen. longâ. In Paneg. *Et genus humanum paſſim ſine lege Fidei* Nat. V. *ouans galeâ, ſcutoq; Fidei*. Et alibi.

V. 32. *Nobis ars vna*. Idem Paulin. Nat. IX. dixerat:

Sic Deus omniſonæ modulator, & arbiter vnus
Armoniæ, per cuncta mouet quam corpora rerum, &c.

Infrà Nat. XIII. Cytharæ exemplum allatum repetit.

Omnes ex nobis cytharam faciamus in vnum
Carmen diuerſis compoſitum fidibus.

V. 72.

In ſpeciem primæ fecit reuireſcere formæ;
Vt noua cuncta forent, cunctis abeunte veterno:
Hanc renouaturus cytharam Deus ipſe Magiſter
Ipſe ſui poſitam ſuſpendit in arbore ligni,
Et Cruce peccatum carnis perimente, nouauit;
Atque ita mortalem numeris cæleſtibus aptam
Compoſuit Cytharam varijs ex gentibus vnam,
Omnigenas populos compingens corpus in vnum:
Inde laceſſitis fidibus de pectine Verbi
Vox Euangelicæ teſtudinis omnia complet
Laude Dei. Toto Chriſti chelys aurea mundo
Perſonat innumeris vno modulamine linguis,
Reſpondentque Deo paribus noua carmina neruis:
Sed referam ad mea cæpta pedem, nam tempus, & hora eſt
Promiſſas offerre dapes, adponere vobis
Prandia ſollicitas caſtè ſumenda per aures:
Nec veteri repetam, quæ ſum dicturus, ab æuo;
Ante dies paucos iſtic ſpectata profabor.
Venerat huc quidam placitum ſibi ſoluere votum
Vrbis Abellinæ de finibus aduena noſtris
Sedibus. Hic porcum ſtudio curante paratum
Dilatumque diu, vt ſimul annis, atque ſaginâ
Creſceret, huc illuc perduxerat, atque vbi venit;
Pingue pecus voti iugulat de more vouentum.
Fama ſuis magnopere gentum accenderat acrem
Ore famem, & cuncti magnæ ſpe partis hiantes
Tendebant ad opima ſenes conuiuia fauces.
Interea largitor inops non partibus æquis
Diuidit, & totum ſibi corpus habere relinquit;
Et votum compleſſe putat, lætuſque redire
Incipit, auſus eas iumento imponere ſecum
Relliquias, & in his placiti ſe pignora voti
Sancta referre domum malè credulus, in quibus idem
Damnum animæ, nodumque viæ portabat auarus.

Deni-

V. 72. *Pingue pecus voti*. Votorum, ac oblationum vſum, quæ Sanctis exhibebantur, elucidaui diſſ. XVIII. ad quam Lectores dimitto.
V. 74. *Ore famem*. Eſt in MS. *ora famem*. Emendaui.

V. 89.

Denique mox nec mille viam permiſſus abire
Paſſibus, elucente die, ſimul aggere plano,
Non tenebris pauitante, nec offendente ſalebris
Lapſus equo, & quaſi fixus humi ſe tollere rurſus
Ad conſiſtendum reparato robore ſurgens
Non potuit, cæpitque pedes clamare ligatos,
Idque probare iacens plantis quaſi compede iunctis.
Hîc aliud mirum caſu ſociatur in ipſo,
Nam dum illum tantâ cum debilitate iacentem
Mæſta propinquorum circumſtat turba ſuorum,
Iumentum, cui ſola oneri porcina manebat,
Aſcenſore ſui vacuum, & ductore relictum
Sponte ſuâ ſeſe nullo flectente refrænans,
Tamquam offendiculi cauſam cognoſceret vltrò;
Aut aliquem prohibere viam, quâ cæperat ire,
Vidiſſet, ſic fugit iter, curſumque retorſit,
Et properante gradu recucurrit ad hoſpita tecti
Omnibus anteuolans, quos lapſi attenta tenebat
Cura viri, quem paulatim quaſi corpore fracto
Nitentem, & genibus rigidis prodire negantem,
Cæcaque vincla, pedem amiſſum, meritumque ruinæ
Illius, & pænæ, lacrymoſâ voce fatentem,
Luce palam manibus graue ſubuectantibus ægri
Corpus, fida cohors ſanctas referebat in aulas
Orantem medici Felicis ad ipſa reduci
Limina, mox illic certam reperire medelam.
Illum homines interque manus, interque cateruas
In ſacra vectatum mirantibus atria turbis,
Diſpoſiti trino per longa ſedilia cætu
Obſtupuere ſenes, inopum miſerabile vulgus,

Et

V. 89. *Quaſi compede iunctis*. In MS. erat *quaſi pede coniunctis*.

V. 101. *Quem paulatim*. Ita ſcripſi; malè etenim in MS. habetur *Quæ paulatim*.

V. 108. *Certam reperire*. Legere mallem: *Certum reperire*, Grecâ planè poeticâque elegantiâ.

V. 111. *Diſpoſiti trino*. Triplex hominum cætus in veteribus Eccleſijs cernebatur, ibique omnes per longa ſedilia diſpoſiti pijs precibus operam dabant. Ex Eccleſiarum reditibus fortè vnuſquiſq; alebatur. *Senes*

primò

Et ſocio canæ reſidentes agmine matres:
Præterea multi, ſua quos deuotio ſanctis
Ædibus attulerat diuerſis eminus oris,
Viderunt inſigne pium, cum tempore eodem;
Imò die, tam mira foret mutatio rerum.
Idem homo, qui paulò ante ſuo digreſſus ab ijſdem
Liminibus greſſu, nunc ipſe redux alienis
Infertur pedibus, ſubuecto corpore pendens.
Parte aliâ ſtratus, nullo ſeruante ſequentum,
Hoſpitis ante fores etiam nunc carne ſuillâ
Stabat onuſtus equus, nec quiſquam notior illi
Adſtiterat, cui cura foret releuare grauatum
Faſce ſuo, & notis reducem ſubducere tectis.
Ille tamen velut humanâ ratione repletus
Quærentique ſuos, & protinus opperienti
Adſtiterat ſimilis, certo veſtigia ſeruans
Fixa loco, ſimul aure micans, & naribus efflans
Adſuetorum hominum notos quærebat odores.
Mirum erat hoſpitibus quænam fuga, qui ſtatus ille
Eſſet equi, notumque animal faciebat amicis
Ambiguum noua forma rei, neque quiſquam erat inde

Acci-

primò memorantur, deinde *inopum miſerabile vulgus*, poſtremò *canæ matres*. De prioribus vtiq; nil dicendum habeo, niſi quod eos Eccleſijs inſeruiſſe crediderim, vt ad veteris Legis inſtar oblationes ad Altare deferrent. Hic vſus etiamnum in Metropolitanâ Mediolani Eccleſiâ ſeruatur, *Veglone ſq;* vocantur à Beroldo noſtro MS., ac in pluribus alijs vetuſtis diplomatis. Pauperes ex Eccleſiarum prouentibus nutriri ſolitos fuiſſe expreſsè docet Conc. Antioch. can. 25., Chryſoſt. paſſim, Poſſidius in Vitâ S. Aug., alijq; innumeri Patres, vt res maiori claritate non egeat.

V. 113. *Et ſocio canæ*. Hîc Diaconiſſas intelligi penè certum duco, quarum gradus, & vſus in Eccleſiâ non paucis ſeculis viguit. Hæ verò nonniſi ætate admodum prouectæ ad id muneris admittebantur iuxta Apoſtoli præceptum 1. Timoth. 5. *Vt eligantur viduæ non minus ſexaginta annorum, neque bigamæ*. Id confirmat Tertull. lib. de vel. Virg., & lex 27. C. Theod. de Ep. & Cler. De miniſterio earum plura docebit Hallier. de Sacr. Elect. par. 2. ſect. 5. cap. 2., & Morin. de Sacr. Ord. Earum veſtigia in Ambroſianæ Eccleſiæ ritibus permanere certum eſt mihi, quum Viduæ illæ, quæ hîc *Vegloniſſæ* nuncupantur, oblationes ad ſacrum Altare deferendo inſeruiant, quod itidem veterum Diaconiſsarum munus fuit, vt S. Hier. in cap. 13. Matth. docet. Tam verò illæ, quam iſtæ, ex

Eccle-

Accidui cunctis illum ſtipantibus, intus
Qui fuerat manibus ſacram portatus in aulam
Martyris, æger vbi ſancto pro limine fuſus
Corpore proiecto, & complexis poſtibus hærens,
Oſcula figebat ſupplex, fletuque lauabat,
Seque recognoſcens proprij caput eſſe doloris,
Tales ſeſe ipſum dabat accuſando querelas.
Hic ego qui talem merui deſumere pœnam,
Factus & inde miſer, quá ſi miſer adueniat quis,
Efficitur felix? Sed iuſtum, parque maligno
Me fateor merito exitium cepiſſe, patique,
Vt reus ipſe inter modò limina puniar ardens
Exurente pedes ſimul, & ſtringente dolore,
In quibus heu demens oblati munera voti
Fraude fidem violans conuerti in damna ſalutis.
Eſt tamen, eſt aliquid, fateor, quod dicere poſſim
Iam mihi mutari gratâ vice triſtia lætis,
Atque ipſas animo iam proſperiora tuenti
Infractis cæpiſſe malis dulceſcere pænas,
Ex quibus hæc nunc ipſa mihi benè gratia venit,

Quod

Eccleſiæ pronentibus alebantur, teſtante id can. 103. Conc. Carth. 4., Apoſt. Conſtit. lib. 3. cap. 1. 2. 3. &c. Balſamone in cap. 18. & 24. Epiſt. Baſilij ad Amphiloch. Inter alios audiatur S. Hier. in Iſai. cap. 3. *Nec Eccleſiaſticis vidua ſuſtentatur alimentis, niſi quæ LX. annorum eſt.*

V. 134. *Accidui*. Verbum, & error correctione indigent.

V. 137. *Complexis poſtibus*. Sacris Eccleſiarum ianuis oſcula figere vſitatum Chriſtianis fuit. S. Io. Chryſ. Hom. 30. in Ep. 2. ad Corinth. Ναὸς ἐσμὲν τοῦ Χριστοῦ. Τὰ τοίνυν πρόθυρα φιλοῦμεν τοῦ ναοῦ, καὶ τὴν εἴσοδον ἀλλήλους φιλοῦντες. ἢ οὐχ ὁρᾶτε ὅσοι καὶ τὰ πρόθυρα τοῦ ναοῦ τούτου φιλοῦσιν, οἱ μὲν κύψαντες, οἱ δὲ τῇ χειρὶ κατέχοντες καὶ τῷ στόματι τὴν χεῖρα προσάγοντες. *Templum Chriſti ſumus. Itaq; templi veſtibula, & aditum oſculamur, quum alij alios oſculamur. An non cernitis quotnam homines etiam huiuſce templi veſtibulis oſculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atq; ori manum admouentes?* Hæc quidem de Templo Dei myſtico, quod nos ſumus, interpretari liceat; ſed clariùs id exprimit Prudent. in Hymn. 2. S. Laurent. περὶ στεφανῶν.

Ipſa & Senatus lumina
Quondam Luperci, & Flamines,
Apoſtolorum, ac Martyrum
Exoſculantur limina.

Pauli-

Quod factum mihi nunc, vt tam citò tangere rurſus
Limina Felicis miſero veneranda liceret.
Nam mihi ſi nullus, vel ſi leuis iſte fuiſſet
Caſus, vt adreptum poſſem pertendere curſum,
Tunc magis infelix de proſperitate fuiſſem,
Manſiſſet mihi culpa nocens, neque vulnus adactum
Intus in oſſa animæ ſenſiſſem carne rebelli;
Occultaſſet enim meriti diſcrimen iniqui
Corporis inlæſi vigor, & vinxiſſet inertem
Mens durata reum, niſi lapſum pœna ligaſſet.
Ergò potens medice in Domino tu nomine Chriſti
Felix, iam ſatis hoc tibi ſit, Dominoque potenti,
Quod non ira mihi, pietas ſed amica ſaluti
Supplicium peperit, deuinctam vt corpore culpam
Solueret ecce malum, ſeruumque, fugamque voracem
Iure retraxiſti. Iniectis pro crimine vinclis
Debitor infelix teneor, conſtringor, aduror,
Propoſitus cunctis diuini forma timoris.
Mentibus hæc trepidis omnes adtendite, quæ nunc
Me miſerum reliquis documento ferre videtis.
Numquid enim hoc errore carent aliqui? Sed in vno
Exemplum fieri placuit, quo ſit mea pœna,
Et præiudicium quibus emendatio non eſt.
Sed iam parce tuo, miſero, precor, optime Felix,
Parce libens, ſuccurre fauens, dolor vltimus vrget
Clamoſas iterare preces, feſtinus adeſto,
Ne mors præueniat medicum feſtina morantem.
Sed ſcio quod Domini manus hæc, quæ verberat, & quæ
Parcet more ſuo. Mihi tantùm tu modò feſſo,
Iamque fatiſcenti propera laxare catenam,

Quam

Paulinus infra. ——*Dum poſtibus hæret in ipſis*
Felicis Sancti, lambenſq; per oſcula tergit.
Idem Natal. VI. dixerat.
Sternitur ante fores, & poſtibus oſcula figit.
Et lacrymis rigat omne ſolum, pro limine Sancto
Fuſus humi ——

V. 159. *Manſiſſet*. Legebatur in MS. *Manſiſſetq; mihi*. illud *que* ſupprimendum docuit metri ratio.

Quam tu Sancte vides, ego ſentio; Sicut operto
Clam tacitus vinclo fugitiui membra ligaſti,
Sic inuiſibili medicinâ ſolue reuerſum.
Talia clamantem, dum poſtibus hæret in ipſis
Felicis Sancti, lambenſque per oſcula tergit,
Adtonitis illum pia turba & cernit, & audit
Cætibus. Ipſe iacens etiam nunc erigitur ſpe,
Increpitatque moras omnes, & tarda ſuorum
Obſequia, adferri porcum, totaſque iubet mox
Pauperibus reddi partes, ſibi viuere tantùm
Concedi petit, atque inopum ſaturamine paſci.
Certatim ſocij citò iuſſa fidelia curant.
Itur ad hoſpitium notum, deponitur illic
Sarcina iumento, carnes in fruſta ſecantur,
Et diuiſa coquit lymphis ſpumantibus ignis,
Cocta importantur patulis numeroſa catinis.
Exſaturata fames inopum gratantia reddit
Verba Deo, & veniam petit, vt placata datori.
Nec mora: Confeſtim voti ratione ſolutâ
Debitor ille intus meritæ compage catenæ
Soluitur, & pedibus Domino miſerante refectis;
Tamquam liber equus, vel ruptis caſſibus ales
Euolat, & cerui ſalientis imagine currit.
Mira fides oculis obtenditur. Omnia gaudent
Tam facili pietate Dei, tantùmque valenti
Felicis merito, vt coram adſit Chriſtus in illo,
Pro meritis hominum moderans in vtroque potenter,
Vt reſipiſcenti medicus ſit, & vltor iniquo.
Cernite enim quantæ fuit illa iniuria fraudis,
Quâ miſer ille prius diuiſerat inter egentes,
Seque, ſuem, atque iſtic vbi totum reddere votum
Debuerat, ſolum caput, inteſtinaque porci
Carpſerat, & reliquum toto ſibi corpore partem
Fecerat imprudens, atque improbus, & tamen ipſâ,
Quâ miſer exciterat, factus mox fraude beatus
Commutante Deo pietatis verbere culpam.
Talis enim cenſura Dei eſt. Sic temperat alti
Pondera iudicij Deus arbiter, & Pater, & Rex;

Omni-

Omnibus vt tacitam moderato examine libret
Iuſtitiam, & leuior mixtá bonitate poteſtas
Ante reos moneat, ſtimulo quam fulminet vllo,
Vt ſi profuerit præmijs, ſine verberis ictu
Salua ſalus hominis redeat compage remiſsâ.
At ſi quis ſacri monitus terrore flagelli
Noluerit ſentire plagam, incuratus abibit,
Seruatuſque neci perfectam ſentiet iram.
Ille igitur miſer ante, dehinc mox ipſe beatus
Tali ſanatus carnemque animamque medelá,
Sed quia cognouit cauſam, agnoſcenſque iacentem
Pænituit, meritum curæ ſibimet ſimul ipſe
Repperit, inque breui eſt expertus vtrumque, quod omne
Iuſtá lege manet Diuinæ pacis & iræ
Ius & opus, maneat vindex vti iure ſuperbos
Pœna reos, pietas ſeruet miſerata fatentes.
Ergò relaxatis alacer veſtigia vinclis
Idem ex incolumi citò debilis, & citò liber
Ex modò captiuo, lætá cum voce redibat,
Inſultans velut ille olim, quem matris ab aluo
Claudentem in verbo Domini Petrus, atque Iohannes
Iuſſerunt validis in ſaltum exurgere plantis.
Dignus & hic pauper Specioſæ limine portæ,
Quem Deus ipſe Petri Deus, & Felicis, eâdem
Nunc verbi virtute ſui ſanauit apud nos
Exceſſu claudum modò, quâ ſanauerat olim
Ex vtero claudum. Iſtá nunc ope lætus abibat,
Quique preces mæſtas pro vulnere fuderat intus,
Ecce foris ſano reddebat corpore grates.

V. 232. *Sed quia*. Mihi magis arrideret: *Se quia cognouit*.

V. 242. *Claudentem*. Hoc eſt *claudicantem*. Vox certè noua, neq; Paulino digna, de quo ait S. Hieron. Ep. 13. ad eumdem ſcribens: *Si quaſi extrema manus operi tuo induceretur, nihil dulcius, nihilq; Latinius tuis haberemus voluminibus*. An ſcribendum *Plaudentem*? Hiſtoria nota eſt in Act. Apoſt. cap. 3.

V. 244. *Specioſæ limine portæ*. Ibid. in Act. ὃν ἐτίθουν καθ' ἡμέραν πρὸς τὴν θύραν τῦ ἱερῦ τὴν λεγομένην ὡραίαν. *Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa*.

Quidnam ego Felici poſſim redhibere patrono?
Quas illi referam pro tanto munere dignas
Tam citò de tanto ſanatus vulnere grates?
Non pretium ſtatui medico, aut faſtidia lecti
Triſtia ſuſtinui, neque per ſcalpella, vel ignes;
Aut malè mordaces vario de gramine ſuccos,
Sæuior & morbis & vulneribus medicina
In corpus graſſata meum eſt, velut accidit illis;
Quos humana manus ſuſpectâ viſitat arte,
Semper & incerto trepidos ſolamine palpat.
En ego per breue nunc ſpatium perlatus ad ipſum
Felicis Sancti ſolium, & proiectus in ipſo
Limine tam gelido quam duro in marmore fractus,
Atque dolens iacui, & ſolus mihi ſermo precandi,
Sola fides medicina fuit. Nullum adſore vidi,
Et ſenſi medicum. Quiſnam hic medicus niſi Chriſtus
Ipſe, vel à Chriſto Felix de nomine Chriſti,
Et virtute potens? Neutrum illo in tempore ſenſi,
Et tamen ipſe fuit præſens in vtroque, velut me
Peccantem argueret citò, ſanaretque dolentem.
Par modus in ſpecie variá mihi caſtigantis,
Parcentiſque fuit Domini. Sanator, & vltor
Luminibus latuit, pæna atque medela refulſit.
Nunc ego iam pleno perfectis ordine votis
Ibo domum gaudens medico, totuſque Patrono
Æternùm Felice, nec amplius vlla verebor
Occurſura mihi, velut ante, pericla viarum,
Namque periclum aberit, quia cauſa eſt nulla pericli.
Non reſoluta fides tamen: alliget, oro, tuus me

Sem-

V. 254. *Non pretium ſtatui*. Celebres admodum ſunt Plinij ſenioris cap. 1. lib. 19. in Medicos querimoniæ; neq; minorem plauſum aſſequutus eſt Leonardus a Capuá peritiſſimus noſtri æui Iatroſophiſta in lib. *de Medicinæ, ac medicamentorum incertitudine*, quem annis præteritis interdictum vidimus, ac dolemus. Huic addere lubet Bernardinum Ramazzinum V. C., & de Medicinâ optimè meritum, qui in diſſ. *de Conſtitutionibus annor.* 1692. 93. *&* 94. num. xxv. crudelibus Medicis ſubiraſcitur, incertamque eorum in medendo methodum eleganter caſtigat, *gentem ruſticam, quæ magis Parocho quam Medico fidit*, fortunatam appellans.

Erudi-

Semper amor Felix, iſtam mihi necte catenam,
Quâ tibi me nunquam nec mors, nec vita reſoluat:
Verùm omnes quicumque meos videre dolores,
Inque tuô merito magnis inſignibus altam
Conſpexere manum Chriſti, cognoſcere debent,
Quantùm illis mea pæna boni prouiderit, vt iam
Præcaueant de terrenis ſibi parcere rebus,
Et, lucra dum captant, adquirere damna ſalutis:
Nam ſi de vili pecudis mihi carne alimentum
Pauperibus fraudaſſe malo fuit, & quid in illis,
Qui malè diuitias vano amplectuntur amore?
Defoſſiſque ſuo pariter cum corde metallis
Incubitant, atque hæc latitare ſuperflua produnt,
Quæ proprio longè ſecreta tuentur ab vſu?
Quid facient, quidnam pro ſe tibi Chriſte loquentur,
Tantorum qui partem inopum inuaſere, nec vllam
Appoſuere ſibi de re ſuperante ſalutem?
Vnus abit miſſus. Nunc menſæ grata ſecundæ
Fercula ponemus, ſed quamuis rurſus eandem
Diuerſo carnem conditam iure feremus.
Namque aliud vobis iterum, quod de ſue mirum
Luſit opus Felix, mirâ nouitate retexam.
Tempore res prior eſt, ſed noſtris ante libellis
Præterita in præſens tempus ſeruata canetur.
Nec refert, quod opus quo ſit ſub tempore geſtum,
Vnus erit quoniam varijs operator in annis,
Qui diuerſa facit Sanctorum in laude ſuorum
Omnibus in terris rerum miracula Chriſtus.

Agri-

Eruditiſſimus quoq; Haruæus non ita pridem diſſertationem emiſit *de Medicorum dolis, mendacijs &c.* S. Bernardus in Ep. 321. ad Fratres de S. Anaſtaſio: *Propterea,* inquit, *minimè competit religioni veſtræ medicinas quærere corporales, ſed nec expedit ſaluti.* Ibidem ad remedia ſpiritualia, quibus maior quam humanis ineſt virtus, confugiendum potius docet. Hunc Doctoris mellifluì locum fruſtra Io. Molanus in ſuo Diario cap. 34. mitigare nititur. Refert etiam S. Hier. in Hilarion. vitâ adductam ad hunc Sanctum fuiſſe mulierem, quæ omnem ſubſtantiam in Medicos ſe erogaſſe querebatur, cui Hilarion. *Si quæ Medicis dando perdidiſti, pauperibus elargita fuiſſes, curaſſet te verus Medicus Ieſus Chriſtus.*

V. 309.

Agricolæ quidam de noſtris longiùs oris
Apula trans vrbem Veneuentum rura colentes
De grege ſetigero multis à fætibus vnum
Lactea adhuc tenero pulſantem ſumina roſtro
Excerpſere ſibi, & curatum tempore multo
Pauerunt in vota ſuem, & cæpere paratum
Ducere ſancitam Sancti Felicis ad aulam,
Corpore de magno vt multos mactatus egenos
Paſceret, & ſaturo gauderet paupere Martyr.
Sed graue ſaginâ porcus ſuperante pedumque
Non potuit ſe ferre diu, primoque viarum
Limine ſuccubuit ſibimet, neque deinde moueri
Voce, manu, ſtimulis potuit. Liquere iacentem,
Hoſpitibuſque ſuis commendauere relictum
Mærentes Domini. Mens anxia nutat in anceps,
Nam voti reuocare viam pia pectora nolunt,
Rurſus Felicis veneratum limina longè

Ire

V. 309. *Veneuentum*. Beneuentum, quod alias *Maleuentum* dicebatur; Ptolomæo vocatur *Venebentus*. Paulinus noſter recentiorum more Græcorum V. conſonans pro B. vſurpat.

V. 311. *Pulſantem ſumina*. *Sumen, inis*, mamilla a ſugendo dicitur. Lucil. Satyr. lib. 4. apud Nonnium.

Quod ſi nulla poteſt mulier tam corpore duro
Eſſe, tamen tenero maneat ſuccuſſa lacerto,
Et manus vberior lactanti in ſumine ſidat.

Lamprid. in Alex. Seueri vitâ: *Iuſſit, ne quis ſuminatam occideret, ne quis lactantem*. Caſaubonus in notis *ſuminatam* pro *ſaginatam* explicat, ita tamen vt meliorem ſenſum arbitretur, ſi textum corrigat ſic legendo: *Ne quis ſuem ſuminatam occideret*. Reuera *ſumen* de ſuillis mammis propriè vſurpatur, & ex illo quoddam farcimen efformabatur Plinio, ac Martiali ſæpè memoratum. Salmaſius ad eundem Lampridij locum *Suminatam* cenſet pro *ſcrophâ* intelligendam, & *lactantem* eſſe *tenerum porculum*, rectèq; & ad genuinum vocabuli ſenſum. Plin. lib. 11. cap. 37. *Summa* olim ſub abdominis appellatione veniſſe affirmat, quem conſulere cuiq; liberum facio.

V. 315. *Vt multos mactatus*. Oblationes votiuas in pauperum ſubſidium conferri ſolitas non ſemel repetit Paulinus, quia Martyribus id admodum placebat. Et ſanè in Eccleſiâ laudabilis olim fuit Agaparum vſus, quo nomine pia intra Eccleſias conuiuia diſtinguebantur. In ijs autem pauperes ex diuitum menſâ participabant, & charitatis ardor fouebatur.

Ire pudet vacuos deuoti muneris. Ergò
Ambiguis talis ſententia mentibus hæſit,
Et totidem lectos eâdem de grege minores
Ad ſua vota legunt, quot erat prouectus in annos
Ille ſuâ proſſus qui mole manebat ineptus.
Quod deuota fides obſtricti debita voti
Maturare parans tali ratione putauit,
Pluribus vt modicis vnum penſaret opimum.
Ergò ſacrum huc venere locum, votiſque patratis
Hoſpitium rediere ſuum non cominus iſtinc,
Nam tum forte domos, quæ circa Martyris aulam,
Implerat ſolitis denſata frequentia turbis;
Propterea procul hinc ſecreto in rure remotam
Contenti ſubiere caſam, quâ mane parabant
Ad reditum proferre pedem, cum prima ruberet
Parturiens Aurora diem; tuguri fortè aperti
Hoſpes homo egreditur tecto, notumque ſuem vir
Conſpicit ante fores mirando adſtare paratu,
Tamquam ſe miſſum Domino loqueretur adeſſe,

Atque

batur. Sed quum inde multa incommoda fluerent, Agapæ è Chriſtianorum cætu ſublatæ. Oblationum tamen vſus aliquatenus permanſit, eaſq; in Martyrum honorem factas S. Aug. memorat lib. 8. cap. 7. de Ciu. Dei, in quarum partem pauperes etiam vocabantur. *Quæcumq;* ait ille, *exhibentur religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt Memoriarum, non Sacra, vel Sacrificia mortuorum, tamquam Deorum. Quicumq; etiam epulas ſuas eò deferunt (quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſq; terrarum locis nulla talis eſt conſuetudo) tamen quicumq; id faciunt, quas cum appoſuerint, orant, & auferunt, vt veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini.*

V. 327. *Eâdem de grege.* Mendum graue ineſt. Alijs emendandum relinquo.

V. 336. *Implerat ſolitis.* Quanta gens ad S. Felicis venerationem coiret, ſæpè monuit Paulinus. In Nat. III. poſtquam multos enumerauit populos Nolam idcircò confluentes, addit:

Vna dies cunctos vocat, vna & Nola receptat,
Totaq; plena ſuis, ſpatioſaq; limina cunctis,
Credas innumeris vt mœnia dilatari
Hoſpitibus. Sic Nola aſſurgit imagine Romæ.

V. 340. *Tuguri fortè aperti.* Mendum quod emendare non audeo.

V. 355.

Atque ſalutanti ſimilis veſtigia lambit
Gaudentis Domini, & geſtu ſubgrunnit alumno
Blandus, & olfaciens motando dat oſcula roſtro,
Seque quaſi votum debere agnoſcat herile
Ingerit, & tardos inuitat gutture cultros.
Quo duce, quæſo, vias ignotis finibus egit;
Quoſue pedes, tam longè vt poſſet currere, ſumpſit;
Qui breuibus ſpatijs in primo fine viarum
Defecit fluidæ depreſſus mole ſaginæ?
Certè nulla manus tantum pecus aggere longo
Nec ſinus aduexit, nec mens ſua tam ſpatioſam
Ignotâ regione viam penetrare ſubegit,
Quando homines etiam & mentis ratione vigentes,
Perque ignota regi faciles interprete linguâ,
Si tamen hi careant duce, quo via luceat illis,
Cæcus in extremis regionibus implicat error.
Quiſnam igitur direxit iter ſuis? vnde voluntas,
Quâ Dominos ſequeretur, ei, vel ſenſus, vt eſſet
Conſcius ad votum ſe longâ ætate paratum?
Vnde hæc cura fuit pecori, quæ rara fideles
Excitat, vt, tamquam proprio culpabilis aſtu
Pigra remanſiſſet ſancto ſus cincta timore,
Contractam remanendo ſibi veniendo piare
Curaret culpam, & vitium penſaret inertis
Deſidiæ, quamuis ſerò comitata profectos
Obſequio Dominos? Patet admirabile monſtrum
Cæleſti ditione datum,.......... ſuis auſo
Solus vt iret iter longum; tantoque fuiſſe
Ingenio porcum, ignotis vt tramite recto
Digereret ſpatijs; quod & hoc quam grande quod illum
Trans Veneuentanis huc finibus aduenientem
Publica ſeu medij ſe ſtrata per aggeris audax
Miſerit, occurſus numquam cæpere frequentes;

Siue

V. 355. *Subegit.* Nonne magis arrideret: *penetrare coegit?*

V. 375. *Publica ſeu medij.* Viæ olim *ſtratæ* appellabantur, vndè nomen Italicum *ſtrada*, eo quod ſilicibus ſternerentur. Hinc Paulin. Nat. XIII.

Cum tacitâ inſpirans curam mihi mente iuberes
Muniri, ſterniq; viam ad tua tecta ferentem.

Idem

Siue per occultos igitur veſtigia ſaltus
Nulla manus ferro, fera vel fuit obuia morſu;
Quæ ſolum duxit manus, aut protexit euntem?
Nempe oculos aliquâ celatus nube feſellit,
Aere vel raptus vento mage quam pede venit,
Et ſubitò hoſpitium Domini delapſus ad ipſum
Conſtitit ignoto pro limine quadrupes hoſpes;
Dicam aliud propè vicini mirabile ſigni;
Nam genere abiunctam pecus armentale iuuencam
Quidam homines æquè longinquâ hac ſede profecti
Secretam primo lactentis ab vbere matris
Nutrierant noſtris votiuo munere pactam
Pauperibus, magnâ quos iſtâ plebe coactos
Largâ ope multorum Felicis gratia paſcit.
Ergò vbi iam membris vitula exultabat adultis

Facta

Idem Sanctus in Carm. ad Cyther. de viâ Appiâ:

Poſt hæc & ad nos pergere inceptat viam,
Quâ ſternit aggerem ſilex,
Cui munitor Appius nomen dedit.

Tibullus quoque ad Meſſal. ſcribens:

Namq; opibus congeſta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic aptâ iungitur arte ſilex.

Propterea Procopius lib. 2. de Bello Perſ. pag. 46. ait: *ςράτα ἡ ἐςρωμένη ὁδὸς τῇ Λατείνων καλεῖται φωνῇ. Strata Latino ſermone via vocatur ſilicibus conſtrata.* Neque hoc inferiorum ſeculorum inuentum fuit, ſed ipſos melioris ſeculi Latinos vocabulum illud Auctores habuit. Virgil. I. Æneid. *Strata viarum* ait. Lucretius quoq;

Strataq; iam pedibus populi detrita viarum
Saxea conſpicimus ———

Hinc noſter Nat. XI.

——— *vitabat ſtrata viarum.*

Strata a abſque alio additamento vſurpabatur etiam Paulini æuo; ſiquidem in l.6. C. Theod. de imag. Imper. editâ ab Honorio, & Theod. AA. ita habetur: *Abſit, vt nos inſtructionem viæ publicæ, & pontium, ſtratarumq; operam inter ſordida munera numeremus.* Vide Gothofr. ad eandem Legem. Du Freſnium in Gloſſ. Lat. verb. *ſtrata*, Iſidor. l. 15. c. 16. & Iuuenc. lib. 2.

V. 377. *Siue per occultos.* Illud *veſtigia* nullo verbo ſuſtineri video, quid ſi legamus: *Siue per occultos regeret veſtigia ſaltus?*

V. 381. *Aere vel raptus.* Ita ſcripſi. In MS. eſt *aera.*

Facta per excretum iam corpus idonea voto;
Promouere domo; ſed qui mos eſſe videtur
Perſoluenda pijs longè ſua vota ferentum
Martyribus, plauſtro ſubiungere, quo veherentur;
Adgreſſi hanc voluere iugo ſubmittere, quamuis
Inſuetam, tamen vt mitem iam mente ſubactâ
Vſibus humanis, quibus illam è congrege cætu
Suſtulerant Domini paruam, tectiſque cibiſque,
Miſcuerant; hinc vt domitâ feritate putantes
Sub iuga ſe facilem docili ceruice daturam,
Sollicitant palpante manu, & conantur in artum
Ducere. At illa ſibi ſolitos adludere tactus
Credula conſentit primùm, ſequiturque vocantes;
Verùm vbi iam propiata iugo conſpexit habenas,
Ceruicique ſuæ perſenſit lora parari,
Indignata dolos, & permutata repentè
Fit fera, nec ceruice iugum, nec vincula collo
Suſcipit, & victis manibus, loriſque recuſſis
Proſilit a cætu retinentum, & deuia longè
Rura petit, fugiens Dominos, adſuetaque tecta;
Nec procul ex oculis hominum de more ferino
Se rapit, & cæcis fugitiuam ſaltibus abdit;
Nam fugiens Dominos abeuntes eminus adſtans
Sic fugit, vt non ſe patiatur rure relinqui,
Denique vbi vinctum gemino boue currere plauſtrum
Conſpicit, humanum ſapit, & quaſi conſcia voto
Deberi ſeſe, comes incipit eſſe profectis.
Nec longè comes eſt: tardis comes orbibus ire
Spernit, & excurſu velut inſultante gementes
Præter vecta rotas lenti moliminis agmen
Reſpicit anteuolans, nec iam timet ad iuga cogi;
Inuiſoque prius fit amica, & præuia plauſtro,
Donec ſacratam ventum Felicis ad aulam.
Illic ſpontè gradum ſiſtit, ſeſeque vocanti
Adplicat, & tamquam voti rea gaudet in ipſo
Stare loco, propriam cui debet victima cædem;

Illa

V. 395. *Plauſtro*. MS. habebat *plauſtrum*. Hinc emendaui.

V.433.

Illa rebellis, & humanis non ſubdita vinclis
Ducitur ad placidam nullo luctamine mortem
Intemerata iugis ſubmittens colla ſecuri,
Pauperibus factura cibos de corpore cæſo,
Læta ſuum fundit Dominorum in vota cruorem.
Quorum iſtæc numquid pecudum eſt, vt Apoſtolus inquit,
Cura Deo? ſed qui propter nos omnia fecit,
Omnia pro nobis operatur in omnibus auctor,
Atque per ignotas pecudes operantia nobis
Signa facit, brutas per clara inſignia mentes
Sollicitans firmare fidem, & confidere vero,
Vt Dominum dociles linguis in verba ſolutis
Non taceant homines, quem ſignis muta loquuntur.

V. 433. *Numquid pecudum*. S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 9. *ἐν γὰρ τῷ νόμῳ Μωσέως γέγραπται· οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα. Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ θεῷ; Scriptum eſt in Lege Moyſi: Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo?*

AD NATALEM DECIMVMTERTIVM

PRÆFATIO.

SVpra alios Natales procul dubio præclariſſimus eſt decimus tertius, tum propter vberrimam eruditionem, reſque geſtas PAVLINI fusè illic explicatas, tum etiam propter eximios viros, piaſque fæminas, quæ Nolæ conſtitutæ Epiſcopo canenti aderant, pretiumque ſolemnitatis augebant. Annus, quo Natalis pronunciatus, eſt vulgaris Epochæ 406., vt Chiffletius parte 2. PAVLINI illuſtati ſolidis argumentis ductus probat, ac Proſperi Chronicon teſtátur. Etenim ibi Radagaiſus cum ſuo exercitu ad internecionem profligatus dicitur *Stilicone II. & Anthemio Conſulibus*, anno nempe 405. Igitur ſequenti anno pacem Italiæ redditam canit PAVLINVS, ac in anno propterea 406. figendus Natalis. Nunc videamus quinam ſint illuſtres ij viri, ac fæminæ, quibus præſentibus elegantiſſimum carmen recitauit Poeta noſter. Decem vnà cum PAVLINO fuiſſe proditur hiſce carminibus:

Ergò nouem cuncti ſociâ cum prole parentes
Pectore concordi ſimus vt vna chelys.
Æmilius veniat decimus. Tunc denique pleno
Concinet in nobis myſtica lex numero.

Singillatim itaque eorum nomina recolamus. Primi omnium memorantur

Turcius ore pio, florente Suecrius æuo.

Turcius idem eſt ac Aproniamus V. C., qui poſtea his verſibus commendatur:

Apronianum Turciæ gentis decus
Ætate puerum, ſenſibus carnis ſenem &c.

Suecrius (ſi tamen purè hoc nomen in Codice refertur) aut Aſterium Turcij Aproniani ſupra relati filium exhibet, de quo PAVLINVS infra:

Aſt aliud mihi par lumen in Aſterio eſt &c.

aut Piniauum V. C., de quo mox. Sequuntur puellæ duæ:

——— ſimileſque puellæ,
Alſia, qualis erat ſoror illa Philemonis olim,
Nobilis in titulo, quam ſignat Epiſtola Pauli,
Et ſimul Eunomia æternis iam pacta virago
In Cælo thalamis.

Vnius puellæ nomen eluceſcit, Eunomiæ nempè, quæ Turcium Apronianum, ac Auitam parentes habebat. Alterius verò ſupplendum, hoc eſt Melaniæ iunioris, cui Albina mater; hæc etenim vna propter ætatem teneram, matriſque præſentiam puella dici potuit. Hoc autem infra melius exprimitur:

Matribus his duo ſunt tribus vno pignora ſexu,
Flos geminus, Melani germen, & Eunomia.

Germen Melani pro Melaniâ ponitur, ſeu quia ex filio ſenioris Melaniæ prodierat, ſeu, vt rectiùs dicamus, Poetarum ac præcipuè Græcorum more, quibus familiare eſt pro nomine recto ſimilia vſurpare. Sic Βίη Πριάμοιο, *vis Priami*, ideſt *Priamus*, ἶς Τηλεμάχοιο, *robur Telemachi*, ideſt *Telemachus*, apud Homerum, *fortis equi vis*, hoc eſt *equus* apud Lucretium, & *odora canum vis* pro *canes* apud Virgilium reperiuntur. Quum itaque certum ſit Melaniam hîc innui, dubium in Alſiæ nomine exortum eſt mihi. Siquidem ſoror Philemonis non *Alſia*, ſed Græcè Ἀπφία, & in vulgatâ verſione Latinâ *Appia* rectè dicitur, vnde ſi ſenſus hic habendus: *Qualis fuit Alſia ſoror Philemonis*, corrigendum nomen, ac *Appia* reponendum. Verùm in eam potiùs ſententiam traherer, vt Alſia Melaniæ nomen quoque foret, ſicque legerem, vt poſt *Alſia* ponendum comma arbitrarer. Nomen hoc veteribus notum, vt nos non pauca docent marmora, ac ipſe textus id præ ſe ferre videtur; quum enim inferiùs dicat: *Et ſimul Eunomia*, oppidò nos monet expreſſum ſuperiùs fuiſſe & alterius puellæ nomen. Hiſce ſuccedit Albina eiuſdem Melaniæ mater:

Prima chori Albina eſt. ———

Et infrà de Melaniâ ſermonem habens eam *Albinâ cum matre* copulat. Inde ſubſequitur Hæraſia: *Compar & Hæreſia*, ſeu, vt Diſſ. 5. dicemus, Theraſia illa ſit, ac ita corrigendus textus: *Cum pare Theraſiâ*. Hæc in ſeculo PAVLINI coniux fuit, cum quo dein continentiam amplexa pijſſimam etiam tum Nolæ vitam ducebat. Auita mulier alia dein memoratur:

Iungi-

Iungitur huic germana iugo, vt ſit tertia princeps
Agminis hymniſonis mater Auita choris.

Auita autem Turcij Aproniani coniux erat, & ex eo duos genuerat filios, Aſterium nempe, ac Eunomiam ſupra laudatos. Poſt hos Pinianus V.C. ſequitur Melaniæ iunioris maritus:

Huic propinquat ſocius æquali iugo
Æuo minor Pinianus, par fide &c.

Æquale iugum illi cum Turcio facit, ambo enim coniugati erant. Si iſtis PAVLINVM ipſum adijcias, ac Æmilium, decem habebis procul dubio illos, quos carmine ſupra laudato innuebat ipſe Poeta. Quibus poſitis eluceſcit cur ille cecinerit:

Ergò cohors hæc tota ſimul, tria nomina matres,
Quatuor in natis, in patribus duo ſunt.

Albina, Auita, ac Theraſia matres erant. Licet nullum pignus Theraſiam matrem tunc commendaret, eius ætas tamen, & receptus olim in Hiſpaniâ filius nomine hoc illam diſtinguebat. Duæ filiæ matribus erant, Melania Albinæ, Eunomia Auitæ, quod PAVLINVS meliùs expreſſit:

Matribus his duo ſunt tribus vno pignora ſexu,
Flos geminus, Melani germen, & Eunomia.

Subſequuntur duo filij mares, Pinianus videlicet, ac Aſterius. Hic Turcium naturalem parentem, ille PAVLINVM Spiritualem patrem profitebantur, vnde ait idem Sanctus:

Cum patre PAVLINO pater æquè Turcius iſte eſt,
Sed me ætas, ſoboles hunc facit eſſe patrem.

Ergò quatuor nati, ac duo patres apertè produntur. De his autem omnibus diſſertationes ſingillatim poſuimus, ad quas Lectorem remittimus. Ceterùm fama ſanctitatis, pijſſimæque vitæ, quam ducebat PAVLINVS, Nolam illuſtres illos Romanos adduxerat, vt ibi, abdicato ſeculo, ſibi ac Deo vnanimiter viuerent. Nimirum illic Monaſticam vitam profitebatur PAVLINVS, pluresque ſub eius regimine melioris, tutioriſque inſtituti rudimenta haurire geſtiebant. Hinc animaduertes Pinianum à S. Auguſtino, & quidem Epiſcopo, Fratrem appellatum, quo nomine vtique illum S. Doctor non compellaſſet, niſi Monachus ſaltem laicus iſte fuiſſet. Auctor vitæ S. Melaniæ apud Sur. die 31. Ianuar. Pinianum, ac Melaniam in Siciliam nauigaſſe ait, *partim quidem vt agros, qui illic erant, venderent, partim autem vt ſanctiſ-*

ſimum

ſimum Epiſcopum PAVLINVM viſerent, qui erat eis Pater ſecundùm ſpiritum. En vt optimè vniuerſa congruunt. In eo tamen decipitur Auctor iſte, quod clariſſimam hanc catheruam ad PAVLINVM officij tantùm gratiâ perrexiſſe; illud enim iter ab eis ſuſceptum, tum vt inſtantes Vrbi Gothos declinarent, tum vt vitam ibi ſuam perpetuo Chriſti ſeruitio manciparent. Certè PAVLINVS inquit:

Hos ergò Felix in ſuo ſinu abditos
Mandante Chriſto condidit tectis ſuis,
Mecumque ſumpſit ſempiternos hoſpites &c.

Infra ſubdit:

——Socios in tecta recepimus, & nunc
Omnes iure pari Felicis iura tenemus,
Feliciſque Patris gremio coniuncta fouemur
Pignora &c.

Tantùm enim emicuerat in PAVLINO viro ante nobiliſſimo, ac ditiſſimo rerum ſecularium repudium, vt vnus PAVLINVS fermè in perfectionis exemplum proponeretur. Vide Ep. Auguſtini 34. ad eundem PAVLINVM, & 39. ad Licentium, rurſuſque 59. ad ipſum PAVLINVM. Conſule Hieronymum itidem in Ep. 34. ad Iulianum, & Sacchinum in PAVLINI vitâ par. 2. Quod autem illuſtris hic cætus diu Nolæ moratus non fuerit, in causâ fuiſſe videtur ingruentium iterum Barbarorum motus, qui ſeruitutem Italiæ minitantes Anno poſtea 310. impetu funeſtiſſimo ipſam Vrbem ingreſſi cædibus, atque rapinis impleuere, atque adeò Campaniam ipſam vaſtauere. In hoc inſuper Natali quum plura proponantur ad tanti Antiſtitis res geſtas illuſtrandas, omnia pro viribus meis diligenter in Diſſ. 9. & ſequentibus expendi.

SAN-

SANCTI PAVLINI EPISCOPI NOLANI

NATALIS DECIMVS TERTIVS.

CAndida pax lætum gratá vice temporis annum
Poſt hyemes actas tranquillo lumine ducit,
Signatumque pio Sancti Felicis honore
Securis aperit populis. Gaudere ſerenis
Mentibus, abſterſá diri caligine belli,
Suadet ouans Felix, quia pacis & ipſe patronus
Cum patribus Paulo, atque Petro, & cum fratribus almis
Martyribus Regem Regum exorauit amico
Numine Romani producere tempora Regni,
Inſtanteſque Getas ipſis iam faucibus Vrbis
Pellere, & exitium, ſeu vincula vertere in ipſos,
Qui minitabantur Romanis vltima Regnis.

Nunc

NOTÆ.

V.1. C*Andida pax*. Anno præterito, hoc eſt A. C. 405. *Stilicone II., & Antemio Coſs.*, vt Proſper in Chronico aſſerit, eſt ingens de Gothis relata victoria, ac idcircò anno præſenti 406. pacem Italiæ redditam canit Paulinus. Addidi illud *lætum*, vt carmen in MS. laborans ſupplerem.

V.10 *Inſtanteſque Getas*. Paul. Oroſius lib. 7. cap. 37. Hiſt. eadem de Rhadagaiſo Gothorum Rege habet: *Hoc igitur*, ait, *Romanis arcibus imminente fit omnium Paganorum in Vrbem concurſus*. Et infrà: *Hic iam receptus ſinu Italiæ Romam è proximo trementem terrore quaſſabat*. S. Auguſt. de Ciu. Dei lib. 5. cap. 23. hanc Gothorum irruptionem tangit: *Cum Rhadagaiſus*, inquit, *Rex Gothorum agmine ingenti, & immani iam in Vrbis viciniâ conſtitutus Romanis ceruicibus immineret*.

V. 12. *Qui minitabantur*. Paulino adſtipulatur Oroſius ſupra laudatus: *Qui* (Rhadagaiſus) *vt mos eſt barbaris gentibus, omnem Romani generis ſanguinem Dijs ſuis propinare deuouerat*.

V.20.

Nunc igitur pulsâ formidine, & imbribus actis
Reſpicere expulſas nubes, præſentia rerum
Præteritis conferre iuuat. Quam tetra per iſtos,
Qui fluxere, dies elapſo nox erat anno,
Cum furor accenſus Diuinæ motibus iræ
Immiſſo Latijs arderet in vrbibus hoſte!
Nunc itidem placidi ſpectata potentia Chriſti
Munere, mactatis pariter cum Rege profano
Hoſtibus, Auguſti pueri victoria pacem
Reddidit, atque annis tener idem, & fortis in armis,
Præualuit virtute Dei, & mortalia fregit
Robora, ſacrilegum Chriſto ſuperante Tyrannum.
Sed quid ego hinc modò plura loquar, quod non ſpeciale
Eſſe mei Felicis opus Reſpublica monſtrat?
Pluribus hæc etenim cauſa eſt curata patronis,
Vt Romana ſalus, & publica vita maneret.
Hîc Petrus, hîc Paulus proceres, hîc Martyres omnes,
Quos ſimul innumeros magnæ tenet ambitus Vrbis,

Quoſque

V.20. *Mactatis pariter*. Iterum audiamus Oroſium Rhadagaiſi cædem his verbis teſtantem: *Igitur Rex Rhadagaiſus ſolus ſpem fugæ ſumens clam ſuos deſeruit, atque in noſtros incidit, à quibus captus, & pauliſper retentus, deinde interfectus eſt*. Auguſtinus quoque loco citato Barbarum hunc interemptum affirmat.

V.21. *Auguſti pueri*. Natus erat Honorius Auguſtus Coſs. *Richomere, & Clearcho*, videlicet A. C. 384. vt Marcellinus in Chron., Idacius, Socrates lib. 5. cap. 12. aſſerunt, quamquam Claudianus in 4. Conſul. eiuſdem Honorij obſtare videatur. Igitur Anno 405. vigeſimum primum ætatis ſuæ annum compleuit, ac vigeſimum, & alterum inijt. Nihilo ſecius *Puer* Paulino dicitur, Poeticâ certè libertate. Vide quæ infrà adnotaui ad v. 158.

V.27. *Pluribus hæc etenim*. Prodigiosè Gothos ad internecionem compulſos, aut in vincula redactos fatentur quicumque hanc Fidelium Romanorum tetigere victoriam. S. Aug. Serm. 29. in Luc. *Deus oſtendens, quia non in iſtis ſacrificijs eſt ipſa temporalis ſalus, ipſa Regna terrena mutat. Victus eſt Rhadagaiſus adiuuante Domino, miro modo*. Et Oroſ. loco laudato: *Conterritum diuinitus Rhadagaiſum in Fæſulanos montes cogit*.

V.30. *Quos ſimul innumeros*. Doduellus inter Proteſtantes vir erudit. *de paucitate Martyrum* diſſertationem emiſit, ſed quantùm ille à vero aberrauerit hîc vnus Paulinus docet, quum innumeros in Vrbe vnâ Martyres extitiſſe affirmet. Huic omninò conſentit Prudent. in Hymno XI. ad Valerian. de Hippolyto:

K In-

Quoſque per innumeras diffuſo lumine gentes
Intra Romuleos veneratur Ecleſia fines,
Sollicitas ſimul impenſo duxere precatu
Excubias. Felix meus his, velut vnus eorum;
In precibus pars magna fuit, ſed ſumma petiti
Muneris ad cunctos, nulli priuata refertur.
Ergò pedem referam, ſat enim mihi pauca locutum,
Vnde nihil proprium meritis Felicis adeſſet,
Nec reticere tamen potui, quia portio laudis
Hoc quoque Felici ſuberat, quod ſumma poteſtas;
Rexque potens Regum Chriſtus Deus omnibus vnà
Adnuerat Sanctis, quibus in grege ſupplice mixtum
Felicem parili audiuit pietate benignus.
Parcam igitur proprijs adiungere publica donis
Munera, priuatoſque canam Felicis honores,
Quæque ſuis propriè egerit hîc in ſedibus edam;
Vnde igitur faciam texendi carminis orſum?
Quæ bona Felicis referam? Quæ multa per omnes
Paſſim agit, expediam? magis anne domeſtica dicam
Munera, quorum ego ſum ſpecialis debitor illi?
Hæc potius repetam, mihi quæ conlata meiſque
Sat memini, & quia præteritis magis illa libellis
Dicta mihi, quæ partim alijs, permixtaque nobis
Præſtitit, ex his nunc opibus, quas largiter in nos
Contulit, hunc animo texam gratante libellum;
Et contra ſolitum vario modulamine morem,

Sicut

Innumeros cineres Sanctorum Romulâ in Vrbe
Vidimus, o Chriſto Valeriane ſacer.

Idem in Hymno S. Laurent.

Vix fama nota eſt
Quam plena Sanctis Roma ſit,
Quam diues Vrbanum ſolum
Sacris ſepulcris floreat.

Idem &: tradidit S. Leo in quod. Sermone.

V. 56. *Et contra ſolitum*. Reliquos Natales Heroico verſu proſequutus eſt Paulinus, hunc vario metro abſoluit. Hanc illi mentem obueniſſe crediderim, vt Piniani nomen Poemate complecteretur; non enim illud Exametris ſaluâ metri ratione includi poterat. Ita Rutil. Numatianus in Itiner., quum Voluſiani nomen illæſis Proſodiæ legibus carmini commenda-

Sicut & ipſe mihi varias parit omnibus annis
Materias, mutabo modos, ſerieque ſub vnâ
Non vnâ ſub lege dati pede carminis ibo.
Nam quia fœcundo Sancti Felicis in agro
Emerſere noui flores, duo germina Chriſti
Turcius ore pio, florente Succrius æuo,
Et pariter Sanctæ matres, ſimileſque puellæ,
Alfia, qualis erat ſoror illa Philemonis olim
Nobilis in titulo, quam ſignat epiſtola Pauli,
Et ſimul Eunomia æternis iam pacta virago
In cælo thalamis, quam matris ab vbere raptam

Feſti-

mendare non poſſet, ſatis habuit deſiderium ſuum teſtari: ait ille

Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quoſdam refugit regula dura pedes.

Eſt hic ille Rufius Voluſianus Albinæ inferiùs memorandæ auunculus, de quo conſule Diſſ. meam. IV.

V. 62. *Turcius ore pio*. Vide Diſſ. I.

V. 62. *Succrius æuo*. Adeat Lector Diſſ. II.

V. 64. *Alfia*. Quæ de hoc nomine obſeruaui, habebis in Præf. ad hunc Natalem.

V. 64. *Qualis erat*. S. Pauli Epiſtola ad Philemonem his incipit verbis: Παῦλος δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ, καὶ συνεργῷ ἡμῶν, καὶ Ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ. *Paulus vinctus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adiutori noſtro, & Appiæ cariſſima*. In vulgatis additur: *Sorori cariſſimæ*, atque ita Paulini æuo ſcriptum dignoſcitur. Hanc vocem ad Paulum referunt Sacri Interpretes, vt eius in Chriſto ſoror iuxta Chriſtianæ gentis ritum dicatur; at noſter ad Philemonem trahit, illamque eiuſdem ſororem indigetat. Porrò ſanctam hanc fœminam non ſororem, ſed vxorem Philemonis extitiſſe tum ex Chryſoſtomo, tum ex Theodorito, aliiſque diſcimus. Sentit igitur Paulinus eam vxorem quidem, ſed adhuc in Chriſto ſororem Philemonis appellat, nimirum quia continentiam Chriſto cum illâ vouerat Philemon, qui mos non ignotus antiquis probatione haud indiget.

V. 66. *Et ſimul Eunomia*. Plura de hac S. Virgine retuli in Diſſ. III.

V. 67. *Quam matris ab vbere*. Hunc pium Chriſtianorum vſum illuſtratum infra reperies in not. ad verſ. 262. Nunc ſufficiat Prudentius in Hymno S. Laurentij:

Videmus illuſtres domos
Sexu ex vtroq; nobiles
Offerre votis pignora
Clariſſimorum liberûm.

V.71.

Feſtino placitam ſibi Chriſtus amore dicauit;
Vnguentoque ſui perfudit nominis, vnde
Tincta comas animæ, & mentis caput vncta pudicum
Debere quemquam plaudere, & confidere,
Quamuis honeſtá rectus incedat viá,
Tamen timere ſemper offenſam pedis,
Donec peractis vſque metam curſibus
Palmam petitæ comprehendat gloriæ.
Quare Beatos Martyres, quos extulit
Perfecta virtus in coronam cælitem
Iuſtis honoris debiti præconijs
Celebramus omnes nos eorum poſteri
Confeſſione Chriſtiani nominis,
Quibus profuſo ſanguine ob Sanctam Fidem
Proſeminarunt frugis æternæ bonum,
Vt ſi ambulemus Martyrum veſtigijs
Partis parentum perfruamur præmijs.
Hinc ergò Sanctis, ſiue Confeſſoribus,
Siue conſecratis paſſione teſtibus
Dies ſacratos, in quibus functi diem

Morta-

V. 71. *Debere quemquam*. Deeſſe ante hæc verba verſum aliquem ſenſus docet, quum à nullo pendeant fulcro illa *debere*, & *timere*. Similia itaq; verba hîc deſiderantur: *Numquam in terrenis opibus illa docet debere quemquam plaudere* &c.

V. 86. *Siue conſecratis*. Μαρτὺρ Græcè, Latinè *teſtis* dicitur. Frequentiùs tamen vſurpata vox Græca. Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. cap. 76. huius nominis ſignificationem expreſſit: *Per quorum*, ait, *confeſſiones, paſſiones, & mortes hoc Deo placuit atteſtari, Martyres appellantur, qui Latinè teſtes dicuntur*. Iſidor. lib. 7. cap. 11. *Martyres, ſeu teſtes ideò vocati ſunt, quia propter teſtimonium Chriſti paſſiones ſuſtinuerunt*.

V. 87. *Dies ſacratos*. Quam apertis hîc verbis doceat, laudet, ac ſuadeat Paulinus Feſtos dies in Sanctorum honorem inſtitutos, etiam lippis pateret. Id alibi tetigit, hîc plenis teſtatur encomijs. Totius verò Eccleſiæ Catholicæ calculo quum hic pius olim probaretur vſus, impudenter tamen Lutherus in libello de Form. Miſs. *Omnium*, ait, *Sanctorum Feſta prorſus abroganda putamas*. Et in lib. de cærem. Eccl. ſeruand. *Feſta Sanctorum in vniuerſum aboleantur*. Cui non pauci Heterodoxi dant manum. Nos Catholici cum Paulino, reliquiſque Sanctis Patribus ſentientes ſacra celebrabimus Sanctorum Feſta, illi verò duce Luthero contenti nouam credulis vendicabunt ſententiam.

V. 99.

Mortalis æui morte vitali ſuum
De labe mundi tranſierunt ad Deum,
Populi fideles gaudijs ſollemnibus
Honore Chriſti gratulantes excolunt;
Vt iſte Sancti pace Felicis dies,
Quo clauſit olim corporis vitam ſenex
Confeſſionis ante functus prælia,
Sed incruento conſecratus exitu
Poſt bella victor pacis adſumptus die
Vocante Chriſto liquit exultans humum;
Et in ſupernas tranſitum fecit domos,
Non defraudatus a coronâ Martyris,
Quia paſſionis mente votum geſſerat.
Nam ſæpè agonem miles intrauit potens
Victoque ſemper hoſte Confeſſor redijt;
Sed præparatâ mente contentus Deus
Seruauit illum, non coronam Martyris
Negans, ſed addens & coronam Antiſtitis;
Vt incruento palmam adeptus prælio,

Et

V. 99. *A coronâ Martyris*. Alibi innuimus S. Felicem Martyrio vitam non conſumaſſe; ac propterea vocatur iſte in Nat. XI. *Elogio Martyr*, & alibi *ſine ſanguine Martyr*. In Natali verò VI. hæc ipſa canit de Felice in cælum aſſumpto.

Tum niueâ ſacrum caput ornauere coronâ,
Sed tamen & roſeam Pater addidit, indice Chriſto;
Purpureoq; habitu niueos duplicauit amictus,
Quod meritis vtrumq; decus. Nam lucida ſumpſit
Serta quaſi placido translatus in æthera letho,
Sed meruit pariter quaſi cæſi Martyris oſtrum,
Qui Confeſſor obit &c.

V. 105. *Et coronam Antiſtitis*. Iure hanc in Cælis adeptus coronam Felix, quia oblatam reſpuerat in terris. Expoſcebat illum populus poſt S.Maximi obitum in Antiſtitem; at ille (ſunt Paulini verba Nat. V.)

——— velut indignus, non audet honore
Creſcere, teſtaturq; ſeni magè debita Quinto &c.
Ergò ſub hoc etiam Felix Antiſtite vixit
Presbyter, & creuit meritis, qui creſcere ſede
Noluit. ———

In Nat. XI. S. Felix dicitur *Officioq; Sacerdos*, hoc eſt, vt ibi explicaui; Epiſcopus. Verum vide infra ad v. 568., vbi de hac voce plura.

V. 112.

Et prælíati poſſideret præmium
Confeſſionis purpurante laureâ,
Vittâque pacis in Sacerdotis ſtolâ
Redimitus idem bis coronatus foret
Confeſſor, atque Presbyter Felix Dei.
Hic ergò votis, quem recolimus, annus
Non eſt agonis, ſed ſepulturæ dies,
Quo ſeparatâ ab inuicem ſubſtantiâ
Anima volauit ad Deum, in terram caro
Reuerſa tumulo conquieuit abdita.
Et meritò Sanctis iſte Natalis dies
Notatur, in quo lege functi carneâ
Mortalitatis exuuntur vinculis,
Et in ſuperna regna naſcuntur Deo
Secumque lætam ſpem reſurgendi ferunt.
Ego ſemper iſtum ſic honoraui diem,

Magis

V. 112. *Hic ergò votis*. S. Felici ſacer dies poſtrid. Id. Ianu. celebratur, quemadmodum etiam æuo Paulini factum. Vuandelbert. teſtis accedit:

Quam nonam & decimam conſtat Februi ante Kalendas
Eſſe diem, Felix ſacer, & Confeſſor honorat.

V. 112. *Quem recolimus annus*. A metri regulâ, & à ſenſu abhorret illa vox *annus*. Scribe itaq; *dies*.

V. 115. *Anima*. Ita ſcripſi, quum in MS. *animæ* haberetur.

V. 117. *Natalis dies*. Apud antiquos familiare fuit diem Sanctorum emortualem *Natalis* nomine exprimere, quia tum cælo reuera naſcebantur. Noſter vates Nat. III.

Venit feſta dies cælo, celeberrima terris,
Natalem Felicis agens, quâ corpore terris
Occidit, & Chriſto ſuperis eſt natus in aſtris.

S. Auguſt. ſer. 10. de Sanctis eamdem profert rationem: *Dignè Natalem iſtorum colimus, quos beatius æternæ vitæ mundus edidit, quam Mundo maternorum viſcerum partus edidit*. Euſeb. Gallicanus, ſeu Cæſarius Hom. 50. de S. Geneſio: *Beatorum Martyrum paſſiones Natales vocamus dies, quando eos Martyrij vita, & gloriæ fides dum ingerit morti, genuit æternitati*. His adde Petrum Chryſol. ſerm. 129., Belet. de diu. Off. cap. 4., Amalar. lib. 4. cap. 35. de Eccl. Offic., Raban. lib. 2. de Inſtit. Cler. cap. 43., Honor. Auguſtodun. lib. 3. cap. 17., Albin. Comment. in Iohan. Euang. lib. 6. cap. 38., alioſq; non paucos. De his conſule Differt. XIX.

V. 122. *Ego ſemper iſtum*. Idem Natali IV.

N4

Magis hunc putarem vt eſſe Natalem mihi,
Quam quo fuiſſem natus incaſſum die.
Legendus etenim eſt ille dignus mihi
Dies, in iſtum quo creatus ſeculum
Peccator vtero peccatricis excidi
Conceptus atris ex iniquitatibus,
Vt iam nocentem pareret me mater mea?
Maledictus ergò ſit dies, quo ſum miſer
Ad iniquitates ex iniquis editus.
Benedictus iſte ſit Natalis & mihi,
Quo mihi patronus natus in cæleſtibus
Felix ad illam exortus eſt potentiam,
Quâ me valeret fæce purgatum meâ
Laxare vinclis, & redemptum abſoluere
De luctuoſâ morte Natalis mei.
Acto per orbem circulis anno ſuis
Eadem recurrit ſemper hæc cunctis dies;
Verùm quotannis innouante gratiâ
Diuerſitatem munerum, quæ dat ſuo
Chriſtus ſodali, donet vt Felix mihi,
Mutatur & non ipſa, quæ cunctis venit

Varias

——— *Natalis tuus, o chariſſime Chriſto,*
Felix, Natali proprio mihi charior.

Vide, quæ congeſſi in Diſſ. XII.

V. 130. *Maledictus ergò*. S. Iobum imitatur diei, quâ natus erat, male dicentem. Præter Origenem (ſeu alius ille ſit Auctor) lib. 3. in Iob audiendus S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 7. Iobi verba explicans, atq; ita concludens: *Quid eſt ergò diei Natiuitatis maledicere, niſi apertè dicere: dies mutabilitatis pereat, & dies æternitatis erumpat?* Iuuat etiam adducere verba Philippi in hunc locum. Philippus iſte Gennadio memoratus, ac S. Hieronymi diſcipulus Commentarium in Iob edidit, quem nobis infeſta ætas eripuit. Quædam illius fragmenta ex vetuſtiſſimo Bibliothecæ Ambroſianæ Codice Saxonicis caracteribus exarato in reliquis Anecdotorum libris producam, quorum vnum in præſentiarum omittere nolo: *Quidam*, ait, *dicunt tempora Natiuitatis humanæ, quia præterierunt, non poſſe maledici. Certè ex ſuperfluo maledicuntur, quia ſuis iam ſunt peracta tranſcurſibus. Sancti autem inflati ſpiritu Prophetiæ maledicunt diem Natiuitatis humanæ, quod quidem non ſine tribulatione ſuâ faciunt; ſentiunt quippe in ſe compatiendo generi humano iuſtitiâ Dei ſententiam mortis inlatam &c.*

V. 150.

Varias meorum carminum cauſas ferens.
Videamus ergò quid mihi hoc anno nouum
Adtulerit, vnde vocibus vernem nouis.
Non ibo longè, nec procul ſumam mihi
Præterita tempore, aut locis abſentia.
Adſunt, tenentur ipſa dona cominus:
Videtis omnes munera hoc anno data
Nobis in vno iuncta Felicis ſinu
Mancipia Chriſti, nobiles terræ prius;
Nunc verò cælo deſtinatos incolas,
Quos Chriſtus ipſe, qui creauit diuites,
Hoc pauperauit ſeculo, in regnum vt ſuum
Terreni honoris arce deiectos vehat.
Apronianum Turciæ gentis decus
Ætate puerum, ſenſibus carnis ſenem,
Veteri togarum nobilem proſapiâ,

Sed

V. 150. *Hoc anno data*. Igitur Anno 406. Nolam conceſſerat Sancta hæc Romanorum cohors.

V. 155. *Pauperauit*. Pauperare eſt inopem facere. Vox melioribus etiam nota Latinis. Horat. 2. Serm. Sat. 5.

Eripiet quiuis oculos mihi citius quam te
Contemptum caſsâ nuce pauperet.

Plaut. in Pſeud. 20.

——————*Nam boni viri*
Me pauperant, improbi alunt.

Eamdem vocem in M.I. Glor. repetit. Chromat. Aquileienſ. Epiſcop. Hom. 2. *Qui ſe cauſâ religionis, ac Fidei ſeculo pauperarunt*.

V. 157. *Apronianum*. De illo in Diſſ. I.

V. 158. *Ætate puerum*. Summa dignum eſt animaduerſione, quod hîc Turcius *puer* nuncupetur; infra enim ait Pinianum Turcio ætate minorem fuiſſe. At Pinianus circa A. C. 406. trigeſimum, & quod excurrit, vitæ ſuæ annum agebat. Quum enim Auctor vitæ S. Melaniæ apud Surium die 31. Ianu. Pinianum aſſerat vnà cum Melaniâ Deo continentiam vouiſſe, dum illi ætatis annus 24. excurreret, & id An.Dom. 399. contigerit, vti probaui in Diſs. VI. manifeſtò colligitur Pinianum A. 406. trigeſimo ſaltem in anno ætatis conſtitutum. Vndè quum Turcius etiam puer vocetur, qui tamen Pinianum ætate præcellebat, *pueri* vocabulum à Paulino amplificari admodum videtur. Hic ipſe Pinianum infrà, Iulianum in eius Epithal., & Honorium Imperatorem, dum annus ætatis vigeſimus ſecundus illi foret, eodem *pueri* cognomine afficit. Id quidem

neſcio,

Sed clariorem Chriſtiano nomine,
Qui mixtâ veteris, & noui ortus gloriâ,
Vetus eſt Senator Curiæ, Chriſto nouus;
Huic propinquat ſocius æquali iugo
Æuo minor Pinianus, par fide,
Et ipſe priſco ſanguine inluſtris puer,
In principe Vrbe Conſulis primigenus;
Valerius ille Conſulari ſtemmate
Primus Latinis nomen in Faſtis tenens,
Quem Roma pulſis Regibus Bruto addidit,
Valeri modò huius Chriſtiani Conſulis
Longè retrorſum generis auctor vltimus.
O vena felix! Ille gentili licet
Terrore functus hoc ſuæ ſtirpis bonum
Non capiat atro merſus Inferni lacu;

Sed

neſcio, an vſum obtinnerit apud Græcos, Latinoſue auctores; ſed in Sacris Biblijs quandoque *pueri* appellantur ij, qui virilitatem iam attigere. Crediderim forſan hanc vocem à Paulino de ijs vſurpari, qui nuper Baptiſmum ſuſcepiſſent; ait enim in Ep. 36. ad Macarium de ſene quodam recenter baptizato: *Iam in extremæ ætatis ſenectâ puer, & malitiâ paruulus non ſolùm gratiæ, ſed & mentis infantiam gerit.*

V. 164. *Pinianus*. De hoc illuſtri viro ſingularem conſule diſſ. VI.

V. 166. *In principe Vrbe*. Cur Conſulem *in Vrbe principe*, nimirum in Vrbe Romà, vocat? An alibi tum temporis Conſules, vt ad eorum diſtinctionem Vrbis nomen fuerit apponendum? Ita ſanè. Ad exemplum Vrbis in Ciuitatibus Imperij præclariſſimis Conſules vocabantur ſupremi Magiſtratus. Burdigalæ conſtitutos Conſules nos docuit Auſonius de Clar. Vrb. in fine:

Diligo Burdigalam, Romam colo. Ciuis in hac ſum,
Conſul in ambabus. Cunæ hîc, ibi ſella curulis.

Exhibet Gruterus ſeptem Inſcriptiones pag. 429. & ſequ. L. Licinio cuidam poſitas, qui ter Conſul Barcinone fuerat. Memoratur itidem apud illum pag. 351. num. 5. alius in *Colonia Aſtigitanâ* Conſul VI. *Allius Mamercus*. Sic Sidonius Apollin. Conſul appellatus fuit, quum reuerà in patriâ ſuâ tantum hoc peregerit munus.

V. 167. *Valerius ille*. P. Valerius poſtea Poplicolæ cognomentum adeptus inter primos Conſules numeratus fuit. Ita nos omnes Faſti docent, Liuius, Plutarchus in eius vitâ, Sigonius, & reliqui Romanæ conditores Hiſtoriæ. Is Brutum collegam hoſtili transfixum haſtâ publicè laudauit, Legeſq; in populi fauorem condidit. Ex iſtius familiâ Pinianus prodierat.

Sed nos fideli contuentes lumine
Retroacta, vel præſentia humani ſtatus
Miramur opera conditoris ardui,
Et præparatos à vetuſtis ſeculis
Succeſſionum myſticarum lineis
Poſt ſtupemus impiorum filios.
Tamen in tenebris impiarum mentium
Lucis videmus emicaſſe ſemina
In tempore ipſo noctis antiquæ ſitis;
Quibus probata quamlibet Gentilibus
Mens, & voluntas lege naturæ fuit.
Hinc in quibuſdam nunc eorum poſteris
Veterum ſubinde vena reſpondet patrum,
Vt ille quondam Piniani, nunc mei
Auctor ſupremus in libertatem ſuis
Poſt Regna dura vindicandis ciuibus
Lectus nepotis huius ortum prætulit,
Qui mente auitâ perſequens ſuperbiam
Potiore cauſâ ſeruitutem depulit
A ſe met ipſo, corporis victor ſui,
Pulſoque Regno Diaboli è membris ſuis
Iam ſpiritali pace peccati iugum

Fidelis

V. 184. *Quibus probata*. Acris inter Pelagianæ, ac Ianſenianæ Hiſtoriæ Scriptores intercedit quæſtio, nempe vtrùm Gentilibus ſolo naturæ lumine bonum aliquod opus patrare licuerit, an verò omnia eorum facta nomen peccati mererentur. De huiuſmodi quæſtione legendus magnus Auguſtini clypeus, & gloria Em. Noriſius in Vindicijs Auguſtin. ſ. 4, Gonet. diſp. 1. de Neceſſ. gratiæ ſect. 5. Art. 3. Maced. in lib. aduerſ. Caluin., alijq; plurimi præſtantiſſimi Theologi. Apoſtolus ad Rom. 2. ita ſcribit: *Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*. S. Auguſt. de Spir. & lit. cap. 27., & 28. aliqua ab Infidelibus opera bona fieri aſſerit, additq; rationem, *quia non vſq; adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in eâ velut lineamenta permanſerint*. Hinc Paulinus in Ethnicis ait quædam *lucis emicaſſe ſemina*, eiſq; propterea aliquam in ſeculo mercedem, quum iuxta naturæ documenta operantur, à Deo conceſſam conſentiunt plerique Auctores.

V. 190. *Poſt Regna dura*. Hoc eſt poſt durum Regum Imperium, quibus Roma diu paruerat.

V. 205.

Fidelis animæ caſta libertas terit,
Et in hoc parentis aliquid illius refert
Puer iſte Chriſti Conſulatum militans,
Quod liberandis conſulens munus pium
Redemptionis ope diſpenſat Deo
Priſci parentis æmulator hactenus,
Quod ſeruitute liberat domeſticos,
Vt ille ciues. Sed quod ille geſſerat
In Vrbe & vná, & paruulá primis adhuc
Romæ ſub annis, hic modò in multis agit
Diuerſo in orbe conſtitutis vrbibus,
Paſſim benignus & ſuis, & exteris;
Nam & libertorum plurimis ceruicibus
Seruile ſanctis opibus expellit iugum,
Quos ære vinctos in tenebris carceris
Abſoluit auro de catená fænoris.
Hos ergò Felix in ſuo ſinu abditos
Mandante Chriſto condidit tectis ſuis,
Mecumque ſumpſit ſempiternos hoſpites.
His nunc vtrinque lætus adiutóribus
Trium ſub vná voce votum dedico,
Vno loquente ſpiritu in affectu trium:
Magnificate Deum mecum, & ſapientes honeſtis
    Vnanimes pueri pſallite carminibus.
Vt decachorda ſonent pulſis pſalteria neruis,
    Et paribus coeant diſſona fila modis.
Sic pia compagis noſtræ teſtudo reſultet,
    Tamquam vno triplex lingua ſonet labio.
Tres etenim numero ſumus ijdem, mentibus vnum.

Et

V. 205. *In Vrbe & vná*. Florus lib. 1. cap. 9. enarratâ Regum ab Vrbe expulſione ita loquitur: *Liber iam hinc Pop. Rom. prima aduerſus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro ſocijs, tum pro gloriá, & Imperio, laceſſentibus aſſiduè vſquequaq; finitimis; quippe cum patrij ſoli gleba nulla eſſet, ſed ſtatim hoſtile pomærium, mediuſque inter Latium, & Tuſcos quaſi in quodam biuio collocatus omnibus portis in hoſtem incurreret &c.*

V. 209. *Nam & libertorum*. Conſule diſſ. VI.

V. 225. *Tres etenim*. Hæc omnia explicui in Præf. ad hunc Natalem.

Et plures coeunt in tribus his animæ:
Quarum cæleſtis liber indita nomina ſeruat;
Prima chori Albina eſt, compar & Hæraſia;
Iungitur hoc germana iugo, vt ſit tertia princeps
Agminis hymniſonis mater Auita choris.
Matribus his duo ſunt tribus vno pignora ſexu;
Flos geminus Melani germen, & Eunomia.
Hæc eadem & nobis maribus ſunt pignora, nam quos
Diſcernit ſexus, conſociat pietas.
Cum patre Paulino pater æquè Turcius iſte eſt,
Sed me ætas, ſoboles hunc facit eſſe patrem.
Diuerſo ex æuo nomen ſociamur in vnum,
Et non ambo ſenes, ſed tamen ambo pares.
Ergò cohors hæc tota ſimul, tria nomina matres,
Quatuor in natis, in patribus duo ſunt.
Nam puer hinc Melani coniux in corpore Chriſti,
Cui Deus à pinu nomen habere dedit,
Natus vt æternæ vitæ puer arbore ab illâ
Suſciperet nomen, quæ ſine fine viret.
Pinus enim ſemper florente cacumine perſtans

Semper

V. 228. *Albina*. Adeat Lector diſſ. IV. vbi multa de hac præclariſſimâ fæminâ.

V. 228. *Compar & Hæraſia*. Legendum prorſus *compare Theraſia*, ſeu *cum pare Theraſiâ*. Vide diſſ. V.

V. 230. *Auita*. De iſtâ quoq; diſſ. III. inſtitui.

V. 232. *Flos geminus*. In Præf. ad hoc Poema elucidaui totum.

V. 238. *Ambo pares*. Mihi magis arrideret hæc lectio: *ſed tamen ambo patres*.

V. 241. *Melani coniux*. Ad ea recurre, quæ fuſius tractaui in diſſ. VII.

V. 245. *Pinus enim ſemper*. Virgil. in Culice.

Bumaſtuſq; virens, & ſemper florida pinus.

Columella lib. 9. de pabulis apum diſputans ait: *Poſthæc frequens ſit incrementi maioris ſurculus, vt roſmarinus, & vtraq; cytiſus; eſt enim ſatiua, & altera ſuæ ſpontis; itemq; ſemper virens pinus, & minor ilex*. Hunc Columellæ locum Petrus Victorius lib. 25. cap. 5. variar., Pontan. in Virgil. ad 4. Georg. v. 112. non de pinu arbore, ſed de quodam virgulti genere interpretantur, cui perpetua inſit viriditas. Salmaſius ad Solin. pag. 279. tum apud Virgilium, tum etiam apud Columellam legendum cenſet *tinus*, non *pinus*. Verum arguuntur viri tanti Paulini

teſti-

Semper amans celſis alta comare iugis;
Non mutat ſpeciem cum tempore, namque ſub æſtu,
Et niue par ſibimet ſtat viridante comâ.
Fertilis & fructu validæ nucis intus ad eſcam
Lac tenerum criſpo tegmine mater habet.
Pinguis odoratum deſudat thæda liquorem,
Vt nec in ipſo arbor robore ſit ſterilis.
Hæc igitur typus eſt æterni corporis arbor,
Pulchra, ferax, viuax, ardua, odora, virens.
Iſtius inſtar erit Domino puer iſte beatus
Arboris, vt maneat gratia perpes ei.
Iamque Deo plantatus agit, ſanctoque profectu
Fructiferum adtollit pinus vt alta caput.
Eminet hic proprio mihi filius in grege primus;
Aſt aliud mihi par lumen in Aſterio eſt.

Quem teſtimonio apertè arborem, non virgultum, pinum ſemper florentem appellantis:

Natus vt æternæ vitæ puer arbore ab illâ
Susciperet nomen, quæ ſine fine viret.

Hæc infrà expreſſiùs habet. La Cerda ad citatum locum Georg. pinum delitijs deſtinatam, ac in hortis ſæpè locum inueniſſe euincit, nimirum ad apum vtilitatem, quibus mediocres pinos Virgilius, & Columella deſtinant.

V. 251. *Deſudat thæda.* Ita in Codice noſtro, & in vetuſtis MSS. legitur, quamquam Stephani *tedam* abſque diphtongo ſcribere maluerint. Thæda Græcè δᾴς, vel δᾷς, quaſi fax, ſeu lampas vocatur. Eſt autem Thæda Pini morbus; nempè quum arbos illa nimiâ ſucci abundantiâ luxuriat, in lignum materiemue oleaginoſam ad incendium accommodam migrat. Theophraſt. de cauſ. Plant. lib. 5. cap. 15. *Τάχα δὲ καὶ γένει τινὶ δένδρων, καὶ οὐ κακυμένης, ἀλλ' εὐθενένης, οἷον τῆς λεύκης, ὅταν αἱ ῥίζαι δαδωθῶσι. Arborum autem genus etiam aliquod fortè eſt, cui corruptio ſpontè, nec vllo pacto laſo, ſed benè vigenti eueniat, vt pino, quum radices in thædam mutatæ fuerint.* Ex hoc ligno faces parabantur, quæ in Nuptijs potiſſimùm præferri ſolebant. Hinc Ouid. Ep. 12. *Pinea tæda* inquit. Columella lib. 5. cap. 10. 12. *Fiſſuram cuneo thæda pinea adigito.* De Thædis multa Salmaſ. in Solin. cap. 33.

V. 259. *Mihi filius.* Pinianum ſpiritalem Paulini filium etiam tetigit Auctor vitæ S. Melaniæ apud Surium die 31. Ianuar. de Piniano, ac Melaniâ eius coniuge in Siciliam profectis inquiens: *Vt Sanctiſſimum Epiſcopum Paulinum viſerent, qui erat eis pater ſecundum ſpiritum.*

V. 260. *Aſterio.* De iſto multa in Diſſ. II.

V. 262.

Quem ſimul vnanimes verâ pietate parentes
Infantem Chriſto conſtituere ſacrum.
Vt tamquam Samuel primis ſignatus ab annis
Creſceret in ſanctis votus alente Deo.
Prima parente Chriſti ſub nomine murmura ſoluit,
Et Domini nomen prima loquela fuit.
Iamque parente Deo regnis cæleſtibus ortus
Sidereo pariter nomine, & ore micat.
Hunc puerum, & fratrem fecit pia gratia patri,
Nam pariter ſancto flumine ſunt geniti.
Quos natura gradu diuiſerat, hos Deus almo
Munere germanos in ſua regna vehet.

E 3

V. 262. *Infantem*. Noſtrorum temporum Heterodoxi totâ inuehuntur rabie in Monachiſmum, ac in Religioſorum vota. Verùm non ita ſentiebant priorum ſeculorum Chriſtiani, quando & ab ipſis incunabulis Deo dicare pueros, puellaſque ſolebant. Hoc de Aſterio Paulinus affirmat, dixeratque antè de Eunomiâ:

Et ſimul Eunomia æternis iam pacta virago
In cælo thalamis, quam matris ab vbere raptam
Feſtino placitam ſibi Chriſtus amore dicauit.

Auguſtinus in Pſal. 75. hunc eumdem morem nobis inſinuat: *Alij virginitatem*, ait, *ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti ſunt, & reliquerunt, & iſti vouerunt plurimum.* Sic SS. Virginum præclariſſimæ, vt Tæcla, Agnes, Cæcilia, Agatha, Catharina &c. à teneris, vt aiunt, vnguiculis Deo dicatæ fueræ. S. Melania quoque Piniani vxor, vti habent eius acta die 31. Ianu. ap. Sur., filiam vix natam Deo dicauit: *Naſcitur ei puella. Ea, cum primùm lucem adſpexit, caſtitatis ſoli conſecrata fuit, Melanâ offerente primitias Domino, qui ipſam dederat, vt ſic vel conſuetudinem habens matrimonij videretur plurimum tribuere virginitati.* Hinc explicare facillimum erit Hincmari Rhem. Epiſcopi locum in vitâ S. Remigij, vbi ait Sanctum hunc, *poſtquam per viginti, & duos annos in Clericali conditione, in Epiſcopatu verò ſeptuaginta & quatuor continentiſſimè miniſtrauit, nonageſimo ſexto ætatis anno terræ corpus reddidiſſe*; nam vix natus Remigius Deo ſacratus fuit, atque iccircò ab ipſa eius natiuitate Clericatus illius anni ab Hincmaro dinumerantur.

V. 265. *Parente Chriſti*. Facilè foret verſum emendare, & pro *Chriſti* nomine *Dei* nomen reponere, ſed malè etiam verſus ſederet. Inſulsè repetita hîc ab exſcriptoribus alterius carminis vox, nempe:

Iamque parente Deo.

V. 268. *Sidereo*. Alterius ab *aſtro*, hoc eſt *ſidere* deducitur; hinc nomen

Ergò nouem cuncti ſocià cum prole parentes,
Pectore concordi ſimus vt vna chelys;
Omnes ex nobis cytharam faciamus in vnum
Carmen diuerſis compoſitam fidibus.
Æmilius veniat decimus. Tunc denique pleno
Concinet in nobis myſtica lex numero.
Hoc etenim numeri in capite, in teſtudine pacis
Viua ſalutiferum chorda loquetur opus.
Huic cytharæ plectrum Felix erit. Hoc decachordam
Chriſtus ouans cytharam pectine percutiet.
Quæ cythara in nobis Chriſto modulante ſonabit
Plenam perfectis ſenſibus armoniam.
Sic pax noſtra Deo totis ſit conſona fibris,
Simus vt vniti corpore, mente, Fide.
Talis enim cytharam ſanctis homo legibus implet
Omnibus ad vitam compoſitus numeris.
Cuius vita ſacræ concordat ad omnia legi,
Omnis enim inrupto ſtamine chorda canet.
Nunc ad te, venerande Parens, æterne patrone,
Suſceptor meus, & Chriſto cariſſime Felix,
Gratificas verſo referam ſermone loquelas.
Multa mihi varijs tribuiſti munera donis;
Omnia, præſentis vitæ rem ſpemque futuræ
Quæ pariunt, tibi me memini debere, cui me
Mancipium primis donauit Chriſtus ab annis.
Si mihi flumineis facundia curreret vndis,

Oraque

men ſidereum Aſterio eſſe Paulinus ait:

V. 273. *Ergò nouem*. Vide Præf. ad hoc Poema.

V. 277. *Æmilius*. De iſto prolixam diſceptationem habes Diſſ. VIII.

V. 291. *Nunc ad te*. Dungalus in reſponſ. ad Claud. Taurin. hos verſus ex Natali XIV. citat, alioſque itidem ex eodem Natali decerpſiſſe fatetur, qui tamen omnes Codicis noſtri beneficio ad vnum, & eumdem Natalem XIII. pertinere dignoſcuntur. Inde ortus error, Paulinum XV. Natales elucubraſſe, quum ſolùm XIV. potius ſint reputandi.

V. 298. *Si mihi flumineis*. Celebriores Poetas Poeta noſter imitatur, qui huiuſmodi verbis ſunt vſi. Homerus:

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Neque ſi mihi decem linguæ quidem, decem & ora eßent, vox & in-

fran-

Oraque mille forent centenis perſona linguis;
Fortè nec his opibus conlato fonte refertus
Omnia Felicis percurrere munera poſſem,
Quanta ſuo Dominus donauit Chriſtus amico;
Et mihi Confeſſor famulo transfudit alumno.
Quæ quibus ante feram donis diuerſa, ſed æquis
Grandia ponderibus concurrunt multa, nec ex his
Quid potius memorare legam, diſcernere poſſim.
Iudicij facilis diſcrimen copia turbat.
Si primâ repetens ab origine cuncta reuoluam,
Quæ pietate pari vario mihi præſtitit æuo,
Ante queam capitis proprij numerare capillos,
Quam tua circa me, Felix bone, dona referre.
Tu mihi cæleſtum, ſi poſſem adtingere, rerum
Prima ſalutiferis iecisti ſemina cauſis.
Nam puer occiduis Gallorum aduectus ab oris,
Vt primùm tetigi trepido tua limina greſſu,
Admiranda videns operum documenta ſacrorum
Pro foribus feruere tuis, vbi corpore humato
Clauderis, & meritis latè diffunderis altis,

Toto

frangibilis, æreum & mihi pectus ineſſet. Virgil. 6. Æneid.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox &c.——————

Ouid. Lib. 1. Triſt. Eleg. 4., Silius lib. 9., Claudian in Paneg. Olybr. & Prob., & alij cecinere. Perſius tamen Sat. 5. hunc morem ridet:

Vatibus hic mos eſt centum ſibi poſcere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum &c.

V. 314. *Nam puer.* Sunt qui in dubium reuocarunt, an Paulinus in Aquitaniâ cunas fuerit ſortitus, ſed præter alias auctoritates id euincentes en idem aſtruitur.

Nam puer occiduis Gallorum aduectus ab oris.

Paulinus ergò ſuum apud Gallos ortum traxit. Clariùs infrà aſſeritur:

Te reuocante ſoli quondam genitalis ad oram
Sollicitæ matri ſum redditus.

Hæc de ſe ipſo in Galliam profecto loquitur, vbi etiam innuit parentem ſuam etiam tum in viuis egiſſe. Addit ſe, licet in Hiſpaniâ morantem, *Gallâ* tamen *mente* vixiſſe. Ceterùm Nolam ſe adhuc puerum conceſſiſſe ſuperiùs iterum teſtatus eſt Paulinus S. Felicem ita alloquens:

——————————— tibi me
Mancipium primis donauit Chriſtus ab annis.

V. 321.

Toto corde Fidem diuini nominis hauſi,
Inque tuo gaudens adamaui lumine Chriſtum;
Te Duce faſcigerum geſſi primæuus honorem,
Teque meam moderante manum, ſeruante ſalutem,
Purus ab humani ſanguinis diſcrimine manſi.
Tunc etiam primæ........ libamina barbæ
Ante tuum ſolium, quaſi te carpente, totondi;
Iam tunc præmiſſo per honorem pignore ſedis
Campanis metanda locis habitacula fixi,

Te

V. 321. *Te Duce faſcigerum*. De Conſulatu S. Paulini prolixè egi in Diſſ. IX.

V. 323. *Purus ab humani*. Carmen emendandum, ac *ſanguinis* vocabulum aut tollendum, aut in metro anteponendum. Placeret

Purus ab humanæ cædis diſcrimine manſi.

V. 324. *Tunc etiam primæ*. Pes à verſu abeſt. Aut epitheto igitur *libamina* ſunt iungenda, aut quid aliud interponendum exempli causâ. *Tunc etiam primæ, vt mos eſt, libamina barbæ*. Mos antiquis fuit, quum primum ex ephæbis prodirent, barbam tondere, eamque Deo alicui, aut Penatibus dicare. Theſeus Delum huius rei causâ profectus eſt, vt in eius vitâ Plutarchus docet. Statius Thebaid. lib. 8.

Ille genas Phœbo, crinem hic paſcebat Iaccho.

Dio lib. 61. de Nerone agens ait: Τρίχας ἐς σφαίριόν τι χρυσοῦν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διῒ τῷ Καπιτωλινίῳ. *Barbam in ſphæram quandam auream coniiciens dedicauit Ioui Capitolino*. Quod idem Suetonius hiſce verbis prodiderat: *Gymnico, quod in ſeptis edebat, inter Buthyſiæ apparatum barbam primam poſuit, conditamque in auream pixidem, & pretioſiſſimis margharitis adornatam Ioui Capitolino conſecrauit*. De hoc more videndi Biſciol. Hor. Subceſiu. lib 7. cap. 5., Alex. ab Alex. Dier. Gen. lib. 1. cap. 26. & lib. 3. cap. 27., & alibi, Cæl. Rhodig. lib. 19. cap. 22., Tiraquell. de Iure primig., Adrian. Iun. lib. 2. de coma, & alij. Quod Ethnici fecere, id & in Chriſtianos translatum hinc diſcimus. Illi Dijs ſuis, iſti Sanctis Martyribus, aut ipſi Deo ſummo dicabant. E vita S. Vuillelmi Ducis editâ per V. C. Mabillonium cap. 23. edocemur barbam Deo conſecratam à Monachis, qui eam ponebant. Barbæ apud Chriſtianos benedictio fiebat, quum illa tondebatur. Ademarus Cabanenſis apud Beſlium pag. 328. de Iordano Epiſc, ait: *Craſtino diem barbam benedici iubet, & detondi*. De quo more conſule DuFreſnium in Diſſ. 22. ad Ioinuillam pag. 273. Paulinus itaque ante S. Felicis tumulum barbam primam ſecari voluit, eamque fortè S. Confeſſori dicauit.

V. 327. *Campanis*. Ad ea recurre, quæ fuſiſſimè tractauimus in Diſſ. X. ne hîc moroſi nimium euaderemus.

V. 342.

Te fundante tui ventura cubilia ſerui.
Cum tacitâ inſpirans curam mihi mente iuberes
Muniri, ſternique viam ad tua tecta ferentem,
Adtiguumque tuis longo conſurgere tractu
Culminibus tegimen, ſub quo prior vſus egentum
Incoluit, poſt hæc geminato tegmine creuit
Structa domus, noſtris quæ nunc manet hoſpita cellis:
Subdita pauperibus famulatur porticus ægris,
Quæ nos impoſitis ſuper addita tecta colentes
Suſtinet hoſpitijs, inopumque ſalubria præſtat
Vulneribus noſtris conſortia ſede ſub vnâ,
Commoda præſtemus nobis vt amica viciſſim;
Fundamenta illi confirment noſtra precantes,
Nos fraterna inopum foueamus corpora tecto;
Ergò vbi bis terno ditionis faſce leuatus
Depoſui nullâ maculatam cæde ſecurim,
Te reuocante ſoli quondam genitalis ad oram
Sollicitæ matri ſum redditus. Inde propinquos
Trans iuga Pyrenes adij peregrinus Iberos.
Illic me thalamis humanâ lege iugari
Paſſus es, vt vitam commercarere duorum,
Perque iugum carnis duplicata ſalus animarum
Dilatam vnius poſſet penſare ſalutem.
Ex illo quamuis alio mihi tramite vita
Curreret, atque alio colerem procul abſitus orbe;

Quâ

V. 342. *Ergo vbi bis terno*. Vide eamdem Diſſ. X.

V. 344. *Soli quondam genitalis*. Nimirum Galliæ, ſeu Aquitaniæ, ex quâ ortum ſuum traxerat Paulinus.

V. 345. *Inde propinquos*. Burdigalæ in clariſſimâ Aquitaniæ vrbe natus eſt Paulinus, quod Vranius in eius vitâ teſtatur, aut Hebromagi in pago eidem vrbi proximo, vt Auſonius in Ep. ad eumdem Paulin. innuit. Hinc eſt, quod Paulinus propinquos vocet Iberos, & iuga Pyrenes.

V. 347. *Illic me thalamis*. Theraſia, de quâ Diſſ. V. vide, Paulino coniux obtigit. Hæc probabili nimium coniecturâ in Hiſpanijs nata, fuitque eius patria fortaſsè Complutum, ſiquidem in Paneg. Celſi Paulinus ait de filio ſibi nato:

Quem Complutenſi mandauimus vrbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus.

V. 353.

Quâ maris Oceani circumſonat vnditus æſtu ;
Galliâ mente tamen numquam diuulſus ab iſtâ
Sede fui , ſemperque ſinu Felicis inhæſi,
Inque vicem ſenſi Felicem adſiſtere noſtris
Rebus in omne bonum , per cuncta , domique , foriſque ,
Conficienda . Mihi res , & defenſio rerum
Vnus erat Felix placato Numine Chriſti ,
Semper & auertens auerſa , & proſpera præſtans.
Tu Felix ſemper felix mihi , ne miſer eſſem ,
Perpetuâ pater , & cuſtos pietate fuiſti .
Cumque laborarem germani ſanguine cæſi,
Et conſanguineum pareret fraterna periclum.
Cauſa mihi , cenſumque meum iam Rector adijſſet,

Iu

V. 353. *Quâ maris Oceani*. Facili negotio verſus emendandus , neque enim Paulinus vnquam illud *vnditus* excogitauit , ſed verbum aliquod mutandum . Petrus Bernardonius elegantiſſimus Poeta , ſummoque vir præditus ingenio ita legendum hunc verſum cenſet :

Quâ maris Oceani circumſona tunditur æſtu,

ac propterea corrigendum etiam ſuperiorem , vt ſibi ſenſus conſtet:

Atque aliam colerem procul abſitus oram .

Sed quamnam Hiſpaniæ regionem colebat Paulinus ? Nos ne Auſonio fidem habeamus , dum noſtro Poetæ in Ep. 24. querulus hæc obijcit :

——————— *Me Punica lædit*
Barcino , me bimaris iuga ninguida Pyrenæi .

Et infra : *Nunc tibi trans Alpes , & marmoream Pyrenen*
Cæſareæ Auguſtæque domus Tyrrhenica propter
Tarraco , & oſtrifero ſuperaddita Barcino ponto .

Hæ ſiquidem vrbes Tyrrheno tantum mari alluuntur, non verò Oceano . Equidem arbitror in Vaſconiâ plerumque egiſſe Paulinum . Erat hæc Hiſpaniæ pars prope Oceanum in Aquitaniæ finibus . Ipſe Poeta fidem facit in Ep. 4. ad eumd. Auſon.

——————— *Quid tu mihi vaſtos*
Vaſconiæ ſaltus , & ninguida Pyrenæi
Obijcis hoſpitia & In primo quaſi limine fixus:
Hiſpanæ regionis agam &c.

Non ita tamen Paulinus ibi conſtitit , vt reliquum Hiſpaniæ Tarraconenſis tractum ſæpè non inuiſeret . Hoc alia eiuſdem carmina ſuadent . Ego ad alia progredior .

V. 365. *Iam Rector* . Prouincijs Romani Imperij Rectores præficiebantur , quibus ſumma poteſtas in fontes , & patrimonia erat . Eſt Tit. in C. Theod. Lib. 1. de Off. Rector. Prouinciæ , vbi de his plura . Agunt

 etiam

Tu mea colla, pater, gladio, patrimonia Fiſco,
Eximis, & Chriſto Domino mea, meque reſeruas:
Nam quo conſilio rebus capitique meo tunc
Chriſtus opem tulerit, Felicis cura potenter
Adfuerit, docuit rerum poſt exitus ingens,
Quo mutata mea eſt ſors, & ſententia vitæ,
Abiurante Fide mundum, patriamque, domumque;
Prodita diuerſis egit commercia terris,
Portandamque Crucem diſtractis omnibus emit:
Res igitur terræ Regni cæleſtis emit ſpem;
Spes etenim Fidei carnis re fortior. Hæc ſpes
Perpetuam, quæ nixa Deo eſt, rem parturit; At res
Carnea cæleſtem perimit ſpem, quæ tamen & rem
Si ſuperet vincente Fide, non protinus aufert,
Sed benè mutatam diuino iure reformat
De fragili æternam referens, terriſque remotam
In Cælis ſtatuens, vbi fidus credita cuſtos
Chriſtus habet, neque tantum iſto, quo ſumpſerit iſtinc,
Depoſitum numero ſeruat, ſed multiplicato,
His, qui crediderint, commiſſa talenta rependet
Fænere, ſeque credentibus efficiet rem.
Et quæ res hac re poterit pretioſior eſſe?
Si totus Mundus mihi res priuata fuiſſet,
Num potior Domino foret hæc poſſeſſio Chriſtò?
Et quis me tantæ vel ſpe modò poſſeſſorem
Præſtitit eſſe rei? Quis me rem compulit iſtam
Spernere pro Chriſto, vt Chriſtum mihi verteret in rem?
Quis niſi tu, ſemper mea magna potentia, Felix

Pec-

etiam de illis l. 1. C. de Off. Præf. Præt. Afr. §. Deo nobis. l. illicitas. ff de Off. Præſid., & alia Imperatorum edicta. Vide Gothofr. in Not. Dignitat., Pancirol. ad Not. vtriuſque Imp., & Bulenger. in Imp. Rom.

V. 373. *Egit commercia*. Mallem *egi commercia*, vti etiam in ſequenti carmine: *diſtractis omnibus emi*.

V. 386. *Seque credentibus*. Adderem *ipſum*, vt ſit completum carmen:

Fænore, ſeque ipſum credentibus efficiet rem.

V. 393. *Mea magna potentia*. Virgiliana imitatio. Ait Venus Æneid. lib. 1. ad Cupidinem:

Nate,

Peccatis inimice meis, & amice ſaluti?
Tu mihi mutaſti patriam meliore paratu
Te mihi pro patriâ reddens. Tu carnea nobis
Vincula rupiſti. Tu nos de labe caduci
Sanguinis exemptos terræ genitalis ab orâ
Ad genus emigrare tuum, & cæleſtia magnis
Feciſti ſperare animis. Tu ſtemmata noſtra
Mutans de prauis mortalibus inter amicos
Cæleſtis Domini, & libro ſignata perenni
Nomina translato mortalis originis ortu
Deleri facies morti, tranſcripta ſaluti.
Quid ſimile his habui, cum dicerer eſſe Senator,
Qualia nunc iſtic habeo, cum dicor egenus?
Ecce mihi per tot benedicti Martyris aulas,
Et ſpatijs amplas, & culminibus ſublimes,
Et recauis altè laquearibus ambitioſas,
Inriguas & aquis, & porticibus redimitas;
Vndique, & vbique ſimul, quodcumque per iſta Beati
Nomine Felicis colitur, celebratur, habetur,
Omnibus in ſpatijs domus eſt mea. Nec locus vllus
Ædibus illius coniunctus, & inſitus extat,
Qui mihi non quaſi res pateat mea. Sed quid in iſto

Mu-

Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus.
Statius lib. 1. Theb. ita Venerem inducit loquentem:
Sed dabitur iuueni, cui tu mea ſumma poteſtas
Nate cupis.

V. 396. *Tu carnea nobis.* Sanctum caſtitatis propoſitum innuit, quo ſe vna cum coniuge Theraſiâ Chriſto dicauerat; Vt enim ad Sacerdotium promoueretur, ab vxoris toro ſeiungendus erat. Hæc priſca Eccleſiæ conſuetudo multis Conciliorum Canonibus roborata inuenitur. S. Hier. in Ep. ad Pammach. *Epiſcopi, Præsbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Idem ſæpè repetit, & præſertim contra Vigilantium. Arator Subdiac. cap. 30.

Eccleſiæ nunc alma Fides ſine fine pudicos
Pontifices iubet eſſe ſuos &c.

De hac quæſtione plures plura, & præcipuè Bellarm. lib. 1. de Clericis; Allatius de conſenſ. vtriuſque Eccl. Propterea Theraſiam *de coniuge ſororem Paulini factam* inquit Idacius in Chron.

V. 430.

Munere me iactem, ſi rem Felicis amati
Viſibili lapidum tecto vernaculus hoſpes
Poſsideam? Quantò plus eſt mihi, quod mihi Felix
Ipſe Dei dono domus eſt, in quo mea viuat
Vita, domum nullis lapſuram poſsidet annis?
Nam quod Felicis domus & mea ſit domus, ipſo
Permittente ſui licitas mihi iuris habenas,
His etiam probat officijs audacia noſtra,
Hoſpita quod ſocios in tecta recepimus, & nunc
Omnes iure pari Felicis iura tenemus,
Feliciſque patris gremio coniuncta fouemur
Pignora, quæ noſtis, quos cernitis, & modò in ipſis
Felicis tectis mecum metata tuentes
Hoſpitia, oblitos veterum præcelſa domorum
Culmina, & anguſtis vicino Martyre cellis
Tutiùs in paruo ſpretâ ambitione manentes.
Chriſtus enim iuxtà eſt modicis, auertitur altis;
Pauperis & tuguri magis arta tigilla frequentat,
Quam præcelſa ſuperbarum faſtigia rerum.
Ergò vt componam, quæ nunc colo, tecta relatis
Culminibus, quæ nunc habeo, aut habuiſſe recordor;
Si placet, arbitris ſibimet componite iuſtis.
Quæ tam pulchra domus? Quis ager tam fertilis? aut quid
In re mortali fuerit mihi, quam modò in iſtâ
Paupere contribuit Chriſtus, per quem mihi abundat
Diues inexhauſto reditu poſſeſſio Felix?

Vt

V. 430. *Vicino Martyre*. In his eiſdem Cellis à ſe exceptam fuiſſe Melaniam ſeniorem ſcripſit Paulinus in Ep. X. ad Seuer. *Tugurium verò noſtrum, quod à terrâ ſuſpenſum cænaculo vno, porticu cellulis hoſpitalibus interpoſitâ, longiùs tenditur, quaſi dilatatum gratiâ Domini non ſolùm Sanctis, qui illam plurimi comitabantur, ſed etiam diuitum illorum cateruis non incapaces anguſtias præbuit.*

V. 433. *Arta tigilla*. Tigillum eſt *tignum paruum*, ſeu exigua trabs, ac propterea parum ſibi conſtat ſenſus. Emendare placet: *magis arta tegella*. Tegellum nuncupatur *paruum tegmen*, puſillumue tectum. Hoc Poetæ menti magis conſonat.

V. 441. *Inexhauſto reditu*. *Reditus*, non *redditus* pro prouentu apud optimos Auctores in vſu fuit: Ouid. lib. 4. de Ponto, Eleg. 5.

Aut populi reditus poſitam componat ad haſtam.

Vbe-

Vt verò ex veteri relegam mea prædia cenſu,
Quicquid erat magnum quondam mihi qualibet in re,
Terra erat, & vacuæ ſpecies ventoſa figuræ,
Siue aurum, gemmæque forent, erat illa ſupellex
Ville bonis pretium, pretioſum virus auaris.
At modò caſſus opum, nec opum, ſed verius expers
Damnatorum onerum ſecurâ liber habendi
Paupertate fruor, nec habent inimica ſequentum
Vincula, quo teneant nudum. Facilè leuis exit
Corpore, quem nullis ſuffocat amoribus illex
Per varias ſpecies mundi fallentis imago.
O veneranda mihi, & toto pretioſior orbe
Pauperies Chriſti theſauro cælite ditas;
Quos ſpolias opibus, terræ quaſi rudere pùrgas,
Deſtruis in nobis terrena, æterna viciſſim
Conſtruis in pretium vitæ; diſpendia terræ
Vertis vere nouo, verſâ vice detrimenti,
Vt lucri nobis ſeruata pecunia damnum,

Non

Vberiores reditus Velleio Paterculo dicuntur lib. 2. Hiſt., & *populi reditus* Plinio lib. 16. cap. 37 memorantur.

V. 443. *Quicquid erat magnum.* Vir profectò ditiſſimus olim Paulinus fuerat. Præter alios Auctores apertè Auſonius innuit Ep. 24. ad eundem:

Ne ſparſam raptamque domum, laceratáque centum
Per dominos veteris Paulini regna fleamus.

S. Eucherius in Ep. de contemptu Mundi: *Paulinus quoque Nolanus Epiſcopus peculiare, & beatum Galliæ noſtræ exemplum ingenti quondam diuitiarum cenſu* &c. Venant. Fortun. in Vita S. Martini lib. 2. hæc de Paulino habet:

Diues agris, opulens famulis, locupletus aceruis,
Vir cenſu vaſtus, lare celſus, & ore rotundus,
Ditior ipſe fide, pro Chriſto fit ſibi pauper,
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos.

Mitto Auguſtin. lib. 1. cap. 10. de Ciu. Dei, Proſper. in Chron. ad Annum 4. Arcad. & Honor., Greg. Turon. de Gl. Conf. cap. 107., & reliquos.

V. 450. *Facilè leuis exit.* S. Hieronymus in Ep. 13. ad Paulinum noſtrum: *Denique, ait, & tu, auditâ Saluatoris ſententiâ: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me, verba vertis in opera, & nudam Crucem nudus ſequens expeditior, & leuior ſcandis ſcalam Iacob.*

V. 461.

Non ſeruatâ lucrum faciat, ſed more ſiniſtro
Fuſa eadem damno eſt. Nec enim ſine nomine Chriſti
Præceptoque cuiquam ſua fundere prodeſt;
Nam verè pereunt vitijs impenſa profanis;
Luxus, & ambitio magno diſcrimine morbi
Crimen auaritiæ penſant, quia par in vtroque
Cauſa ſubeſt mortis, quam ſic maculoſa libido
Perficit, & rerum mundi maleſuada cupido.
His me diuitijs inopem cupis, optime Felix,
Vt facias vitæ locupletem, & paupere cultu
Exſortem reddas mortis ſine ſine luendæ
Diuitibus mundi, quibus auri lethifer vſus
Parturit æternos ſocijs cum vermibus ignes.
Non ſolis tibi nos iunctis vis degere tectis,
Quos & in æternæ tibimet conſortia vitæ
Enutrire paras, & ad illam ducere formam,
Quam tu ſub Domini perfectus imagine Chriſti
Geſſiſti in terris homo quondam ex diuite pauper;
Nam cui paupertas tua, quam pro nomine ſancto
Proſcriptis opibus gaudens Confeſſor adiſti,
Ignorata manet, & quâ præditus vſque ſenectam
Conducto felix coluiſti ſemper in horto?

Prop-

V. 461. *Nec enim ſine nomine.* Idem S. Hier. lib. 3. in Matthæum: *Non dixit Chriſtus: qui reliquiſtis omnia, hoc enim & Crates fecit Philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt; ſed qui ſequuti eſtis me, quod proprium Apoſtolorum eſt, atque credentium.*

V. 462. *Præceptoque cuiquam.* Carmini deeſt aliquid. Scriberem: *Præceptoque eius cuiquam.*

V. 477. *Quondam ex diuite.* De S. Felice idem Paulinus Nat. IV. dixerat:

——————— multoque relictus in auro
Diues opum viguit, quamuis non vnicus hæres.
Hermiâ cum fratre ſui cognomine patris
Terrenas diuiſit opes, cæleſtia ſolus
Obtinuit Felix &c.

V. 481. *Conducto Felix.* De eod. S. Confeſſore Paulin. Nat. V.

——————— tria macri iugera ruris
Nec proprio ſub iure tenens, conducta colonus
Ipſe manu coluit, famulo ſine, pauperis horti
Poſſeſſor ———————

Eadem

Propterea ſimiles tibi niteris efficere omnes
Paupertate piâ, quos ſuſcipis hoſpites tecto;
Diſſimilis nec enim tibi poſſet forma coire.
Quantùm etenim diſcors agno lupus, & tenebris lux,
Tantùm diſpeſcunt via diuitis, & via Chriſti.
Nam via lata patet, quæ prono lubrica cliuo
Vergit in Infernum, quâ dites vrget auaros
Molibus impulſos proprijs in Tartara ferri.
At via, quæ Chriſti eſt, quæ Confeſſoribus almis
Martyribuſque patet, paucis iter ardua pandit.
Non capit ergò via hæc furſos, excludit onuſtos.
Propterea famulum, ſectatoremque Beati
Martyris adſtringi decet, exutumque moleſtis
Compedibus tenuem de paupertate ſalubri,
Atque leuem fieri, vt portam penetrare per artam
Poſſit, & excelſum Domini conſcendere montem.
Sed quid ego imprudens diſcernere pondera rerum?
Pro magis hæc ego pono tuis, pater optime, donis,
Quamlibet hæc quoque ſint mihi grandia, parua tamen ſunt,
Si potiora loquar. Quota portio namque tuorum eſt
Ergà nos operum reputatio muneris huius,
Quod terram hoſpitio dederis, habitandaque tecta
Condere præſtiteris, cum tu, pater, & tua nobis
Viſcera præbueris? Nam quid niſi viſcera nobis
Intima prompſiſti, quibus interiora ſepulcri,
Sancte, tui excitis ab operto puluere cauſis
Pandere dignatus ſpeciali nos tibi amore
Inſertos tanto voluiſti prodere ſigno,

Vt

Eadem habent Beda, & Marcellus Presbyter in S. Felicis vitâ.

V. 486. *Tantum diſpeſcunt*. *Diſpeſcere* pro *diſſidere* vox inuſitata. Lege idcirco: *tantum diſcordant*, vt carmen ſuperius docet, in quo dicitur: *agno lupus diſcors*.

V. 492. *Via hac furſos*. Placet coniectura hoc in loco Petri Antonij Bernardonij, amæniſſimi Poetæ, meique ſupra omnes familiaris, cui legendum videtur *fartos*, literis nimirum in Codice parumper vitiatis. Hoc autem verbum propriè *plenos*, *graueſque cibo* ſignificat, ac Poetæ menti omninò conuenit.

V. 504. *Cum tu pater*. Melius ſcriberetur: *cui*, vel *quod tu pater*.

Vt tacitam, & fixam per tot retrò ſecula ſedem
Corporis, alme, tui ſubitò exiſtente fauillâ
Pulueris in noſtro ſeruari tempore velles?
Ergò illas Felicis opes in laudibus eius
Tranſcurſu properante legam, quaſi dona minora,
Multa ſuo nobis quæ iam gremio ſuſceptis
Sedulus adtribuit, neque parcet prodigus in nos
Iugiter affluere innumeris ope diuite donis,
Non ea ſuppeditans tantùm, quibus indiget vſus
Corporis, illa etiam, quibus & nunc gratia nobis
Quæritur, & poſt nos retinetur nomen honoris,
Addidit, vt tantis numquam retrò condita ſeclis
Noſtro opere extructas adcreſcere, vel renouari
Porticibus domibuſque ſuas permitteret aulas.
Ille etiam proprij nobis ſecreta ſepulcri
Sancta reuelauit. Paucis venerabile munus
Eloquar, vt magnæ pietatis luceat inſtar,
Quâ nos indignos tanto dignatus amore eſt,
Vt propè ad arcanum permittens noſtra verendum
Lumina ceu proprijs ſua proderet oſſa medullis.
Ergò ſuam toto vobis loquar ordine cauſam,
Quâ tribuit vinina ſuis nos cernere membris,
Atque ipſam poſiti contingere corporis arcam.
Nota loci facies cunctis manet, vt ſuper ipſum
Martyris abſtruſi ſolium, claudente ſepulcri
Cancello latus in medio, ſit pagina quædam

Mar-

V. 510. *Per tot retro ſecula*. Diſſertationem XIV. adi, in quâ de S. Felice. Ibi aduerſus vulgarem opinionem de eius Martyrij tempore plura diximus.

V. 535. *Cancello*. Cancellis circumdari hominum Sanctitate illuſtrium ſepulcra ſolebant. Paulinus Nat. VII.

Excuſſum de plebe rapi, admotumque ſacratis
Ante fores Sancti cancellis corpore verſo &c.

Greg. Turon. lib. 6. Hiſt. Franc. cap. 10. *Qui fures ponentes ad feneſtram abſidæ cancellum, qui ſuper tumulum cuiuſdam defuncti erat &c.* Paulus in libello, quem S. Auguſtino obtulit Serm. 31. de diuerſ. ait: *Orabam ego quotidiè cum magnis lacrymis in loco, vbi eſt memoria glorioſiſſimi Martyris Stephani. Die autem Dominico Paſchæ, ſicut alij, qui præſentes erant, viderant, dum orans cum magno fletu Cancellos teneo, ſubitò cecidi.*

Marmoris adfixo argenti veſtita metallo:
Iſta ſuperficies tabulæ gemino patet ore
Præbens infuſæ ſubiecta foramina nardo,

Quæ

cecidi. S. Ambr. in Ep. ad Marcellinam: *Formidantibus etiam Clericis iuſſi erruderari terram eo loci, qui eſt ante cancellos SS. Felicis, & Naboris &c.* Quod idem repetit Paulinus alter in Ambroſij vitâ. Noſter verò infrà de aperiendo S. Felicis tumulo ait:

——————— Eſt primus labor illis
Cancellos remouere loco ———————

V. 535. *Sit pagina quædam*. Ita ſcripſi, quum in MS. haberetur: *Sed pagina quædam*. Sanctorum ſepulcra argento, aut auro olim tegebantur. Celebris eſt hîc Mediolani ara, vbi SSS. Ambroſij, Protaſij, & Geruaſij corpora conduntur, quam Angilbertus Archiepiſcopus aureis cooperuit laminis. Anno 1468., referente Spondano de Cæmet. Sacr. lib. 1. part. 3. cap. 4. Romæ in ſacello S. Petronillæ reperta eſt arca marmorea candidiſſima in ſe duas capſas ligneas continens, vnam grandiorem, alteram pueruli capacem, vtramque laminis argenteis contectam, Signoque Crucis inſignitam. Aut ipſæ arcæ ex argento efformari ſolebant, harumque exempla petes ab Aringh. in Rom. Subterr. Anno 1695. Ticini ſub Confeſſione, ſeu altari S. Auguſtini repertus non diſſimilis ſarcophagus capſas duas in ſe continens, quarum altera ex puriſſimo argento. Diù quæſitum an oſſa incluſa Auguſtini forent; Sed res adhuc in incerto.

V. 537. *Gemino patet ore*. Sanctorum tumuli ita conditi, vt corpora in capſulis incluſa penitus humi laterent; ſuperiore verò parte aperiebatur in pauimento *foramen* vnum, aut geminum, quod in Vitâ S. Quintini ap. Surium 31. Octob., & apud alios *feneſtella* nuncupatur, cui circumpoſiti cancelli, de quibus ſupra. Huiuſmodi imaginem conſpicere eſt in S. Caroli ſepulcro hîc Mediolani. Per hæc foramina pallæ, oraria, Brandea (vti apud veteres velamina quædam vocabantur) oleaque immittebantur, vt vniuerſa per tumuli contactum virtute ex Sanctorum reliquijs effluente imbuerentur. Greg. Turon. lib. 2. de Glor. Mart. cap. 46. de ſepulcro S. Venerandi ait: *Super quod caput quicumque vult per feneſtellam immittit precans, quæ neceſſitas cogit.* Idem de Glor. Conf. cap. 37. lib. 1. Sepulcrum SS. Petri, & Pauli deſcribens: *Qui orare deſiderat, reſeratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulcrum, & ſic feneſtellâ paruulâ patefactâ &c.* Metaphraſtes ap. Sur. 11. Iul. S. Euphemiæ reliquias adinuentas refert; In eius autem ſepulcro arca erat, *paruum foramen habens, in quod cum ego quoque indignus aliquandò auſus eſſem manum inferre, & loculum tetigiſſem, ſenſi bonum odorem, & gratiam apprehendi.*

V. 538. *Præbens infuſæ*. Pius iſte mos Chriſtianorum erat, vt oleum

nar-

Quæ cineris ſancti veniens à ſede repoſtâ
Sanctificat medicans arcanâ ſpiritus aurâ.
Hæc ſubitò infuſos ſolito ſibi more liquores
Pocula de tumulo terrâ ſubeunte biberunt,
Quique loco dederant nardum exhaurire parantes;
Vt ſibi iam ferrent, mirâ nouitate repletis
Pro nardo iaculis cumulum erumpentis arenæ

Inue-

nardumue ad Sanctorum ſepulcra deferrent, queis liquoribus curationum gratia communicabatur. En quid Paulinus de hac nardo ferat:

Quæ cineris ſancti veniens à ſede repoſtâ
Sanctificat medicans arcanâ ſpiritus aurâ.

Infuſam nardum ſolebant reportare immittentes.

Quique loco dederant, nardum exhaurire parantes
Vt ſibi iam ferrent ——————

Dixerat Nat. VI.

Martyris hi tumulum ſtudeant perfundere nardo;
Et medicata pio referant vnguenta ſepulcro.

Quot autem virtutes oleum, ac nardus è SS. Martyrum tumulis aſportata operarentur, pluribus euincere poſſem. Auguſtinus vnus ſat erit, qui lib. 22. cap. 8. de Ciu. Dei hæc de filio quodam defuncto habet: *Cumque corpus iaceret exanime, atque à gementibus, & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter conſolantium verba ſuggeſſit, vt eiuſdem Martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & reuixit.* Hunc morem, oleique benedicti virtutem videant Agiomachi, quam rectè ipſi calumnientur. Nos ad alia feſtinamus.

V. 539. *Quæ cineris ſancti*. Rem hanc mirè illuſtrant Paulini Petricordij carmina lib. 5. de Vitâ S. Martini, vbi ſic ait:

Namque vt ſæpè ſolent præcauto corde Fideles
Vaſa oleo opplere, & ſeruandæ adducta ſaluti
Vel iuſtis offerre viris, vel condere ſanctis
Religione locis, quibus aut operatio præſens
Martyris emeritos prodit virtute patronos &c.
His perſæpè locis, quibus hoc vicinia præſtat,
Pacificum exponunt per vaſcula pura liquorem
Deſuper infuſi mutandum nectare roris,
Quo fluit in ſanctum cæleſtis gratia ſuccum.

Reliqua ſileo apud præfatum Auctorem legenda.

V. 545. *Pro nardo iaculis*. Mendum fortè latet. *Iaculum* tamen ita explicarem, vt eſſet vas, aut ſpongia aliqua in ſepulcralem arcam per foramen iniecta, vt inde immiſſa nardus, oleumue extraheretur; *Iaculum enim dicitur, quod vt iaciatur fit*, teſte Varrone. Sic Plautus Trucul. 3. *Rete iaculum* vocat:

Ten-

Inueniunt, pauidique manus cum puluere multo
Faucibus à tumuli retrahunt. Noua res mouet omnes,
Et ſtudium accendit ſubiti diſquirere cauſam
Prodigij. Placet ergò diem condicere certam,
Scrutari & penitam ſubmoto marmore ſedem.
Hoc etenim, fateor, nimis anxia cura timebat,
Ne quid fortè pio de corpore puluis haberet,
Quem manus e tumulo per aperta foramina promptum
Hauſerat, & variâ concretum ſorde ferebat
Cum oſſiculis ſimul, & teſtis cum rudere mixtis.
Inde metus hominum per mutua verba putabant,
Ne fortaſſe ſacram ſanctâ de carne fauillam
Beſtiola occultis aliqua interclusa cauernis
Altiùs expueret, ſicut deſerta per agros
Monſtra ſolent terram roſtris fodere intus acutis,

Tentant benignuſne, an bone frugi ſies, quaſi in pixinam
Rete qui iaculum parat, quando abijt rete peſſum abducit.

Meliùs tamen ita emendarem paucis mutatis.

————— mirâ nouitate repletis
Pro nardo vaſclis cumulum &c.

Vaſclum pro *vaſculum* dicere figura Syncope ſinit, vti etiam *maniplis* pro *manipulis*, *duxti* pro *duxiſti*, *diſpoſtus* pro *diſpoſitus*, *tablis* pro *tabulis*, *ſoldis* pro *ſolidis*, & ſexcenta huiuſmodi vſurparunt antiqui Poetæ. Hanc autem lectionem mirabiliter firmant Paulini alterius carmina nuper allata:

Pacificum exponunt per VASCVLA pura liquorem.

V. 546. *Cum puluere multo*. Solitum tamen antiquitus fuit è Sanctorum tumulis puluerem aſportare, cui curationum virtus haud minor, quam ipſis Reliquijs inerat. Beda lib. 1. Hiſt. Angl. cap. 3. Beati Ceaddæ Epiſcopi tumulum hiſce deſcribit: *Eſt autem locus ſepulcri tumba lignea in modum domunculæ facta, coopertum habens foramen in pariete, per quod ſolent hi, qui causâ deuotionis illò adueniunt, manum ſuam immittere, ac partem pulueris inde aſſumere*. De hac re conſulendus Io: Ferrandus è Soc. Ieſ. lib. 1. cap. 3. Diſquiſ. Reliqu.

V. 550. *Scrutari & penitam*. Ideſt *intrinſecam*. *Penitus* adiectiuum exemplis meliorum non caret. Plaut. Aſin. 3. *Age quæsô herclè vſque ex penitis faucibus*. Catull. in carm. nupt. *At non minus quam tu pectore vritur intimo Flamma ſed penita magis*. Hinc *penitiſſimus*, & *penitior* apud veteres Latinos.

V. 552. *Ne quid*. In MS. eſt: *Et quid*. Emendaui.

Et foueas circum cumulos effundere nigros;
Sic & ab interno Sancti Felicis operto,
Quò magis hoc mirum foret, interualla dierum
Fecit congeſtæ miranda eruptio terræ.
Ergò die placitâ multis opus vtile rebus
Arripitur. Cunctos tranſmittit Epiſcopus ad nos
Presbyteros. His fabra manus ſpectantibus inſtat
Iuſſa Sacerdotum facere. Eſt primus labor illis
Cancellos remouere loco, curâque ſequenti
Hærentes tabulas reſolutis tollere clauis.
Verùm vbi depreſſam ſub tegmine marmoris arcam
Vidimus inruptâ ſolij compage manentem,
Tunc ſecura fides dubio de corde periclum
Erroris pepulit, cum tactu oculoque probaret,
Incolumi ſolio numquam rimante ſepulcro
Vndique vallatum valido munimine corpus

Mar-

V. 568. *Iuſſa Sacerdotum*. Primis Eccleſiæ ſæculis *Sacerdotis* nomen Epiſcopis ſolis tribui ſolitum. Mos iſte paulatim fractus, & inde ad Preſbyteros vox paſſim delata; vnde Rhabanus lib. 1. de Inſtit. Cler. cap. 5. *Sacerdos vocari poteſt ſiue Epiſcopus ſit, ſiue Presbyter*. Cui præiuit Honorius Auguſtod. lib. 1. cap. 182. Apud veteres verò, puta apud Cyprianum, Auguſtinum, alioſque ſolis ſemper, aut plerumque defertur hoc nomen Epiſcopis. S. Ambroſius lib. 5. Ep. 30. *S. Damaſus Romanæ Eccleſiæ Sacerdos*. Greg. Turon. lib. de Glor. Conf. cap. 107. de Paulino meo loquens: *Decedente Sacerdote apud Nolanam vrbem, ipſe in locum Epiſcopi ſubrogatus*. Paulinus ipſe in Epith. agens de Æmilio Beneuentano Epiſcopo hæc ait:

Poſterius natus ſenior, quia ſede Sacerdos
Geſtat Apoſtolicam pectore canitiem.

Supra. *Sancta Sacerdotis venerando pignora pacto*
Iunguntur ——— ———

Hoc eſt Memoris Epiſcopi. De hac re vide etiam la Cerda in Aduerſ. Sacr. cap. 39. n. 13. Appellabantur verò Presbyteri *ſecundi ordinis Sacerdotes*, vt videri poteſt apud Sidonium Ep. 25. lib. 4., & alios. Epiſcopi verò *primi ordinis Sacerdotes* dicti. Hæc tamen vox Presbyteros ipſos hîc ſignificare poſſet, quum in plurali numero efferatur, & Nolæ tunc temporis vnus memoraretur Epiſcopus. Non auſim nihilominus aſſerere, ſed potius pro *Sacerdotum Sacerdotis* reponendum arbitrarer.

V. 575. *Incolumi ſolio*. Octo ſequentia carmina perperam ex Nat. XIV. retulit Dungalus. Tu vide quantò hæc emendatiora nunc prodeant.

V. 586.

Martyris emeriti nullis patuiſſe piaclis,
Et dignum retinere ſuæ pia carnis honorem
Oſſa, quibus Sanctus numquam deſiſtit adeſſe
Spiritus, vnde pijs ſtat gratia viua ſepulcris,
Quæ probet in Chriſto functos ſine morte ſepultos
Ad tempus placido ſopiri corpora ſomno.
Ergò reformato Felicis honore ſepulcri
Omnia ſollicitè munita relinquimus, vt iam
Vſque diem Domini, quo debita principe Chriſto
Excitis pariter radiabit gloria Sanctis,

Incon-

V. 586. *Excitis pariter*. Quum tempore Paulini haud ita exploratum foret, ſtatimne à morte, an poſt extremum Iudicium piorum animæ ad viſionem Dei, gloriamque perennem admitterentur, Paulinum ſuſpicabar in huiuſmodi quæſtione ambiguum ſtetiſſe, & aliorum quorumdam Patrum itidem hîc ancipitum exempla fuiſſe ſequutum. Ex hoc verſu ſatis eius opinionem deprehendiſſe mihi videbar, & euidentius ex Ep. 12. ad Seuer., vbi de Claro homine ſancto iam defuncto ita canit:

Siue Patrum ſinibus recubas, dominiue ſub arâ
Conderis, aut ſacro paſceris in nemore:
Qualibet in regione poli ſitus, aut paradiſi,
Clare ſub æternâ pace beatus agis.

Verùm P. Euſtachius à S. Vbaldo Congr. Erem. S. Aug. Excalc. V. C. & exquiſitâ eruditione refertus, Paulinum, ſi eius verba expendantur, rectè ſenſiſſe me monuit. Et reuera Sanctum vatem hoc verſu completam illam beatitatem innuiſſe, quâ poſt ſupremum Iudicij diem corpore etiam glorificati fruentur Sancti, facilè nobis perſuadere poſſumus. Memorata verò nuper carmina ad Seuerum de loco dumtaxat, vbi nunc detineantur Fidelium animæ; Paulinum ambigere teſtantur; Gloriam enim Sanctis ante corporum reſurrectionem collatam tantum abeſt vt eat inſicias, quin illam expreſsè aſſerat, quum ait:

Qualibet in regione poli ſitus, aut Paradiſi,
Clare ſub æternâ pace beatus agis.

Hinc eius opem apud Deum implorat. Sæpè verò S. Felicem Cælo redditum canit Paulinus. Nat. I. inquit:

Vectus in æthereum ſiue ſanguine Martyr honorem.

Nat. III. *Occidit, & Chriſto ſuperis eſt natus in aſtris,*
Cæleſtem nactus ſine ſanguine Martyr honorem.

Nat. VI. expreſsè S. Felicis gloriam teſtatur:

————Superi Felicis mente fruuntur,
Corpore nos, animæque potentis ſpiritus illic
Viuit, & hîc meritum.————

Defun-

Inconcuſſa ſuo requieſcant oſſa cubili,
Quæque animam ſanctam manet in regione ſupernâ
Pax, eadem in terrâ teneat venerabile corpus.
Quid ſupereſt quod adhuc referam? quaſi verò vel ipſa,
Quæ cecini, dignè ediderim, vel cuncta profuſi
Munera rettulerim pleno ſermone patroni?
Multa latent, numero memori tamen omnia nobis
Pectore fixa ſedent, & plurima iam memorata,
Plura etiam memoranda manent; Sed maxima multis
Excerpenda monet moderandi regula libri.
Omnibus extructis operum, quæ ſtare videntur,
Diuerſis extare modis excelſa per aulas,
Et per veſtibula extentis circumdata latè
Porticibus, ſolum ſimul omnia munus aquarum
Tecta videbantur mæſtis orare colonis.
Ipſum etiam, fateor, querulâ iam voce ſolebam
Felicem incuſare meum, quaſi ſegniter iſtis
Inſtaret votis, quod aquæ conſortia nobis
Tam longum ſociâ pateretur ab vrbe negari:
Verùm inconſultâ properantes mente trahebat
Conſilio potiore moras in tempora nectens
Congrua; ſic etenim iuſtâ ratione petebat

Ordo

Defunctum Felicem ait per Angelos delatum
Regis in adſpectum, ſummique parentis ad ora.
Tribus illum coronis donatum exhibet, ſubditque:
—— tenet ergò & præmia paſſi
Quod promptâ virtute fuit, nec pacis honore
Ornatuque caret. ——
Igitur de loco, vbi Fidelium animæ detinerentur, non verò de eorum beatitate aliquantulum dubitaſſe Paulinus videtur.

V. 602. *Ipſum etiam, fateor.* Hunc aquarum defectum tetigit Paulinus Nat. IX.
Forſitan hæc inter cupidus ſpectacula quæras,
Vnde replenda ſit hæc fontibus area diues,
Cum procul vrbs, & ductus aquæ prope nullùs ab vrbe
Exiguam huc tenui demittat limite guttam.
Reſpondebo: nihil propriâ nos fidere dextrâ,
Nil ope terrenâ confidere: cuncta potenti
Depoſuiſſe Deo, & fontes præſumere Cælo.

V. 632.

Ordo operum, prior eſſet vt his perfectio cæptis;
Quæ circa Sanctas venerandi Martyris aulas
Sedula multiiugo molimine cura parabat,
Cumque manum ſummam factis diuina dediſſet
Gratia, tunc pleno finitis ordine votis
Condita perductos riuaret in atria fontes.
Denique vt impleto ſtetit hîc opus omne paratu;
Non extincta diu noſtri ſitis arida voti,
Moxque volente Deo populi prius aſpera corda
Conſenſum facilem procliui corde dedere.
Dicam igitur modò munus aquæ. Da nunc mihi Felix
A Domino exorans Verbo mihi currere verbum
Tam facili eloquio, quam largo flumine fontes
In tua veſtibula, atque domos manare dediſti,
Omnia, quæ nobis te ſuffragante benignus
Contribuit Dominus, tali decorauit & auxit
Munere, quo fontes ſitientibus intulit aruis;
Illa pio rurſus petra Chriſtus ab vbere fluxit,
Antiquæ referens donum pietatis, vt omnem
Inſolito ſiccam prius inroraret arenam,
Et terram ſine aquâ ſubitis manare fluentis
Efficeret, ſanctaſque ſui Felicis in aulas,
Hoſpitibus populis diuerſâ gente coactis,
Per puteos ſimul, atque lacus, conchaſque capaces
Largiter infuſis noua currere pocula riuis.
Quis mea te fons ſumma daret deſerta rigare,
Pumiceumque mei cordis perrumpere ſaxum,
Exque petrâ fundare domum, & de te bibere vndam;
Quæ pareret viuam mihi ſicco in pectore venam
Æternùm ſalientis aquæ? Sed & hæc mihi gutta

Elo-

V. 632. *Per puteos*. Hic eſt Nolanæ vrbis vſus, illatas per aquæductum vndas puteis, & lacubus excipere, futurum æſtiuo tempore ſolatium. Capacius Hiſt. Neap. in fin. de aquâ Nolam ex vrbe Abellâ deriuatâ agens hæc ait: *Non modò agrum alluit, atque ita vt, cum per riuos deriuetur, immittatur in puteos, qui paſſim vbique conſpiciuntur, cuiuſque aquarum bonitate, & frigiditate Abellani æſtiuis caloribus maximâ cum voluptate recreantur, ſed ad Nolanorum quoque ciſternas, ſoluto pretio, deferatur.*

Eloquij tenuis, quo te loquar, inde profectò
Ducitur, vnde etiam fluuijs exundat origo.
Nam quis vel modico te ſumma potentia ſummi
Chriſte Patris fari ſine te queat? Ipſe tuus te
Inſpirat Chriſtus dici quo lumine lumen
Et Patris & nati par cernimus, vt duce ſancto
Adſpirante Deum fateamur cum Patre Chriſtum.
Sed quia dum viui fontis gero nomen in ore,
Gutta meum ſtillauit in os de flumine Verbi.
Fortè aliquem referent ex hinc mea labra saporem,
Et nunc munus aquæ non ſiccis faucibus arens
Lingua, ſed vberiùs velut humectata loquetur.
Omnibus inſtructis operum, quæ multa videntur,
Poſtulat iſte locus deuotæ nomen Abellæ
Indere verſiculis, nam digna videtur honore
Nominis huius, vt in laudem Felicis & ipſa
Laudetur, quia pro Felicis honore laborem
Sponte ſibi ſumpſit, quod deſudare ſub æſtu
Rupibus abruptis requiem, pretiumque putauit.
Parua quidem hæc muris, ſed ſancto magna feretro
Vrbs opere hæc noſtræ hinc ſex milibus abſita Nolæ

Al-

V. 641. *Ipſe tuus te.* Lectio, ſenſuſque non paruâ in caligine ſedent. Medelam tamen alijs intentandam relinquo.

V. 652. *Nomen Abellæ.* Legendum *Abella*, non *Auella*, quippe quod apud Ptolomæum, ac Strabonem, vt obſeruat Cluuer. in Ital. antiquâ lib. 4. pag. 1185. ſcribitur Ἀβέλλα, non verò Ἀυέλλα. In marmore vetuſto apud Capacium legitur POPVLVS ABELLANVS. Virgilius quoque Æneid. lib. 7. Abellam memorauit:

Et quos melliferæ deſpectant mœnia Abellæ.

Seruius tamen ad hunc Virgilij locum *maliferæ* legendum monet, *nam Nolæ Punica mala naſcuntur*. Vide prætera Iuſtinum Trogi abbreuiatorem lib 20., & Plinium lib. 3. cap. 5.

V. 658. *Sancto magna feretro.* Nondum reſcire datum eſt mihi, quodnam Sancti corpus olim Abellæ conderetur, quicquid in hanc rem laboris impenderit eruditiſſimus vir, mihique multum commendandus Hercules Barnſſius, qui nullum prætermiſit, dum Neapoli ageret, officium, vt huius eruditionis cognitionem attingeret. In Codice noſtro ita legitur: *Sed Sancto mihi magna feret.* Ego defectum ſuppleui in poſtremo verbo, illudque *mihi* metro ſuadente expunxi.

V. 659. *Vrbs opere.* Error procul dubio in carmine, quem tollere non audeo.

Altiiugos montes interiacet, ex quibus ortas
Cominus haurit aquas, & in vnam ſuſcipit arcam,
Vnde per inſertos calices ſibi prima fluentum
Vindicat, & reliquo Nolanam profluit vrbem
Flumine, multa rigans & in agris prædia paſſim.
Sed redeam ad grates operis pro munere habendas;
Namque operas ad aquæductum, quem longa vetuſtas
Ruperat, ad ſua vaſa iterum formaſquè vocandum
Præbuit vbertim gratas operas. Locus altis
Inſertus ſcopulis nullo neque calle viarum
Iumentis etiam penetrabilis eſſe negabat;
Vnde etiam mercede manum reperire paratam
Difficile immenſi faciebant ardua montis;
Quò maior mercedis honor locupletat Abellam,

Quod audeo. Geminæ nunc temporis numerari poſſunt Abellæ. Noua vna, vetus altera. Illa non ſex paſſuum millibus Nolanâ ab vrbe diſtat; hæc verò, vt ait Capac. Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 30., veſtigia vetuſta prodit, quæ *haud à nouâ longius abſunt, murorum, turriumque reliquijs perſpicua, 24. ferè ſtadiorum ambitu circumſcripta.*

V. 660. *Altiiugos montes.* Capacius loco laudato hæc habet: *In montium, & collium theatro poſita ſedet Abella in Campanâ planitie, & quamuis hyeme montium iuga rigeant, tantâ nihilominus afflatur aeris amanitate, vt numquam accolæ frigorum iniurias pertimeſcant.*

V. 661. *Cominus haurit aquas.* De riuulis, qui ex Abellanis montibus cadunt, & Nolam vſque deferuntur legendus Ambroſius Leo de Nolâ lib. 1. cap. 1., & Capacius loco memorato.

V. 662. *Per inſertos calices.* Quid ſit calix in Aquæductibus Gloſſæ, & reliqui Lexicographi ſilent. Frontinum tamen habeo docentem lib. de Aquæd. Romæ: *Eſt autem*, inquit ille, *calix modulus aeneus, qui riuo, vel caſtello inditur, huic fiſtulæ applicantur, Longitudo eius habere debet digitos non minus XII., lumen, ideſt capacitatem, quanta imperata fuerit. Excogitatus videtur, quoniam rigor æris difficilior ad flexum non temerè poteſt laxari, vel coarctari.* Hanc vocem vſurpat infrà laudatus Auctor: *Procurator calicem eius moduli, qui fuerit imperatus, adhibitis libratoribus ſignari cogitet.* Et rurſus: *Circa collocandos quoque calices obſeruari aportet, vt ad lineam ordinentur, nec alterius inferior calix alterius ſuperior ponatur.* Denique hæc notanda refert: *In quorumdam fiſtulis ne calices quidem poſiti fuerunt.*

V. 666. *Namque operas.* Ita ſcripſi. In MS. habetur: *Namque operis.*

V. 668. *Gratas operas.* Et hîc quoque ſic legendum arbitror pro eo quod eſt in MS. *gratis operis.*

Quod promptè famulata ſacro Felicis honori
Effuſà pietate manus impendit inemptas.
Cernere erat trepidas totâ de plebe catheruas
Ordinis & populi ſimul vnâ mente coactas
Mane nouo excitos ad opus concurrere lætos,
Certatimque alacres in ſumma cacumina ferri,
Et ſub faſce graui cophini ceruice ſubactâ,
Cæmentiſque ſimul dumoſa per ardua vectos
Sole ſub ardenti crebros iterare recurſus,
Et totâ, quam longa dies æſtate moratur,
Tendere ab Aurorâ ſeras in veſperis horas,
Peruigileſque animis, modicâ vix nocte refectis
Corporibus, rurſum ante diem fabrilia ad arma
Surgere, nec ſentire Deo vegetante laborem.
Denique ſic operis proceſſit gratia magni,
Vt tamquam ludo paucis opus omne diebus
Sumeret explicitum perfecto munere finem,
Formaque longinquis a montibus aggeris, arto
Quæ fuerat longè prius interrupta veterno,
Vndique fonticulis diuerſâ ex rupe receptis

Col-

V. 680. *Cophini*. Cophinus eſt viminea fiſcella, aut quid ſimile. Vox apud Euangeliſtas non modò, ſed apud Latinos quoque meliores occurrit. Iuuenal. Sat. 3. v. 13.

Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fænumque ſupellex.

Idem repetit in Sat. 6. v. 542. Egregiam de *cophino* eruditionem, nempè ſignum Iudaicæ ſeruitutis fuiſſe, pete à Laurentio Ramirez de Prado in Pentecont. cap. 40.

V. 691. *Formaque*. *Formæ canales ſtructiles ſunt, & arcuati*, vt ait Vitruuius. Nomen hoc Sidon. Apoll. lib. 8. cap. 7. vſurpauit: *Cuius mihi non ſolùm formas, verùm etiam Naumachias videbar epotaturus*. Frontin. lib. 1. & 2., Caſſiod. Ep. 21., & 31., Symmach. Ep. 33. lib. 10., Ammian. lib. 28., & alij meminere. Anonymus de Aquæduct. *Nunc nomina aquarum, quæ vſibus æternæ Vrbis formarum conſtructionibus aduectæ ſunt, indicemus*. Palladius lib. 9. tit. 11. *Aqua ſi per formam ducetur, ſolidandus eſt canalis, ne per rimas poſſit elabi*. Hinc Magiſtratus inhebatur, cui *Comes Formarum*, & *Curator Formarum* nomen erat, in Inſcriptionibus vetuſtis non rarò occurrens. De hoc vide Clariſſimum Du Freſnium in Gloſſ. Med. & inf. Lat.

V. 695.

Collectam reuocaret aquam ſitientibus olim
Vrbibus, & pleno per milia multa viarum
Tramite formarum, & noſtri Felicis inundans
Læta nouum calicem fluuio ſuperante repleret;
Et quod diuini documentum muneris egit
Largior æſtiuis huc menſibus vnda cucurrit,
Quam prius hybernis ex imbribus ire ſolebat.
Hîc ego te modò iure ream, mea Nola, patrono
Communi ſtatuam, & blandæ pietatis ab irâ
Mente manens placidâ motum ſimulabo patronum
Filiolam increpitans veteris ſub voce querelæ.
Nam mihi, Nola, tui conſortia iuſta petenti
Fontis eo turbata metu quaſi dura negabas
Hoſpitium communis aquæ, diuinaque iura
Reſpicere oblita, humanis mea vota putabas
Viribus, & mihi te Felicem oblita daturam
Credebas, ac, ſi tribuiſſes, mox tibi ſiccam
Subducto patriam potu fore mæſta gemebas,
Idque etiam moto damnabas ſæpè tumultu,

Neſcia

V. 695. *Per milia multa. Milia* pro *Milliaria* vox profectò melioribus ignota, ſed æuo Paulini vſurpata. Hac noſter ſupra vſus fuerat:

Vrbs opere hæc noſtræ hinc ſex milibus abſita Nolæ.

Adhibitam quoque inuenio à Rutilio Numatiano lib. 2., qui Paulini ætate floruit:

Internalla viæ feſſis præſtare videtur
Qui notat inſcriptus: Millia multa lapis.

Ego à Græcis Latio illatum hoc nomen arbitror; apud illos enim in vſu fuit *Μίλιον* pro *mille paſſibus*, quod vocabulum Strabo lib. 7. vſurpauit. De hac voce Suidas ait: *Μίλιον μέτρον τῆς γῆς. Τὰ δέκα μίλια ἔχουσι ςαδία π΄. Milium menſura terræ. Decem Milia habent 80. ſtadia.* Idcircò Conſtantinopoli *Μίλιον* appellabatur locus, vnde viæ numerabantur, & vbi itinerum meta fuerat ſita, ad inſtar *Milliaris Aurei*, quod Romæ antiquitus erectum fuit, de quo vide erudit. Du Freſnium lib. 1. CP. Chriſt. cap. 24. Palladius propterea Paulino ſynchronus in Hiſt. Lauſ. cap. 6 20. & 77. *milij* vocem pro *milliari* vſurpat, quam Latinus eius Interpres admodum vetuſtus retinuit. In Codice noſtro per vnicum L. ſcribitur hoc vocabulum. Ego non immutaui, quum maximè ad Græcorum lectionem accedat.

V. 710. *Credebas*. Forſan verbum aliquâ indiget emendatione. Certè ſenſus clarior euadere poſſet,

V. 736.

Neſcia diuinis opibus promptos fore fontes;
Sicut & experta es. Nam mox Deus ipſe Creator
Arguit ignauas Chriſto diffidere mentes,
Cum tibi poſt placitam pacem vt iam fluminis vſum
Felici conſorte piè partita teneres;
Quò magis exſuperante tuam bonitate querelam
Argueret. Non, vt metuebas, ille ſitire
Diuiſá te fecit aquá, ſed vt auctor, & altor
Rerum hominumque ſimul, qui condidit omnia verbo,
Oſtendit tibi rem eſſe ſuam, quam tu eius amico
Vt propriam Domino rerum diffiſa negabas.
Vidiſti certè (nam te res ipſa fateri
Compulit) æterni ſublimia iura parentis,
Cis potens ...... meritum cum larga ſub æſtu
Effiueret, damnoque pio, quo Martyris aulis
Tradideras partem, ſubitos creuiſſe meatus,
Laxatoque ſuis in faucibus vbere fontis
Iuſſa fluenta tibi cum fœnore reddita multo
Mænibus influxiſſe tuis, & tempore in ipſo,
Quo totiens vndæ poſſeſſor egere ſolebas,
In multum referente Deo quod ſumpſerat à te;
Fluxit abunda tuis aqua potibus, atque lauacris.
Quodnam igitur tanto pro munere munus, Abella
Pauper opum, referam tibi? Saltem carmine noſtro
Obſequium nomenque tuum dum prædico ſignans,
Hoc penſabo tibi pretium mercedis honore,
Felicis Sancti ſcribaris vt addita ſemper
Laudibus, & tanti memoreris alumna patroni,
Cuius donorum tibi portio maxima facta eſt.
Nunc tuus iſte labor, quo te Felicis adegit
Spiritus, vt totá tibi plebe vel Ordine concors
Adgredereris opus magno ſudore parandum,
Temporo & æſtiuo durum duplicante laborem;
Molis vt antiquæ per iniqua cacumina formam

Præ-

V.736. *Pauper opum.* Abellæ pauperiem tetigit etiam Silius Italic. lib. 8.

Sorrentum, & pauper ſulci Cerealis Abella.

V.767.

Præteritis notam ſeclis, iam verò ſine vſu
Deficientis aquæ, ſuperactis vndique multâ
Congerie ſyluis inter iuga vaſta latentem
Exuis aggeribus denſis, oblitaque dudum
Munia reſtituis, ſparſaſque per auia venas,
Pumiceis altè quæ ſorbebantur arenis,
Colligis, & ſua quamque ſequi veſtigia rurſus
Cogis aquam, & reducem formæ matricis in ora
Inuehis, & dudum vacuos ceſſante meatu
Exundare facis fluctu remeante canales,
Atque diu querulam ſubductis fontibus vrbem
Iam deſperato perfundis flumine Nolam,
Quæ fruitur Felicis aquis (quia copia non eſt
Hæc ipſi ſua nunc vrbi, quam nuper adepta eſt
Felicis ſtudio) modicæ pro munere guttæ
Ex ope diuinâ largis ditata fluentis.
Ergò & tu mecum paruam quaſi mater Abellam
Nola foue, quoniam, vt cognoſcis, & ipſa tuarum,
Filia cum tua ſit, tamen eſt tibi mater aquarum,
Cuius ab indigenis tibi montibus affluet omnis
Copia, quæ fueras felicibus ante ſuperba,
Et quâ poſt ſtudio meliore miniſtra fuiſti.
Gaude igitur, mea Nola, tibi, & gratare profuſis
Viribus exultans Chriſto, qui te per amicum
Dilectumque ſuum Felicem finxit, & auxit
Naturâ famulante tuum manus alta decorem.
Cerne tuam faciem, quâ nunc noua pænituiſti,
Vt noſcas, dederiſne aliquid Felicis honori,
An magis à Felice Dei cumulata colaris;

Aſper

V. 767. *Copia quæ fueras*. Ita in Codice. Corrigere non auſim.

V. 773. *Pænituiſti*. *Pæniteo* apud veteres Latinos vſurpatum, ac propterea eleganter quoque à Paulino vſurpatur. Teſtis eſt vetuſtiſs. Priſcian. lib. 11. de temp. & form. Particip., vbi de Imperſon. loquens ait: *Sciendum tamen quod hæc omnia inueniuntur perfectorum declinationem habentia in vſu veterum teſte Capro, pigeo, pudeo, tædeo, pæniteo.* Monuit etiam vtriuſque linguæ peritiſſimus vir, & ſummâ refertus eruditione Michael Maddius magni viri Caroli Mariæ Maddij filius apud Pacuuium ſe legiſſe *pænitebunt*.

V. 787.

Aſper vbi nudis arebat calculus aruis,
Nunc mutata viret madefactis gratia glebis:
Non iſtos tantùm fontes tibi, Nola, profudit
Felicis merito tibi diues gratia Chriſti,
Cælifluos etiam fontes huc ad tua duxit
Mœnia, Feliciſque ſinu gaudente locatos
Diffluere in multas effuſis amnibus vrbes
Vrbe tuâ iuſſit. Famulos Chriſti loquor iſtos;
Par inluſtre Deo, par nobile nomine Chriſti
Albinâ cum matre tuis modò finibus ortos,
Pignora Cunctorum Sanctorum, & gaudia Cæli;
Piniadæ Melani cum fœdere par benedictum.
Hos Deus & natos Felicis, & vbera fecit,
Vbera Diuinæ bonitatis proflua lacte,
E quibus omnis inops alimenta fluentia ſumit,
Omnis item diues documenta ſalubria ſumit.
Hi ſunt ecce pio Chriſti de flumine fontes,
Qui non viſibili per terram gurgite manant,
De viuâ miſerantis aquâ pietatis abundant.
Hos tu Chriſte tibi præſta vbertate perenni
Scaturire tui Felicis in vbere fontes,
Et numquam has vllo tenuari ſidere venas.
Influe pectoribus ſemper tibi Chriſte dicatis,
Felicique tuo de peccatoribus ipſi
Mandatis tribue, vt numquam pietas tua noſtris
Viſceribus fontem huius opis ſubducat, & ipſe
Fons à fonte tuo Felix nos largus inundet,
Semper vt in nobis ſaliat, Rex Chriſte, tuus fons,
Et nos de miſeris, & egenis ſorte tui iam
Nominis obtineat felices viuere Felix.

V. 787. *Piniadæ*. Hoc eſt Piniani, qui fortè alterius Piniani filius erat, iuxta Patronomycorum nominum normam. Vide quæ dixi in Diſſ. VI.

AD

AD SANCTI PAULINI POEMA VLTIMVM.

PRÆFATIO.

PRæclariſſima hæc S. PAVLINI carmina in Ethnicos poſt XIII. Natalem ſubſequuntur in Codice noſtro. Mira ineſt eruditio, & ſolitus Poetæ eloquentiſſimi ſpiritus. Primùm in Iudæos, in Gentiles deinde fertur, quorum Numina, variam Philoſophiam, erroreſque plurimos notat. Hoc opus innui certum arbitror in Epiſt. 34. S. Auguſtini ad PAVLINVM ita ſcribentis: *Aduerſùs Paganos te ſcribere didici ex fratribus. Si quid de tuo pectore meremur, indifferenter mitte, vt legamus; nam pectus tuum tale Domini oraculum eſt, vt ex eo nobis tam placita, & aduerſùs loquaciſſimas quæſtiones explicatiſſima dari reſponſa præſumamus.* Opinabatur forſan Auguſtinus ſtatutum fuiſſe PAVLINO vniuerſam Ethnicorum confodere ſuperſtitionem, ſed huiuſmodi conſilium Poetæ ſacro non obuenerat, cui tantùm placuit Paganorum explicare, non refutare dementiam. Fama aliud Auguſtino ſuaſit, vt mirum non ſit, ſi a PAVLINO loquaciſſimas quæſtiones explicatas opperiri ſe dicat. Certè ſi PAVLINVS egregium aliquod opus in Paganos ſcribendum ſuſcepiſſet, Gennadius eius ſcripta recenſens mentionem aliquam inieciſſet. Supereſt igitur, vt ab eodem Sancto exiguum hac de re opus elaboratum fuiſſe dicamus, cuiuſmodi eſt hocce Poema. Quin & elucubrati libelli tempus coniecturam noſtram tueri videtur. *Olybrio, & Probino Coſſ.*, inquit Proſper in Chron. (hoc eſt Anno Domini 395.) *Auguſtinus B. Ambroſij diſcipulus multâ facundiâ, doctrinâque excellens Hippone Regio in Africâ Epiſcopus ordinatur*. Suæ porrò ordinationis tamquam nuper factæ certiorem PAVLINVM Auguſtinus facit in eâdem ſupracitatâ Epiſtolâ, dum ait: *Quâ Eccleſiæ curâ tenear, ex hoc veſtra charitas oportet attendat, quod Beatiſſimus Pater Valerius nec presbyterum me eſſe ſuum paſſus eſt, niſi maiorem mihi Coepiſcopatus ſarcinam imponeret &c.* Hæc ergò Auguſtini Epiſtola aut ſub finem anni 395., aut ſub initium ſubſequentis procul dubio ſcripta. Vt enim Chiffletius parte 2. cap. 8. Paulin. Illuſtr. probat, contigit ordinatio Auguſtini poſt medium Decem-

brem eiuſdem Anni 395. Itaque hoc Anno aduersùs Paganos PAVLINVS noſter ſcriptis pugnabat. Nolam hic ſe receperat cadente A.C. 394., ibique maturato conuerſionis ſuæ conſilio præſtantiſſimam Chriſtianæ vitæ methodum aggreſſus fuerat. Hoc verò idem conſilium tangit huius Poematis initio his verbis:

Diſcuſſi, fateor, ſectas Antonius omnes
Plurima quæſiui, per ſingula quæque cucurri,
Sed nihil inueni melius, quam credere Chriſto.

Vberiùs hoc ſequentia euincunt.

Hæc ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
Meque diu incertum, & tot tempeſtatibus actum
Sancta ſalutari ſuſcepit Ecleſia portu,
Poſtque vagos fluctus tranquillâ in ſede locauit,
Vt mihi iam liceat detersâ nube malorum
Tempore promiſſo lucem ſperare ſerenam

Et infrà: *Vt modò qui nobis errorem mentis ademit,*
Hîc meliore viâ Paradiſi limina pandat
Felix. Noſtra fides vni certoque dicata.

En vt ſeceſſum Nolanum, nouumque vitæ inſtitutum nuper ſibi electum nobis PAVLINVS inſinuat. Itaque quum hos verſus elucubrarit eo tempore PAVLINVS, quo totum animum Chriſto, eiuſque Fidei deuouerat, hoc eſt A. 394., aut 395., vides eoſdem incidere in ſupra memoratum tempus, quo PAVLINVS contra Paganos ſcribere ab Auguſtino etiam dicitur. Quis ille Antonius fuerit, cui Poema ſuum PAVLINVS inſcribit, diuinare nequeo. Ad primum operis conſpectum pro *Antonius* legendum *Auſonius* ſuſpicabar, quem vtique arctiſſimâ familiaritate quondam complectebatur PAVLINVS, carminibuſque non paucis etiamnum extantibus eſt alloquutus; Sed interruptum inter hoſce duos egregios viros amoris commercium iampridem fuerat, & alijs ſanè verbis Poeta noſter vſus fuiſſet, ſi ad Auſonium, ſuum olim præceptorem, ac penè parentem, ſcripſiſſet. Antonium verò iſtum Chriſtianorum albo fuiſſe inſcriptum non ambigo, quum Dauid illi in exemplum adducatur:

Et ne diſpliceat, quod talia carmina pando,
Dauid ipſe chelym modulatâ voce rogauit,
Quo nos exemplo pro magnis parua canemus.

Quum igitur à Religione Chriſtianâ alienum fuiſſe Auſonium, nemo dubitet, hîc illum innui nemo etiam arbitrabitur.

SAN-

SANCTI PAVLINI EPISCOPI NOLANI
POEMA VLTIMVM.

DIſcuſſi, fateor, ſectas Antonius omnes,
Plurima quæſiui, per ſingula quæque cucurri;
Sed nihil inueni melius quam credere Chriſto.
Hæc ego diſpoſui leni conſcribere verſu,
Et ne diſpliceat, quod talia carmina pando,
Dauid ipſe chelym modulatâ voce rogauit,
Quo nos exemplo pro magnis parua canemus,
Dicentes quæ ſunt fugienda, ſequenda, colenda;
Cum tamen in cunctis & res, & cauſa probetur.
Iudaicum primò populum nec gratia mouit
Mira Dei; nam tum Pharaoni ereptus iniquo,
Et mare tranſgreſſus pedibus, lucente columnâ
Cum Duce, qui mergi infeſtos vidit equeſtres,
Et cui deſertis nihilum quoque defuit agris,
Manna cui è cælo, & fons de rupe cucurrit;
Poſt hæc ipſe Deum præſtantem tanta negauit,
Dumque aliud Numen dementi pectore quærit,
Ignibus incenſis quod miſit perdidit aurum.
Par quoque Paganus lapides, quos ſculpſit, adorat;
Et facit ipſe ſibi, quod debeat ipſe timere.
Tum ſimulacra colit, quæ ſic ex ære figurat,

Vt

NOTÆ,

V. 13. *Vt mergi*. Ni Poeticâ licentiâ Paulinus eſt vſus; carminis rationi aliquid deeſt. Fortaſſe pro *mergi* legendum *merſos*.

V. 15. *Et fons*. Hîc quoque laborat aliquantulum verſus. Scriberem:

Manna cui è cælo, cui fons &c.

V. 21. *Ex ære figurat*. Tertullian. in Apoleg. cap. 13. idem Ethnicis obijciebat. *Domeſticos Deos, quos Lares dicitis, domeſticâ poteſtate*

Vt quando libitum eſt, mittat conflata monetæ;
Aut magis in ſpecies conuertat ſæpè pudendas.
Hinc miſeras mactat pecudes, menteſque Deorum,
Quos putat iraſci, calido in pulmone requirit,
Atque hominis vitam pecoris de morte precatur.
Quid petit ignoſci veniam, qui ſanguine poſcit?
Illud enim quale eſt? quam ſtultum? quamue notandum?
Cum Deus omnipotens hominem formauerit olim,
Audet homo formare Deum. Ne crimina deſint,
Hunc etiam vendit dominus, ſibi comparat emptor.
Philoſophos credam quicquam rationis habere,
Qui ratione carent, quibus eſt ſapientia vana?

Sunt

teſtate tractatis pignerando, demutando aliquandò in Cacabulum de Saturno, aliquandò in trullam de Mineruâ, vt quiſque contritus, atque contuſus eſt, dum diu colitur, vt quiſque dominus ſanctiorem expertus eſt domeſticâ neceſſitate. Publicos æquè publico iure fœdatis, quos in haſtario vectigales habetis. Si Capitolium, ſi olitorium forum petatur, ſub eâdem voce præconis ſub eâdem haſtâ, ſub eâdem annotatione quæſtoris diuinitas addicta conducitur. Cacabulum Tertulliano memoratum, quod vas ſpurcitiarum fuit, à Paulino modeſtè innuitur per hæc verba:

Aut magis in ſpecies conuertat ſæpè pudendas.

V. 24. *Menteſque Deorum.* In pecudum cæſarum extis Deorum mentem ſtultè perquirebant Gentiles. Ouid. lib. 5. Metam.

Fibra quoque ægra notas veri, monituſque Deorum
Prodiderat ———

Hunc eorumdem errorem Seneca & ipſe Ethnicus improbabat. Natur. Quæſt. lib. 2. *Nimis Deum otioſum, & puſillæ rei miniſtrum facis, ſi alijs ſomnia, alijs exta diſponit &c.* Conſule I. Cæſ. Buleng. de Magia &c.

V. 31. *Etiam vendit.* Ad hoc ſpectant rurſus, quæ ex Tertulliano nuper attulimus. Iulius Firmicus de Err. prof. Relig. cap. 16. *Vendebatur Deus, vt prodeſſet emptori, & emptor ſuppliciter adorabat quicquid paulò ante viderat ſubhaſtatum.*

V. 32. *Philoſophos credam.* Eleganter in hanc rem ſcripſit S. Eucherius in Parænet. ad Valerian. Inter alia hæc habet: *Breui tibi liquebit, quantò hæc noſtra, id eſt pietatis veritatiſque præcepta illis Philoſophorum præceptis præferri debeant. In illis namque eorum præceptis vel adumbrata virtus, vel falſa ſapientia, in his verò conſummata iuſtitia, ſolida veritas continetur. Vnde licet dicere Philoſophiæ alios nomen vſurpaſſe, nos vitam. Etenim qualia poſſunt ab his dari præcepta viuendi? Cauſam neſciunt &c.*

V. 34.

Sunt Cynici canibus ſimiles, quod nomine produnt.
Sunt & ſectantes incerti dogma Platonis,
Quos quæſita diu animæ ſubſtantia turbat,
Tractantes ſemper, nec definire valentes;
Vnde Platonis amant de animâ deſcribere librum,
Qui præter titulum nil certi continet intus.

Sunt

V. 34. *Sunt Cynici.* Vulgò κυνικοὶ dicebantur hi Piloſophi, nos eſt *canini ἀπὸ τοῦ κυνὸς à cane.* Diogenes Laert. in Antiſthenis vitâ hæc ait: κατῆρξε πρῶτος τοῦ κυνισμοῦ, *Cynicam primus ſectam inſtituit*, & in eâ princeps fuit. Hinc de illo Auſonius canit:

Inuentor primus Cynices ego. Quæ ratio iſthæc?
Alcides multò dicitur eſſe prior.
Alcida quondam fueram doctore ſecundus,
Nunc ego ſum Cynices primus, & ille Deus.

Idem verò Laertius in Proem. Cynicos ab ignominiâ ſic appellatos aſſerit: Καὶ ἀπὸ σκωμάτων, ὡς οἱ κυνικοὶ. Suetonius in Veſpaſ. *Demetrium Cynicum in itinere obuium ſibi poſt damnationem, ac neque aſſurgere, neque ſalutare ſe dignantem, oblatrantem etiam neſcio quid, ſatis habuit Canem appellare.* Eleganter quoque Auguſtinus de Ciu. Dei l. 14. cap. 20. *Hoc illi canini Philoſophi, hoc eſt Cynici non viderunt, proferentes contra humanam verecundiam quid aliud quam caninam, hoc eſt immundam ſententiam.*

V. 35. *Sectantes incerti.* Plato plerumque Socrati adhæſit, ac idcircò inter Socraticos refertur à Laertio in Prolegom. Quia verò τὴν ἀρχαίαν Ἀκαδημίαν συστησάμενος *veterem Academiam inſtituit, Sectæ nouæ* fundamenta iecit. Hinc Platonicorum ſecta. Propriè tamen ij vocabantur Academici. Laertius in Platonis vitâ: Ἐτάφη ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ, ἔνθα τὸν πλεῖστον χρόνον διετέλεσε φιλοσοφῶν. ὅθεν καὶ Ἀκαδημαϊκὴ προσηγορεύθη ἡ παρ' αὐτοῦ αἵρεσις. *Sepultus eſt in Academiâ, vbi plurimum temporis philoſophatus fuerat, vnde & quæ ab eo fluxit ſecta Academica eſt appellata.* Auguſt. de Ciu. Dei. cap. 12. lib. 8. *Cum Speuſippus ſororis Platonis filius, & Xenocrates in ſcholam eius, quæ Academia vocabatur, eidem ſucceſſiſſent, ob hoc & ipſi, & eorum ſucceſſores Academici appellabantur. Recentiores tamen Philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos, aut Academicos, ſed Platonicos.*

V. 35. *Incerti dogma.* Prudentius in Apotheoſi:

Conſule barbati deliramenta Platonis,
Conſule & hircoſos Cynicos, quos ſomniat, & quos
Texit Ariſtoteles tortâ vertigine neruos.

V. 36. *Diu animæ.* Verſus aliquantùm laborat. Scriberem:

Quos animæ quæſita diu ſubſtantia turbat.

V. 39. *Qui præter titulum.* Egregius vtique, celeberrimuſque Plato-

nis

Sunt etiam Phyſici naturæ nomine dicti,
Quos antiqua iuuat, rudis, atque incondita vita:
Namque vnus baculum quondam, & vas fictile portans,
Vtile quod ſolùm, ſolumque putarat habendum,
Illud vt auxilij, atque hoc eſſet cauſa bibendi,
Cum ſtare agricolam, manibuſque haurire ſupinis
Potan-

nis eſt liber, vbi *de animæ immortalitate* quæſtionem habet; Sed ſi cum Chriſtianorum aſſertis, certiſſimiſque noſtræ Fidei documentis componatur, *nil certi continet intus*. Homini Ethnico, & longè à verâ Religione poſito magnum fuit ſapientiæ portentum, non irridendam omninò de eiuſdem animæ perennitate proferre ſententiam, in quâ tamen quot errores errauerit non eſt meum hîc inueſtigare, ſed monere tantummodò, ibi in incertum pleraque ferri. Theodoritus ſcriptor eruditiſſimus Serm. 5. contra Græcos hanc Platonis ſententiam acutiſſimè examinat, ac nutantem ſæpiſſimè deprehendit. Addit porrò: *Καὶ ὁ μὲν σοφώτατος Πλάτων περὶ τῆς ἀθανασίας τῆς ψυχῆς παμπόλλους λόγους διεξελθὼν οὐδ' Ἀριστοτέλη τὸν φοιτητὴν ἔπεισε τὸν δὲ στέρξαι τὸν ὅρον*. Ita vertit Acciaiolus: *Ac Plato quidem ſapientiſſimus, qui complures ſermones de immortalitate animæ diſſeruit, ne Ariſtoteli quidem auditori ſuo perſuaſit eam poſitionem*.

V. 40. *Sunt etiam Phyſici*. Φύσις Græcè Latinè dicitur *natura*. Hinc Phyſici, ſeu naturales Philoſophi. Laertius in Proem. *καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς περὶ φύσιν πραγματείας φυσικοὶ προσηγορεύθησαν. Et alij, quod de naturâ rerum ſcripſere, Phyſici ſunt appellati*.

V. 42. *Namque vnus baculum*. Laertius in Vitâ Diogenis: *θεασάμενος ποτὲ παιδίον ταῖς χερσὶ πῖνον, ἐξέῤῥιψε τῆς πήρας τὴν κοτύλην. Intuitus Diogenes aliquandò puerum cauâ bibentem manu, cotylum perâ productum abiecit*. Hoc Diogeni vniuerſa ſcriptorum cohors adiudicat, ac Seneca potiſſimùm Ep. 90., & S. Hieronym. aduerſ. Iouinian. lib. 2., qui Paulino concordes, non puerum, vt Laertius habet, ſed ruſticum Diogeni magiſtrum fuiſſe conſentiunt. Quum verò Antiſthenis Cynicorum anteſignani auditor iſte fuerit, ac Cynicam Philoſophiam ſectatus Cynici ſupra omnes cognomentum meruerit, vtique miror, cur Paulinus Cynicos à Phyſicis apertè diſtinguens, cuidam poſtea è Phiſicis hoc Diogenis factum adſcribat. Neque reponatur, veteres tripartitam coluiſſe Philoſophiam, ac propterea Phyſicam, quæ pars è tribus erat, Cynicis etiam competere; ſiquidem Cynici hanc Philoſophiæ partem auerſabantur, ac vni Ethicæ operam dabant. Sunt Laertij verba in Menedemo: *Ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς (κυνικοῖς) τὸν λογικὸν, καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ. Placet ergò illis* (Cynicis) *Logicam, ac Naturalem Philoſophiam tollere, ac vni Ethicæ animum intendere*. Quæ verò Paulinus addit, omninò Cynicis, non Phyſicis conueniunt.

V. 49.

Potandas vidiſſet aquas, vas fictile fregit,
Quo procul abiecto remouenda ſuperflua dixit.
Ruſticus hunc docuit quod ſpernere poſſet & iſtud.
Hi neque vina bibunt, nec victu panis aluntur,
Nec lecto recubant, nec frigora veſtibus arcent,
Ingratique Deo, quod præſtitit ille, recuſant.
Quid dicam diuerſa ſacra? Et Dis, atque Deabus
Condita templa loquar? Quæ ſint Capitolia primùm
His Deus, vxorque Dei, ipſamque ſororem

Eſſe

V. 49. *Hi neque vina bibunt*. Expreſsè de Cynicis id Laertius tradidit in Menedemi Cynici vitâ: *ἔνιοί τε γοῦν, καὶ βοτάναις, καὶ παντάπασιν ὕδατι χρῶνται*. *Plerique etiam herbis, & aquâ frigidâ vtuntur*. Et de Diogene in eius vitâ ſic ait: *ἐν οἴκῳ τε, ἐδίδασκε διακονεῖσθαι λιτῇ τροφῇ χρωμένους, καὶ ὕδωρ πίνοντας*. *Domi etiam miniſtrare docebat cibo leui, ac vili contentos, & aquâ*.

V. 50. *Nec lecto recubant*. Celebre Diogenis Cynici dolium etiamnum habetur, in quo Philoſophus ille noctu diuque recubabat. Hunc alij Cynici imitati. Chreſolius in Myſtagog. lib. 4. cap. 20. ſect. 3. de his ait: *Inaniſſimæ gloriæ causâ Cynici dormiebant in herbaceis toris, aut nudâ humo, vt eâ vitæ duritate, & fucatâ patientiâ omnium in ſe oculos conuerterent*. Pallio itaque ſubſtrato incubare etiam iſti ſolebant, quod innuit Martial. lib. 4. Epigr. 52. de Cynico agens:

Quem nudi tegit vxor abolla grabati.

Abolla autem pallium erat.

V. 50. *Nec frigora*. Iis tantùm veſtibus caruere Cynici, quæ frigori arcendo inſeruiunt; tunicâ enim deſtituti ſolo vtebantur pallio. S. Cyprianus in his *exerti, ac ſeminudi pectoris inuerecundam iactantiam* arguit. Vide Auguſt. lib. 14. de Ciu. Dei cap. 20.

V. 51. *Ingratique Deo*. Rectè Seneca lib. de Breu. vitæ cap. 14. Cynicos ait *naturam hominis excedere*. Tot corporis ab his Philoſophis quæſita incommoda ſuperbiæ potiùs, quam verè ſapientiæ miracula fuere. Diogenes faſtum Platonis ſe aliquando calcare profitebatur, cui Plato: *At faſtu alio*. Tatianus Aſſyrius in elegantiſſimâ oratione ad verſ. Græc. ſuper his conſulatur.

V. 53. *Quæ ſint Capitolia*. Mutila hîc, & abſque interpunctione (qua totus Codex MS. caret) non facilè enucleanda oratio occurrit. Adderem tamen binum *eſt*, ac ita diſtinguerem:

——————Quæ ſint Capitolia? Primùm
His Deus eſt, vxorque Dei eſt, ipſamque ſororem
Eſſe volunt &c.

V. 54. *Ipſamque ſororem*. Virgilius hîc à Paulino memoratus Æneid. lib. 1.

Eſſe volunt, quam Vergilius notat auctor eorum
Dicendo: Et ſoror, & coniux. Plus de Ioue fertur,
Et natam ſtupraſſe ſuam, fratrique dediſſe,
Vtque alias caperet, propriam variaſſe figuram,
Nunc ſerpens, nunc taurus erat, nunc cignus, & arbos,
Se-

lib. 1. Sic Iunonem de ſe loquentem inducit:

Aſt ego quæ Diuûm incedo Regina, Iouiſque
Et ſoror & coniux ———————

Greg. Nazianz. Orat. 1. in Iulian. ἥρα τοῦ μεγάλου Διὸς ἀδελφὴ, καὶ ὁμόζυγος. *Iuno magni Iouis ſoror, & coniux*. Hanc Ethnicis impudentiam exprobrat Auguſt. lib. 4. cap. 10. de Ciu. Dei. Minutius quoque *Deos colitis incaſtos cum matre, cum filiâ, cum ſorore coniunctos*.

V. 55. *Vergilius*. Ita Codex. Politian. Miſcell. Ep. 2, cap. 77. & lib. 5. Ep. 3. apertis teſtimonijs euincit *Vergilium*, non *Virgilium* eſſe ſcribendum. Ita marmora plura, ita vetuſtiſſimi libri ferunt. Cæl. Rhodig. lib. 7. Antiqu. lect. cap. 4., Manut. in Orthogr. alijs exemplis prolatis contrariam tuentur ſententiam. Horum rationes apud Dauſquium in Orthogr. recolendæ, apud quem *Virgilius* rectiùs ſonat.

V. 57. *Natam ſtupraſſe*. Non hîc aliam intelligi quam Proſerpinam Iouis è Cerere filiam fatebuntur omnes, quum iſta Plutonis deinde fuerit mancipata coniugio. Verum quis illam à Ioue ſtupratam affirmauit? Euſebius Cæſar. lib. 2. de Præp. Euang. hæc habet: Κυεῖ μὲν ἡ Δημήτηρ ἀνατρέφεται δὲ ἡ κόρη, μίγνυται δ' αὖθις ὁ γεννήσας ὑτωσὶ Ζεὺς τῇ Φερεφάττῃ τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ, μετὰ τὴν μητέρα Δηὼ, ἐκλαθόμενος τοῦ προτέρου μύσους, καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος. Hoc eſt: *Ceres peperit, educatur filia, huic Proſerpinæ filiæ à ſe genitæ rurſus Iupiter poſt matrem Cererem immiſcetur prioris oblitus ſceleris, ac Draconis formâ ſuſceptâ illam comprimit*. Hæc autem iiſdem penè verbis Euſebius è Clemente Alexandr. in monit. ad Gent. hauſit, cui Arnobium aduerſ. Gent. lib. 5. fusè rem hanc tractantem addere potes. Hinc lucem accipiet Ouidij locus 6. Metampr. Inquit is Iouis adulteria recenſens:

Aureus vt Danaen, Aſopida luſerit ignis,
Mnemoſynen paſtor, variuſque Deoida ſerpens.

Deois hîc Proſerpina eſt Cereris ex Ioue filia, Grecè enim Δηὼ ἀπὸ τοῦ δήω, hoc eſt *inuenio* dicitur Ceres, & inde Patronymicum nomen Deoidis Proſerpinæ communicatum. Orpheus (ſeu quis alius ſit Auctor) ex hoc nefando concubitu Liberum genitum ait, cui adſtipulatur Diodor. Sic. lib. 3. Bibl. Hiſt.

V. 59. *Nunc ſerpens*. *Serpentis* figuram iuduit Iupiter, quum Proſerpinæ, vt nuper vidimus, ſe miſcuit; *Tauri*, quum Europam aſportauit; *Cygni*, quum Ledam fefellit; ac denique *arboris* (niſi fortè *aurum* pro *arbos* hîc legendum ſit) quum in aliam quandam fœminam nefan-
dus

Seque immutando, qualis fuit, indicat ipſe,
Plus aliena ſibi quam propria forma placebat.
Turpiùs his aquilam finxit, puerique nefandos
Venit in amplexus. Quid dicit turba colentum?
Aut neget eſſe Iouem, aut fateatur dedecus iſtud.
Nodus adulter procubuit.

Hæc & alia Ouidius exprimit lib. 6. Metam.

Fecit olorinis Ledam recubare ſub alis,
Addidit vt Satyri celatus imagine pulcrâ
Iupiter implerit gemino Nycteida fœtu,
Amphitryon fuerit, cum te Tirynthia cepit,
Aureus vt Danaen, Aſopida luſerit ignis,
Mnemoſynen paſtor, variuſque Deoida ſerpens.

Venuſtè etiam Græcus quidam duobus hiſce carminibus luſit:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι᾽ ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Fit Iupiter cycnus, taurus, ſatyrus, aurum propter amorem Ledæ, Europæ, Antiopes, Danaes. Hanc Iouis procaciam ridet Nazianzen. in Orat. 1. aduerſ. Iulian. τὰ πάντα γίνεται δι᾽ ἀσέλγειαν, καὶ ἀκαθαρσίαν ὁ Ζεὺς &c. *Quiduis efficitur Iupiter ob impuritatem, ac libidinem.* Plura pete ex Arnobio, Lactantio, Clemente, alijſque vetuſtiſſimis Patribus.

V. 62. *Turpiùs his aquilam.* Per aquilam Ganymedem rapuit Iupiter. De hoc Virgil. lib. 3. Æneid.

————Quem præpes ab Idâ
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.

Quidam tamen ipſum Iouem in aquilam conuerſum huius rapinæ auctorem faciunt. Eſt Græcum carmen;

Αἰετὸς ὁ Ζεὺς ἦλθεν ἐπ᾽ ἀντίθεον Γανυμήδην.

Iupiter aquila factus volauit ad pulcrum Ganymedem. Ouidius quoque lib. 10. Metam.

Rex ſuperum Phrygij quondam Ganymedis amore
Arſit, & inuentum eſt aliquid, quod Iupiter eſſe,
Quam quod erat, mallet. Nullo tamen alite verti
Dignatur, niſi quæ portat ſua fulmina terræ.

Eſt hæc Paulini noſtri mens iſto in loco.

V. 64. *Aut neget eſſe Iouem.* S. Iuſtinus Martyr in Apolog. primâ, quæ hactenus habitâ ſecunda, ſic loquitur: ἀπείη δὲ σωφρονούσης ψυχῆς ἔννοια τοιαύτη περὶ θεῶν, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν ἡγεμόνα, καὶ γεννήτορα πάντων, κατ᾽ αὐτοὺς Δία, πατροφόντην, καὶ πατρὸς τοιούτου γεγονέναι, ἔρωτί τε κακῶν, καὶ αἰσχρῶν ἡδονῶν ἥττω γενόμενον, ἐπὶ Γανυμήδην, καὶ τὰς πολλὰς μοιχευθείσας γυναῖκας ἐλθεῖν. *Abſit enim à caſtâ mente hæc de Dijs cogitatio, videlicet ipſum eorum ducem, & patrem omnium ſecun-*

Q. dum

Nomen habet certè, quod nec ratione probetur?
Sacra Ioui faciunt, & Iupiter Optime dicunt,
Huncque rogant, & Iane pater primo ordine ponunt?
Rex fuit hic Ianus, proprio qui nomine fecit
Iani-

dum eos Iouem, parricidam, & patre tali genitum, & præ amoris impotentiâ à prauis, fœdisq; voluptatibus victum ad Ganymedem, compluresq; alias adulterijs imminutas fæminas veniſſe. Lactantius Ganymedis raptu memorato ſubdit: *Hæc qui fecit viderimus an maximus, certè optimus non eſt*. Plura in hanc rem Aug. lib. 7. cap. 9. de Ciu. Dei, & Arnob. lib. 3. aduerſ. Gent.

V. 65. *Nomen habet certè*. Quum tot ſint Iouis flagitia, vtpotè qui ſtupris familias exagitet, & ſæpè Iouem Ethnici ſine causâ inimicum habeant, nomen Iouis huic Deo non competere ait, ſeu, vt opinatur Lactantius Diu. Inſt. lib. 1. cap. 11., *Iouem, Iunonemq; à iuuando eſſe dictos Cicero interpretatur, & Iupiter quaſi iuuans pater dicitur, quod nomen in Deum minimè congruit, quia iuuare hominis eſt, opis aliquid conferentis in eum, qui ſit alienus, & exigui beneficij*. Tum demonſtrare pergit, quam parum Summo Deo conueniat vocabulum iſtud.

V. 66. *Et Iupiter Optime*. Plinius in Paneg. *Parens*, ait, *hominum Deorumq; Optimi priùs, deinde Maximi nomine colitur*. Erat cognomen hoc præcipuum Iouis, illudq; apud veteres Scriptores ſæpiſſimè occurrit. Noſtram ad rem faciunt Lactant. lib. 1. Inſt. Diu. cap. 10., vbi inquit: *Quid horum omnium pater Iupiter, qui in Solemni precatione Optimus, & Maximus nominatur?* Et infrà: *Hæc qui fecit viderimus an maximus, certè optimus non eſt*. Arnobius quoq; lib. 1. aduerſus Gent. *Cum à vobis & Iupiter Optimus, & Maximus habeatur*.

V. 67. *Iane pater*. Veteres, vt docet Briſſonius de Formul. lib. 1. à Iano precationes auſpicabantur. Martial. lib. 10. Epigr. 28. de hoc numine agens:

Annorum, nitidiq; ſator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precesq; canunt.

Aur. Victor in Breu. Hiſt. Rom. *In ſacris omnibus primum locum Iano detulerunt vſq; eò, vt etiam cum alijs Dijs ſacrificium ſit, dato thure in altaria, Ianus prior nominetur, cognomento quoq; addito Pater*. Paulus Feſti abbreuiator in verbo Chaos: *Vnde Ianus detractâ aſpiratione nominatur, ideò quod fuerit omnium primus, cui primò ſupplicabatur*. Arnob. lib. 3. de ipſo agens: *Atq; ita per vos Dei nomen creditur, quem in cunctis anteponitis precibus*. Hinc Ouid. lib. 10. Faſt.

——— *Cur quamuis aliorum numina placem*
Iane tibi primum thura merumq; fero?

Conſulantur Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 9., Horat. Ep. 16. lib. 1., Seruius in VII. Aeneid. &c.

V. 69.

Ianiculum, prudens homo, qui cum multa futura
Poſſet reſpicere, hunc duplici pinxere figurâ,
Et Ianum geminum veteres dixere Latini.
Hic quia nauigio Auſonias aduenit ad oras,
Nummus huic primùm tali eſt excuſus honore,

Vt

V. 69. *Ianiculum*. Cyprian. lib. de Idol. vanit. de Saturno agens: *Hunc fugatum, ait, hoſpitio Ianus excepit, de cuius nomine Ianiculum dictum eſt*. Solin. Polyhiſt. cap. 2., Arnob. lib. 1., & Auguſt. lib. 7. de Ciu. Dei cap. 4. idem aſſerunt. Sed & Virgil. lib. 8.

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Minutius: *Itaq; latebram ſuam, quod tutò latuiſſet, vocari maluit Latium, & vrbem Saturniam de ſuo nomine, & Ianiculum Ianus ad memoriam vterq; poſteritati reliquerunt*. Miror Dionyſium Halicarnaſſ. tam accuratum alioqui Romanarum antiquitatum Scriptorem ſcriptis prodidiſſe à Romulo Æneæ filio, Aſcanijq; & Romi fratre conditam Α'ινείαν πόλιν, ἀπὸ τοῦ πατρὸς, τὴν ὕστερον κληθεῖσαν Ι'ανίκλον, hoc eſt: *Vrbem Aeneam à patre denominatam, quæ poſtea Ianiculum appellata fuit*.

V. 69. *Qui cum multa futura*. Eſt & hæc aliorum opinio aſſerentium ideò bifrontem Ianum fingi, quia præterita reſpexerit, ac futura præuiderit. Ouidius tamen lib. 1. Faſt., Macrob. lib. 1. Saturn., Auguſt. lib. 7. de Ciu. Dei cap. 8., alijq; diuerſas excogitarunt rationes, quas recolere volenti ad manum erunt eorum volumina. Macrobius verò lib. citato, & potiſſimum cap. 7. Paulino adſtipulatur.

V. 71. *Ianum geminum*. Numa omnium primus Ianum Geminum dedicauit. Velleius lib. 2. ita illum vocat: *Certa pacis argumentum Ianus Geminus clauſus dedit*. Plin. lib. 34. cap. 7. *Præterea Ianus Geminus à Numâ Rege dicatus*. Idem cap. 2. lib. 33. *Nota æris fuit ex alterâ parte Ianus Geminus, ex alterâ roſtrum nauis*. Ad hoc reſpiciunt ſequentia Paulini carmina. Vide quoq; Varronem lib. 4. de Lingu. Latinâ, Sueton. in Neron. cap. 14, & Macrob. cap. 9. lib. 1. Saturn.

V. 73. *Nummus huic*. Plutarchus in Quæſt. Rom. hac de re ſcribit: Διά τι τὸ παλαιὸν νόμισμα τῇ μὲν εἶχεν Ι'ανοῦ διπρόσωπον εἰκόνα, τῇ δὲ πλοίου πρύμναν, ἢ πρῷραν ἐγκεχαραγμένην; πότερον (ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν) ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ι'ταλίαν, *Cur antiquum nomiſma ab vna parte Iani bifrontis imaginem, ab alterâ nauis aut proram, aut puppim inſculptam habet? An, quæ vulgata opinio eſt, in honorem hoc fit Saturni nauigio in Italiam aduecti?* Ipſe quidem Plutarchus hanc rationem haud omninò probandam ait, ſed huic acquieuere probatiſſimi Auctores. Ouid. Faſt. lib. 1. cum Iano colloquens ita canit:

——— Sed cur naualis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Ianus

Vt pars vna caput, pars ſcalperet altera nauem.
Cuius nunc memores quæcumque nomiſmata ſignant
Ex veteri facto capita hæc, & nauia dicunt.

De

Ianus reſpondet:

Cauſa ratis ſupereſt. Tuſcum rate venit in amnem.
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
At bona poſteritas puppem formauit in ære
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Verùm enim verò ab alijs diſſidere videtur Paulinus, quum ipſi Iano aduentum in Italiam tribuit, quod alij ad Saturnum referunt. Athenæus Deipnos. lib. 15. non Italiæ ſolum, ſed & Græciæ in vſu fuiſſe aſſerit huiuſmodi nummos; ait enim τὰς κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις, καὶ τὰς κατὰ τὴν Ἰταλίαν, Σικελίαν, ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ θατέρου μέρους ἢ σχεδίαν, ἢ στεφανὸν, ἢ πλοῖον. *Ciuitates in Græciâ multas, in Italiâ, Siciliâq; monetam cudere impreſſam bicipiti facie, & ex alterâ parte vel rate, vel coronâ, vel nauigio.* Similes nummi viſuntur etiamnum apud antiquitatis amatores, & præſertim apud Clariſs. Virum S. R. I. Com. Franciſcum Mediobarbum Biragum, qui ampliſſimum in re nummariâ theſaurum poſſidebat, preteritiſq; annis laudatiſsimum emiſit opus de Numiſm. Imper, quo Occonem mirabiliter auxit. Sed heu infortunium noſtrum. Ereptus è viuis eſt hoc anno vir iſte doctiſſimus, magnumq; ſui deſiderium viris eruditis reliquit.

V. 75. *Nomiſmata. Numiſma, & nomiſma* dicitur. Primum apud Horatium occurrit lib. 2. Ep. 1., & Martial. lib. 1. Epigr. 40. Alterum in antiquis Gloſſis, & apud Auctores præſtantiſſimos. Certè meliùs Græcæ Orthographiæ accomodatur, quæ Νόμισμα habet.

vedi il Menagio ne' modi di dire italiani: dice che moneta essersi chiamata Ratiro.

V. 76. *Capita hæc & nauia*. Eſt ludus apud Italos puerulos, quem vocant: *giocare à teſta, ò arma*, aut *à teſta, o Croce*, & apud Gallos *jouer à croix, ou pile*. Ille ipſe eſt qui apud antiquos. Accipe auctoritatem. Aur. Victor (ſeu quis alius auctor ille ſit) in lib. de Orig. gent. Rom. *Iſtum etiam*, inquit, *vſum ſignandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ Ianus oſtendiſſe traditur, in quâ ab vna parte caput eius imprimeretur, alterâ nauis, quâ vectus illò erat*. En vt Auctor iſte in Iani aduentu Paulino concordat. Subdit: *Vnde aleatores poſito nummo, opertoq; optionem conluſoribus ponunt enunciandi, quid putent ſubeſſe, caput, aut nauem, quod nunc vulgò: corrumpentes nauiandi dicunt*. Tu vocem hanc *nauiandi* corrige, & *nauia* repone. His conſonat Macrobius lib. 1. cap. 7. Saturn. *Cum primus Ianus æra ſignaret, ſeruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniam ille naui fuerat adductus, ex vnâ quidem parte ſui capitis effigies, ex alterâ verò nauis exprimeretur. Æs ita fuiſſe ſignatum hodièq; intelligitur in aleæ luſu, cum pueri denarios in ſublime iactantes capita, aut nauiam, luſu teſte vetuſtatis, exclamant.* Andreas

Schot-

De Ioue quid ſperant, qui eſt à Rege ſecundus;
Quique ſacrificijs apponitur ore precantum?
Hic habet & matrem captam paſtoris amore,
Nam prior eſt paſtor, quam Iupiter, aut Iouis ipſe;

Sed

Schottus hîc integrè legi *nauiam*, non *nauim* ex 4. MS. Pithæorum ait; ſed mihi potiùs *nauia*, aut *nauium* legere placeret, id verſus Pauliniani metro inconcuſsè docente. Certè Io. Iſac. Pontanus in edit. Macrob. Anni 1597. *nauia* legit.

V. 77. *A Rege ſecundus*. Ante Iouem filium Saturnus regnauit. Expulſus dein filio reliquit Regni aut cæleſtis, aut terreni habenas. Lactant. lib. 1. cap. 11. Diu. Inſt. *Video alium Deum Regem fuiſſe primis temporibus, alium conſequentibus. Poteſt ergò fieri, vt alius ſit poſtea futurus. Atqui Diuinum Imperium, aut ſemper immutabile eſt, aut ſi eſt mutabile, quod fieri non poteſt, ſemper vtiq; mutabile eſt.* Hinc Saturnia Regna, ac ætas aurea Saturni Imperio adſcribitur.

V. 78. *Quiq; Sacrificijs*. Quod ſuperiùs innuerat repetit, nempè Ethnicorum precationes, votaq; à Iani inuocatione incohari, deinde ad Iouem verti, quod ſanè Numinum maximum, omniumq; Rectorem nunquam decebat.

V. 79. *Hic habet & matrem*. Atym paſtorem deperijt Rhea, ſeu Cybele Iouis genitrix. Ille impudicæ nolens auſcultare Deæ eſt euiratus. De hoc Ouid. lib. 4. Faſt.

Phryx puer in ſyluis facie ſpectabilis altis
Turrigeram caſto iunxit amore Deam &c.

Hoc Deæ facinus Ethnicis exprobrat Minutius in Octau. *Cybeles Dyndima pudet dicere, quæ adulterum ſuum infeliciter placitum, quoniam & ipſa deformis, & vetula, vt multorum Deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, exſecuit, vt Deum ſcilicet faceret Eunuchum.* Auguſtin. lib. 6. cap. 7. de Ciu. Dei: *Sacra ſunt Matris Deûm, vbi Atys pulcher adoleſcens ab eâ dilectus, & muliebri zelo abſciſſus etiam hominum abſciſſorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur.*

V. 80. *Nam prior eſt paſtor*. Tantis ambagibus, ac diſcordijs Gentilium Theologia conſtat, vt ſe per illam extricare nemo facilè poſſit. Euſeb. Cæſ. lib. 2. cap. 4. de Præp., vbi de Phrygum Theologiâ diſſerit, Cybelem ante Deorum connubia Atydis amore correptam ait. Verùm quot capita tot ſententiæ.

V. 80. *Aut Iouis ipſe*. *Iouis* in recto caſu rectè dicitur. Priſciano teſtante, apud veteres *Iouis* ſolùm dicebatur à *Iuuando*, adiectoque altero vocabulo dictus eſt *Iupiter*, quaſi *Iouis pater*, ſeu vt meliùs arbitratur Lactantius, *Iuuans pater*. Iouis in recto caſu effertur apud Hyginum in Lib. Fabul., Nonnium Marcellum, alioſq;, quos conſulere potes. Quidam ſeueriſſimus cenſor Gallus N. A. libros quatuor *de Symbolo ad Cathecum.*

Augu-

Sed meliùs paſtor caſtum ſeruare pudorem
Qui voluit, ſpreuitque Deam, cui ſæua viriles
Abſcidit partes, ne quando tangeret ille
Alterius thalamum, qui noluit eius adire.
Hoc tamen hoc egit ſententia iuſta Deorum,
Ne fieret coniux, qui non eſt factus adulter?
Nunc quoque ſemiuiri myſteria turpia plangunt,
Nec deſunt homines, quos hæc contagia vertant,
Intus & arcanum quiddam quaſi maius adorant,
Idque vocant Sanctum, quò ſi velit ire pudicus
Iſte prophanus erit. Sic artior ipſe Sacerdos

Fæmi-

Auguſtino abiudicat, quippe quod illi ſtylus ab Auguſtiniano, imò à Grammaticorum dogmatis abhorrere videtur. Inter exempla hoc profert: *Illic fingitur, quod idem Iouis Iunonem habeat ſororem, & coniugem*, & nomen *Iouis* in nominandi caſu vſurpatum ſugillat; Verùm decipitur, quum huiuſce nominis vſus apud grauiſſimos Auctores obuius fiat, ac propterea Auguſtinum non dedeceat. Nos iſtis contenti ad alia pergimus.

V. 81. *Sed meliùs*. Magis ne placeret: *ſed melior?*

V. 87. *Semiuiri*. Hi ſunt Galli Matris Deûm Sacerdotes, quibus virilia in Atydis euirati memoriam amputabantur. Lactant. lib. 1. cap. 17. *Deûm mater, & amauit formoſum adoleſcentem, & eumdem cum pellice deprehenſum exſectis virilibus ſemiuirum reddidit. Et ideo nunc Sacra eius à Gallis Sacerdotibus celebrantur*. Minutius Cybeles impuritate detectâ ſubdit: *Propter hanc fabulam Galli eam, & ſemiuiri ſui corporis ſupplicio colunt. Hæc iam non ſunt Sacra, tormenta ſunt*. Vide Iuuenal. Sat. 2. ipſumque Paulinum Nat. XI.

V. 88. *Nec deſunt homines*. Totus eſt Auguſtinus lib. 6. de Ciu. Dei, & alibi in confutandâ hac Ethnicorum vanitate, ac ſubterfugio. Hi fabulas aniles internis ſcatere myſterijs, ibique Philologicas veritates latere paſſim obijciebant; ſed ſuiſmet illi rationibus confundebantur: *Deinde*, ait cap. 8. S. Doctor, *ſi iſta Sacra, quæ ſcenicis turpitudinibus conuincuntur eſſe fædiora, hinc excuſantur, atq; purgantur, quod habent interpretationes ſuas, cur non etiam poetica ſimiliter excuſantur, atq; purgantur?* &c. Greg. Nazianz. in Or. 1. aduerſ. Iulian. enumeratis quibuſdam Gentilium ſuperſtitionibus hæc ſubdit: *ταῦτα ἐπεισκυκλείσθω τοῖς θαυμαστοῖς τῆς θεολογίας ἀκροαταῖς, εἶτ' ἐπινοείσθω τούτοις ἀλληγορήματα, καὶ τερατεύματα, καὶ τῶν προκειμένων ἐκπίπτων ὁ λόγος εἰς βάραθρα χωρείτω, καὶ κρημνοὺς θεωρίας οὐκ ἐχούσης τὸ στάσιμον. Hæc eximijs, & admirandis diuinitatis auditoribus inculcentur, poſteaque his allegoriæ, ac portentoſæ interpretationes excogitentur, atq; à propoſitis rebus aberrans oratio in barathra feratur, & præcipitia contemplationis nihil ſolidum habentis.*

V. 92.

Fæmineos vitat coitus, patiturque viriles.
O mens cæca virûm! De Sacris ſemper eorum
Scæna mouet riſus, nec ab hoc errore recedunt.
Saturnum perhibent Iouis eſſe patrem, huncque voraſſe
Natos ante ſuos, & mox è ventre nefandas
Euomuiſſe dapes, ſed poſtea coniugis arte
Pro Ioue ſuppoſitum merſiſſe in viſcera ſaxum,
Quod niſi feciſſet, conſumptus Iupiter eſſet,
Huncque Chronon dicunt, fictèque Chronon, quia tempus
Quæ creat abſumit, rurſuſque abſumpta promittit.
Cur tamen obliquè nomen pro tempore fingunt?
Hunc etiam, quod ſæpè ſibi de prole timebat,
Ab Ioue deiectum cælo latuiſſe per agros

Ita-

V. 92. *Patiturque viriles*. Deeſſe verſum hîc ſuſpicor, ſenſus enim in ancipiti manet. Certè vox *abſcindi* penitus hîc neceſſaria, vt ſit ſenſus: *patiturq; viriles abſcindi partes*.

V. 94. *Scæna mouet riſus*. Iul. Firmicus de error. profan. Relig. cap. 13. hæc luculenter habet: *O facinoroſæ cupiditatis triſte ſolatium! O hominum deflenda perſuaſio! Scænam de Cælo feciſtis & errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate duxiſtis*. Et infra: *ad theatrum potius templa transferte, vt in ſcænis Religionum iſtarum ſecreta tradantur, & vt nihil prætermittat impietas, hiſtriones facite Sacerdotes*. Mitto Auguſtinum Ep. 5. ad Marcellin. & lib. 7. cap. 26. de Ciu. Dei, & Tertullian. in Apolog. cap. 15.

V. 95. *Saturnum*. Rem fuſè narrat Heſiodus in Theogoniâ, Natal. Com. in Mythologiâ lib. 2., & reliqui Ethnicæ Theologiæ eruditionem ſcriptis proſequuti.

V. 100. *Huncq; Chronon*. Scribendum fuerat *Cronon*, Græcè enim Saturnus eſt Κρονός. At quia tempus ſignificare dicitur, χρονὸς quoque appellatur. De hoc Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 22. Dionyſ. Halicarn. lib. 1. Antiqu., Cic. de Nat. Deor. lib. 2., alijque agunt. Arnobius tamen hanc denominationem minimè probat lib. 3. aduerſ. Gent. *Nam ſi tempus, ait, ſignificatur hoc nomine, Græcorum vt interpretes autumant, vt quod Chronos eſt, habeatur Cronos, nullum eſt Saturnium nomen. Quis enim eſt tam demens, qui tempus eſſe dicat Deum?* &c.

V. 101. *Quæ creat abſumit*. Latinum reddidit eleganter Orphei, ſeu Onomacriti verſum de Saturno, in eius Hymno:

ὃς δαπανᾷς μὲν ἅπαντα, καὶ αὔξεις ἔμπαλιν αὐτός
Omnia qui profers, conſumis & omnia rurſus.

Pro voce *promittit* legerem *remittit*.

V. 105.

Italiæ, Latiumque ideò tunc eſſe vocatum.
Magnus vterque Deus! Terris eſt abditus alter;
Alter non potuit terrarum ſcire latebras.
Hinc Latiare malum priſci ſtatuêre Quirites,
Vt mactatus homo nomen ſatiaret inane.
Quæ nox eſt animi? quæ ſunt improuida corda?
Quod colitur nihil eſt, & Sacra cruenta geruntur.
Quid quod & Inuictum ſpelæa ſub atra recondunt,

Quæque

V. 105. *Latiumque ideo*. Virgil. Æneid. lib. 8. de Saturno agens:

———— Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

V. 108. *Latiare malum*. Crudeliſſimum hoc erat Ethniciſmi piaculum. Ioui, quem Latiarem appellabant, humana immolabatur hoſtia. Tertull. in Apolog. cap. 9. rem prodit: *Ecce in illâ religioſiſſimâ Vrbe Æneadarum piorum eſt Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine.* Locum illuſtrat egregiè la Cerda. Minutius: *Hodieq; à Romanis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur*: & alibi: *Cum Latiaris cruore perfunditur.* Porphyrius lib. 2. περὶ ἀποχ. ἐμψ. Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τις ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον; *Quin & noſtro æuo quis neſcit in magnâ Vrbe Iouis Latiaris feſto immolari hominem?* Prudent. lib. 1. in Symmachum:

Funditur humanus Latiari in munere ſanguis.

S. Athanaſ. in Orat. contra Gent. καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατιάριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον. *Priſci quoque Latini Iouem Latiarem victimis humanis ſunt venerati.* Tatianus contra Grecos: εὗρον δὲ μὲν Ῥωμαίοις τὸν Λατιάριον Δία λύθροις ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον. *Item apud Romanos Latiarem Iouem humano cruore, & ſanguine per homicidia fuſo placari.* Dionyſ. Halic. lib. 4. Antiq. Rom. Sacra hæc Ioui Latiari facta commemorat, neque tamen victimæ huius meminit. Hinc diſce meliùs *Iouem Latiarem*, quam *Latialem* dici, quod quidam negant.

V. 111. *Et Inuictum*. Quum hoſce duos verſus Clariſs. viro, doctiſſimoque Equiti Proſpero Mandoſio communicaſſem, vt arcanam eruditionem mihi reſeraret, reſcripſit ille ſibi, ac Illuſtriſs. Ciampino admodum ſententiam probari Abb. Philippi Bonarotæ viri eruditiſſimi, cuius in ſcientiâ numiſmatum antiquorum peritiam breui mirabimur; Hîc enim agi de Sacrificijs Mithræ aſſerebat, quæ maximam apud Ethnicos famam ſibi conciliarunt. Ego igitur, quum per viros tantos profecerim, rem paucis attingam, & præclaram explicabo eruditionem. A Perſis omnium maximè Solis cultus vſurpabatur. Hunc *Mithram* vocabant, additumq; illi *Inuicti* cognomen. Plura apud Gruterum pag. 33., & ſequ., & apud

Reine-

Reineſium marmora occurrunt *Deo Inuicto*, *Deo Inuicto Mithræ*, SOLI MITHRÆ, SOLI INVICTO, & SOLI INVICTO MITHRÆ poſita. Iul. Firmicus de Err. Prof. Relig. cap. 5. Iouem in duas diuidi poteſtates, quarum vnam (hoc eſt virilem) Mithram dici aſſerit. Herodotus lib. 1. de Perſis loquens: θύουσι δὲ οὐρανίῃ Ἀφροδίτῃ, ἣν καλέουσι Μίθραν. *Sacrificant verò cœleſti Veneri, quam vocant Mithram*. Nicetas ad Steliteut. Nazianz. Τὸν Μίθραν οἱ μὲν τὸν ἥλιον, οἱ δὲ τὸν νέφρον τοῦ πυρὸς, ἄλλοι ἰδικήν τινα δύναμιν ὑπολαμβάνουσι. *Mithram alij Solem, alij renem ignis, nonnulli peculiarem quandam poteſtatem eſſe volunt*. Itaque quum non Solem tantùm, ſed quid aliud per Mithram ſignificari videam, facilè Gruterianam Inſcriptionem pag. 22. num. 12. explicabo. Ita ſe habet illa: D. I. M. ET. SOLI. SOCIO. SAC. hoc eſt *Deo Inuicto Mithrae, & Soli Socio ſacrum*. Pro Mithrâ hîc aliud Numen intelligendum eſt à Sole diuerſum, non ipſemet Sol *tamquam alienigena*, vti parùm rectè opinatur Reineſius ad Inſcript. 48. Cl. 1. Legitur quoque in priſcis Inſcriptionibus NANNÆ. SEBECIO. DEO. MITHRÆ. quæ verba omnia ad Solem Mithram referenda cenſet I. Cæſ. Bulengerus c. 4. lib. 1. de lic. & vet. Magiâ. Ego tamen tribus Dijs dicatum marmor puto, vt NANNA ſit *Dianæ Nannaæ* nomen, de quâ Liber *1.* cap. 6., & 2. cap. 1. Machab., Hieronymus, & Ioſephus meminere; SEBECIVS pro *Ioue Sabazio* intelligatur, de quo Orpheus, ſeu Onomacr. in Hymno

Κλῦθι πάτερ, Κρόνου υἱὲ, Σαβάζιε κύδιμε δαῖμον.

Audi pater, Saturni fili, Sabazie inclyte Deorum.

Neque enim ſcio, quâ auctoritate Bacchum etiam *Sabazium* dixerit Heinſius in Ariſt. Sacr. Sed hæc ſatis ſuperque.

V. 112. *Spelaa*. Græcum eſt verbum σπήλαιον quod Latinè ſpelunca dicitur; ſed Græcum nomen & aures Auſoniæ tolerauere. Virgil. Eclog. 10.

Certum eſt in ſyluis inter ſpelæa ferarum &c.

Claudianus de bello Get.

——————— *metuenda ferarum*

Spelæa ———————

Mithræ Sacrificia ſecretiſſimis in antris peracta. Religioſo ſilentio apud eius cultores illic accepta myſteria ſeruabantur. Quin & ijs ſacris initiari volentes multis cruciatibus probationem ſubibant. Hinc Suidas in verb. *Mithra* ait: οὐκ ἂν οὖν εἰς αὐτὸν δυνήσαιτό τις τελεσθῆναι, εἰμὴ διά τινων βαθμῶν παρελθὼν τῶν κολάσεων δείξει ἑαυτὸν ὅσιον, καὶ ἀπαθῆ. *Nullus autem poteſt initiari, niſi per quoſdam ſuppliciorum gradus ſe ſanctum, & perturbationum immunem oſtenderit*. Hoc idem confirmant Nazianz. Orat. 3., Lamprid. in Commodo, ac Tertull. cap. 15. de Cor. Mil. Sunt huius verba: *Erubeſcite Romani commilitones eius non iam ab ipſo iudicandi, ſed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiatur in Speleo &c.* S. Iuſtin. Martyr in Dialog. cum Triphone Mithræ Sacra peragi bis ait ἐν τόπῳ ἐπικαλουμένῳ παρ' αὐτοῖς σπηλαίῳ, *in loco, qui*

Quæque tegunt tenebris, audent hunc dicere Solem?
Quis colat occultè lucem, ſiduſque ſupernum,
Celet in Infernis niſi rerum cauſa malarum?
Quid quod & Iſiacum ſiſtrumque, caputque caninum
Non magis abſcondunt, ſed per loca publica ponunt?
Neſcio quid certè quærunt, gaudentque repertum,

Rur-

apud illos ſpelæum, ſeu ſpecus vocatur. Vide Hieron. in Ep. ad Lætam., Reines. Cl. 1. n. 48. Inſcript., Bulenger. lib. 1. cap. 4. de lic. & vet. Mag., Selden. de Dijs Syris Synt. 1. cap. 6., Salmaſ. ad Hiſt. Aug. fol. 349. 382. &c.

V. 113. *Quæque tegunt*. Scribendum potiùs videtur *quemque tegunt tenebris*. Nihilò feciùs placet ſenſus.

V. 115. *Celet*, *Celo* pro *lateo* inuſitatum verbum. Tegendi tantùm, atque occultandi ſignificatione vſurpatum inuenio. Me tamen monuit eruditiſſimus vir Michael Maddius clariſſimi viri Car. M. Maddij digniſſimum germen apud Plautum in Bacch. Act. 3. ſcæ. 2. legi:

Vt vt eris, moneo, non celabis.

Et à Scholiaſte Lambino ita explicari: *non falles, non latebis*. Certè ſi pronomen *te* hîc ſubintelligendum contendis, & ego in Paulini verſu pronomen *ſe* ſubintelligam. Si cui placeret emendare, legerem:

Celet in Infernis ni ſe horum cauſa malorum.

Sanè in Cod. MS. non *malarum*, ſed *malorum* eſt ſcriptum.

V. 116. *Iſiacum*. In ſacris Iſidis ſiſtra quatiebantur, & Anubidis caput caninum exponebatur. Lucan. lib. 8. rem complectitur vtramq;

Semideoſq; canes, & ſiſtra iubentia luctum.

Auſonius ad Paulinum noſtrum ſcribens Epiſt. 25.

Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus.

Anubis porrò Cynocephalus etiam dicebatur, nomine eius formam exprimente. Athanaſ. orat. contr. Græc. ὁ παρ' Αἰγυπτίοις Κυνοκέφαλος Ἄνυβις. *Apud Aegyptios caninâ facie Anubis*. Ouid. Metam. lib. 9.

——— *Cum qua latrator Anubis*
Siſtraq; erant, numquamq; ſatis quæſitus Oſiris.

De ſiſtris conſule Laurent. Pignor. in Menſâ Iſiac., & egregiam diſſertationem Benedicti Bacchini eruditiſſimi, & Clariſſ. viri.

V. 118. *Neſcio quid*. Locum Minutij expreſſit Paulinus. Inquit ille: *Mox inuento paruulo gaudet Iſis, exultant Sacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur, nec deſinunt annis omnibus vel perdere quod inueniunt, vel inuenire quod perdant*. Jul. Firm. cap. 2. *Nihil hîc inuenis, niſi quod iterum aut quæras, aut lugeas*. Ipſe Paulinus Nat. XI.

——— *Nam quid, rogo, cæcius illis;*
Qui non amiſſum quærunt, nuſquamq; manentem
Inueniunt? ———

V. 122.

Rurſus & amittunt, quod rurſus quærere poſſint.
Quis ferat hoc ſapiens, illos quaſi claudere Solem,
Hos proferre palam propriorum monſtra Deorum?
Quid Serapis meruit, qui ſic laceratur ab ipſis
Per varios turpeſque locos? Hic denique ſemper
Fit fera, fitque canis, fit turpe cadauer aſelli,
Nunc homo, nunc panis, nunc corpore languidus ægro:
Talia dum faciunt, nihil hunc ſentire fatentur.
Quid loquar & Veſtam, quam ſe negat ipſe Sacerdos
Scire quid eſt? Imiſque tamen penetralibus intus
Semper inextinctus ſeruari fingitur ignis.
Cur Dea, non Deus eſt? Cur ignis fæmina fertur?
Iſta quidem mulier, ſicut commendat Hyginus,

Sta-

V. 122. *Quid Serapis meruit*. Hîc aquam hærere mihi lubenter fateor. Alicuius Feſti diei meminit Paulinus, quo Serapis multas induere figuras cogebatur; At huius veſtigia nuſquam reperio. Certè Macrobius, & Plutarchus in lib. de Iſid. & Oſir. nulla alia effictum formâ Serapidem faciunt quam humanâ. *πανταχοῦ ἀνθρωπόμορφον Ὀσίριδος ἄγαλμα*, *vbiq; ſimulacrum Oſiridis humanâ ſpecie oſtenditur*. Ab eruditioribus itaq; expectanda ſolutio.

V. 127. *Quid loquar & Veſtam*. Veſtam eſſe ipſam terram ſunt quidam arbitrati, alij domorum omnium ſeruatricem, alij etiam per illam purum ætheris ignem ſignificari opinabantur. Hinc Orpheus illam non ſiculas habitare regiones, ſed in æthere morantem aiebat:

Ἑστία εὐδυνάτοιο Κρόνου θύγατερ βασίλεια,
Ἣ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστου.
Veſta potentis Saturni filia Regina,
Quæ mediam regionem ætheris magni, ignisq; habitas.

Alij alia, vt mirum non ſit, ſi Sacerdotibus eius ignotum quoq; quid illa ſit, noſter affirmet.

V. 130. *Cur ignis fæmina*. Vidiſti ſupra ex Orpheo Veſtam pro igne ſumi, addo nunc Ouid. lib. 6. Faſt.

Nec tu aliud Veſtam, quam viuam intellige flammam;

Et tamen is ante dixerat:

Veſta eadem eſt & Terra —

Auguſtin. lib. 4. cap. 10. de Ciu. Dei ita fatur: *Eandem terram Cererem, eandem etiam Veſtam volunt, cum tamen ſæpiùs Veſtam non niſi ignem eſſe perhibeant*, quod idem repetit lib. 7. cap. 16. Vide Cic. de Nat. Deor., & in 2. de Leg., Diodorum, alioſq;. Miratur igitur, ridetq; Paulinus, cur ignis fæmina dicatur.

V. 131. *Hyginus*. Auguſti libertus fuit Iul. Hyginus, ac Ouidij familia-

ris.

Stamine prima nouo veſtem contexuit olim,
Nomine de proprio dictam, quam tradidit ipſa
Vulcano, qui tunc illi monſtrarat opertos
Cuſtodire focos. Hic rurſum munere lætus
Obtulit hanc Soli, per quem deprehenderat ante
Martis adulterium. Nunc omnis credula turba
Suſpendunt Soli per Vulcanalia veſtes;
Vtque notent Venerem, tunc & portatur Adonis,
Ster-

tis. Librum *fabularum* ſcripſit, qui etiamnum extat. Verùm ibi citatum a Paulino locum nanciſci non potui. Scripſit ille præterea libros *Genealogiarum*, & librum *de Penatibus*, quem laudat Macrob. lib. 3. cap. 14. Saturnal., librum *de proprietatibus Deorum*, Macrobio itidem teſte lib. 3. cap. 8., & *Confuſaneas quæſtiones* Fabio, Gellio, ac Diomedi memoratas, quæ nobis omnia temporum voracitas inuidet. Ex hiſce libris propoſitam eruditionem procul dubio Paulinus noſter hauſerat.

V. 138. *Suſpendunt Soli*. Vulcanalia feſta erant in Vulcani honorem. De his mentio extat in vetuſtiſſimis Kalendarijs apud Gruter. pag. 133. 134. & 135., & in alio non diſſimili apud Dempſter. Rom. Antiqu. in Paralip. ad cap. 4. lib. 4. Peragebantur autem 10. Kal. Septemb. His Columella concordat de Re Ruſt. lib. 11. cap. 3. *Ceterùm*, ait, *Auguſto circa Vulcanalia tertia ſatio eſt*. Meminit etiam Varro de lingua Lat. In vſu autem antiquis fuit Idolorum cultoribus veſtes falſis ſuſpendere Dijs. Ariſtoph. in Auibus.

——————— τίς δὲ θεὸς
Πολιοῦχος ἔσαι, τῷ ξανοῦμεν τὸν πέπλον;

Quis autem Deus vrbi præſidebit, cui diuidemus veſtes? hoc eſt: cui Deo veſtes ſuſpendemus? Apuleius lib. 6. Aſ. Aur. *Vides dona ſpecioſa, & lacinias auro literatas, ramis arborum, poſtibuſq; ſuffixas*. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 18. *In alijs myſterijs traditur mos, vt veſtem, in quâ quiſpiam initiatur, templis, & Numinibus dicaret*. Hæc, & alia congerit Pinto Ramirez in Spicileg. Sacr. tract. 1. cap. 2. & 22. §. 15. Verùm veſtes Soli ſingulariter dedicatas apud neminem inuenire potueram, quum eruditiſſimus Abbas Blanchinus, cuius curæ Em. Othoboni Bibliotheca demandata eſt, per Clariſs. Ciampinum quendam hac de re apud Herodotum extare locum me monuit. Eſt autem lib. 2., vbi agit de Neco Rege: *ἐν τῇ δὲ ἐσθῆτι ἔτυχε ταῦτα κατεργασάμενος ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι πέμψας ἐς Βραγχίδας τὰς Μιλησίων. In veſtitu autem curioſus quum fuiſſet, illum Apollini dicatum ad Branchidas Mileſiorum miſit*.

V. 139. *Portatur Adonis*. Erant quidem Adonia apud Gentiles, hoc eſt Feſta Adonidi ſacra, de quibus meminit Ariſtophanes in Pace, & Ouid. Metam. lib. 10. eo verſu per Venerem prolato:

Annua

Stercora tunc mittunt, ipſum pro ſtercore iactant.
Omnia ſi quæras, magis & ridenda videntur.
Additur hîc aliud: Veſtæ quas Virgines aiunt
Quinquennes epulas audis portare Draconi,

Qui

Annua plangoris peraget ſimulamina noſtri.

Præſertim verò Alexandriæ, vt aſſerit Nat. Comes lib. 5. cap. 16. Mythol., Adonidis ſolemnia feruebant, cuius imago magnâ cum pompâ ferebatur. Sed hîc aliud innui tempus patet, quo & Adonidis ſimulacrum portaretur, nempe in ipſis Vulcanalibus, ait enim: *Tunc & portatur Adonis*. Celebris eſt Veneris, & huius pueri fabula.

V. 140. *Stercora tunc mittunt*. Fimo Dij Gentium dehoneſtari ſolebant. Doctiſſimus Abbas Blanchinus Othobonianæ Bibliothecæ Præfectus per Cl. virum Io. Ciampinum Orphei, ſeu Onomacriti verſum de ritu ſimili vt animaduerterem monuit. Habetur ille apud Nazianz. in Steliteut. 1. aduerſ. Iulian.

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλύμενε κόπρῳ.

Iupiter glorioſiſſime, Deûm maxime, delibute ſtercore.

Seldenus de Dijs Syris Synt. 2. cap. 5. hunc eumdem recitat verſum, ſed ad *Iouem Stercoreum* non magis attinere cenſet illud εἰλύμενος κόπρῳ, quam Virgilij de Ioue verba:

——————— Totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Quaſi vtrobique Iupiter arcanis naturæ inuolutus dicatur. Verùm nil rei Latina carmina cum Græcis habent, & κόπρος ille, quo delibutus dicitur Iupiter, huiuſmodi ab explicatione abhorret. Dij Stercorei fuere præterea, ac, vt ibidem notat idem Seldenus, *Beelzebul* ſonat *Dominus ſtercoreus*, & Rabbi Abraham Benkattun verſum 33. cap. 23. Exodi ita explicat: *Non ſines apud te habitare, qui colunt Deos peregrinos, vel ſtercoreos*. Sed cur Adonis ſtercora patiebatur? Cauſam inueniſſe mihi videor. Nonnulli Adonidem ſemen tritici eſſe ſtatuerunt, inter quos Theocriti Scholiaſtes ita loquutus eſt: ὁ Ἄδωνις, ἤγουν ὁ σῖτος, ὁ σπειρόμενος ἓξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ὑπὸ τῆς σπορᾶς &c. *Adonis, videlicet frumentum ſatum ſex menſes humi ſub ſatione degit*. Tam benè igitur Adonidi ſtercora aptantur, quam tritico. Quia verò inter Vulcanum, Venerisque amaſios inimicitiæ intercedebant, hinc Adonis malè habitus, quum Vulcani Sacra peragebantur. Has ego propiores cauſas arbitror, cur adeò turpia ille in Vulcanalibus ſubire cogeretur.

V. 143. *Quinquennes epulas*. Quum mihi horum carminum germana explicatio lateret, monuit me Iohannes Ciampinus V. C., & maximum Vrbis decus, ſolutionem à Lipſio petendam cap. 10. de Veſtâ, & Veſtal. Hunc quidem Auctorem ante conſulueram, ſed incurioſo effugerat hæc eruditio. Inquit autem is: *In ambage, vel nube eſt, quod in Sylue-*

ſtri

Qui tamen aut non eſt, aut ſi eſt, Diabolus ipſe eſt
Humani generis contrarius antea ſuaſor.
Et venerantur eum, qui nunc in nomine Chriſti
Et tremit, & pendet, ſuaque omnia facta fatetur:
Quæ meos eſt hominum, vt pro veris falſa loquantur;
Qui linquenda colunt, contràque colenda relinquunt?
Iam ſat erit nobis vanos narrare timores.
Hæc ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
Meque diu incertum, & tot tempeſtatibus actum
Sanctâ ſalutari ſuſcepit Ecleſia portu,
Poſtque vagos fluctus tranquillâ ſede locauit,
Vt mihi iam liceat, detersâ nube malorum,
Tempore promiſſo lucem ſperare ſerenam.
Iam prior illa ſalus, quam perdidit immemor Adam,
Tunc verò ſuadente malo, nunc remige Chriſto,
Eruta de ſcopulis ſemper manſura reſurget.
Rector enim noſter ſic vndique cuncta gubernat;

Vt

ſtri Actis quibuſdam legitur: Draconis eum ora clauſiſſe, & perpetuo ergaſtulo mancipaſſe, cui Kalendis ſingulis à Virginibus Veſtæ ſuppeditari ſolita ſunt alimenta. Nam quis veterum tale aliquid? eòq; ſperni, aut abyci à magnis viris vt falſa video. Me cunctante an non Tertullianus huc adſpexerit ad Vxor. cap.6. hiſce verbis: Romæ quidem quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo Dracone curantes de Virginitate cenſentur. Hæc Lipſius. Tu verò ſodes intuere quantum ponderis hiſce omnibus à Paulino accedat. Quomodo verò *quinquennes epulas* vocet, fateor me nondum percepiſſe. Habetur quidem in Codice noſtro ſcriptum *quinquennis*, at neq; metrum, neq; ſenſus hanc lectionem patiuntur, ſcriptumq; pro *quinquenneis*.

V. 149. *Qui linquenda*. Similis locus Minuciano: *Nonne ridiculum eſt, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas?*

V. 151. *Ego cuncta prius*. Hîc verſum vnum, pluresue deeſſe nemo diffitebitur; quippe verba priora in incerto manent, ſimilemq; ſenſum vt compleantur requirunt: *Hæc ego cuncta prius dubiâ mente voluebam, & probare neſciebam, clarum cum lumen adeptus ſum* &c.

V. 153. *Ecleſia*. Ita effert alibi Paulinus hoc nomen metri gratiâ: In Epithal. *Grande Sacramentum, quo nubit Ecleſia Chriſto.*
Hic vos nectat amor, quo ſtringit Ecleſia Chriſtum.
In Nat. IV. quoq; & alibi. Ita etiam vſurpauit Anonymus lib. 2. contra Marcionem ijs carminibus, quæ Tertulliano adſcribuntur:
Sic & Apoſtolico decurrit Ecleſia verbo.

V. 161.

Vt modò qui nobis errorem mentis ademit,
Hîc meliore viâ Paradiſi limina pandat
Felix. Noſtra Fides vni, certoque dicata,
Vnus enim Deus eſt, ſubſtantia Filius vna,
Vnus in vtroque eſt vnus vigor, vna poteſtas.
Namque Dei Verbum patrio de pectore Chriſtus
Emicuit, ſemperque fuit, qui non quaſi natus,
Ore ſed egreſſus, Chaos illud inane remouit,
Et tulit informem contextæ noctis hiatum,
Diſtribuitque locis mare, terras, aera, cælum,
Hiſque dedit geminam pulsâ caligine lucem.
Aſt vbi cuncta nouum ſtupuerunt ſurgere Solem,
Quatuor hæc hauſit varijs exordia rebus.
Sunt homines terris, ſunt addita ſidera cælo,
Aere pendet auis, liquido natat æquore piſcis.
Sic elementa ſuis decorauit ſingula formis,
Nexuit hæc diuerſa licet, diſcretaque iunxit,
Iunctaque diſcreuit, quæ nunc diuiſa cohærent.
Claudit enim Oceanus terram, mare clauditur, ipſe
Axe ſub æthereo medius concluditur aer.
Hoc etiam cælum, quod nos ſublime videmus,
Sex alijs infrà eſt ſpatio ſurgentibus æquo,
Poſtque thronos ſeptem, poſt tot cæleſtia regna

Cetera

V. 161. *Vt modò*. Tempus deſignat, quo hæc ſcriptis mandabat, nempè Annum 395., ſe enim Nolam nuper contulerat Paulinus, vt ibi religioſo pioque viuendi inſtituto daret operam. Vide quæ diſſerui in Præf. ad hoc Poema.

V. 176. *Sic elementa*. Vix erit quiſquam, cui noua non videatur Paulini ſententia. En apertè *mare*, *terras*, *aera*, *cælum* elementorum nomine diſtinguit, neque hilum de igne cogitat. Res pulchra, & diſquiſitione digna. Conſulat itaque Lector Diſſertationem XX., quam idcircò poſui, vt ſingularem eruditionis huius partem elucidatam facerem.

V. 180. *Medius concluditur aer*. Abſit, vt imaginariam illam ignis ſphæram, quam Ariſtoteles, eiuſque ſectatores lepidè excogitarunt, ac etiamnum probant, Paulinus noſter admiſerit. Hinc aerem non à commentitijs illis flammis, ſed ab æthere, cæloue concluſum affirmat.

V. 183. *Poſtque thronos ſeptem*. Non ſeptem tantùm, ſed nouem ſub Empyreo conſtitutos fuiſſe cælos omninò fatendum. Septem ex ijs errantia ſidera tenent, vt habet verſiculus:

Cyn-

Cetera pars omnis, quæ cunctis eminet vltra,
Quæ ſuper excedit, quæ paſſim tendit in altum,
Quæ ſine fine patet, quam nec mens colligit vlla,
Lucis inacceſſæ domus eſt, ſedeſque potentis
Sancta Dei, vnde procul quæ fecit ſubdita cernit.
Omnia ſic conſtant, dum ſpiritus omnia cingit.
Hæc eadem, quorum nobis conceditur vſus,
Quæ polus inferior magnâ complectitur Vrbe,

Cuncta

Cynthia, Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Ioue, Satur. Octauum à fixis ſideribus occupatur; nouum verò primum Mobile eſt, cui, ſuccedit Empyreum. Nihilominùs ſeptem cælos ante Empyreum extare diſertè Paulinus ſentit. Quâ ratione quæris? Poeticâ facultate reſpondeo; ſiquidem apud Poetas in octauo cælo, videlicet in ſidereo cælo, Dei ſummi domicilium ſtatuitur. Virgil. lib. 10. Æneid.

Conciliumque vocat Diuûm pater, atque hominum Rex
Sideream in ſedem ——

Sidon. Apollin. in Panegyr. Auiti de Deorum Concilio

Ipſa pauimentum ſunt ſidera, iam Pater aureo
Tranquillus ſeſe ſolio locat. ——

Euripides in Ione Δίος πολύαςρον ἔδος *Iouis pauimentum multiſidereum* appellat, cui adde Chryſoſt. Orat. 2. de Dei nat., alioſque. Fuit hæc quoque veterum Chriſtianorum ſententia. *De Cælorum diuerſitate* Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus imaginariam hæreſim recenſet cap. 46., aitque, *Siue ergò ſex Cælos ſecundùm David, & ſeptimum hoc firmamentum accipere quis voluerit, non errat, nam Salomon tres cælos dicit, ita cælum, & cælum cæli. Paulus æquè Apoſtolus vſque ad tertium cælum ſe raptum fatetur. Siue ergò ſeptem quis acceperit, vt David, ſiue tres, ſiue duos, non errat*,

V. 188. *Vnde procul*. Virgilium imitatur ita lib. 10. Æneid. canentem:

Conciliumque vocat Diuûm Pater, atque hominum Rex
Sideream in ſedem, terras vnde arduus omnes
Caſtraque Dardanidum ſpectat. ——

Liceat quoque Italicorum vatum Principem hîc audire lib. 1. Hier. Liber.

Quando dall' alto ſoglio il Padre eterno,
Ch' è nella parte più del Ciel ſincera,
Gli occhj in giù volſe, e in vn ſol punto, e in vna
Viſta mirò ciò ch' in ſe 'l mondo aduna.

V. 191. *Complectitur Vrbe*. Romani Imperij fines eoſdem ac orbis terrarum Poetæ ſtatuerunt. Rutil. in Itiner. eleganter:

Dumque offers victis propriȷ conſortia iuris
Vrbem feciſti, qui prius orbis erat.

Scho-

Cuncta licet diſtent, vnâ cum pace tenentur,
Denique nomen habent vnum, ſunt omnia mundus.
Hunc etiam Græci coſmon dixere priores;
Hinc ita compoſitum diſtinguens vtraque lingua
Coſmon ab ornatu, mundum de lumine dixit.
Nam quò Sol nitet, hoc totum ſordebat in vmbrâ,
Et manet exemplum, quotiens nox omnia fædat,
Et docet ex tenebris, quæ ſit data gratia lucis.
Tot bona qui fecit, qui ſic operatus vbique eſt,
Hic Deus eſt de corde Dei, hic Spiritus oris,
Sancti ſermo Patris, tantarum fabrica rerum.

Scholiaſt. in Dionyſ. de ſitu orb. ὅπερ δὲ πόλις τοῖς αὐτῆς ὁρίοις, καὶ χώραις ἐστὶ τοῦτο, ἡδὲ ἡ πόλις τῆς ἁπάσης οἰκουμένης, ὥσπερ αὐτῆς χώρας ἄστυ κοινὸν ἀποδεδειγμένη. *Quod autem eſt ſuis finibus, & regionibus vrbs aliqua, hoc Roma eſt totius orbis prouincijs, quaſi commune totius habitabilis terræ oppidum*. Hinc Roma Claudiano dicitur *quæ fundit in omnes Imperium*; ſic Plin. cap. 5. lib. 35. Romam eſſe *vnam cunctarum gentium in toto orbe patriam* dixit. Plura pete à Bulengero de Imp. Rom. lib. 2. cap. 5.

V. 195. *Hinc ita*. Arrideret: *Hunc ita*.

V. 196. *Coſmon ab ornatu*. Κόσμος Græcis eſt ornamentum. Ab hac ſignificatione mundi, qui Græcis Κόσμος dicitur, nomen deriuatum cenſet Paulinus, quia reuera eſt mundus venuſta ornamentorum ſeries. Alij ἀπὸ κόσμου, qui eſt *ordo*, ſeu *modus*, nominis huius ethymologiam deducunt, quum mundus rerum ſimul nexarum, atque ordinatarum verè ſit ſtatus. Tertullianus aduerſ. Marcion. lib. 5. poetæ noſtro ſubſcribit: *Vt ergò*, ait, *aliquid de iſto huius mundi indigno loquar, cui & apud Græcos ornamenti, & cultus, non ſordium nomen eſt*.

V. 196 *Mundum de lumine*. Honor. Auguſtod. lib. de Imag. Mundi cap. 1. Iſidor. lib. 3. Orig. cap. 28., & 13. cap. 1. *Mundum* quaſi *mouendum, quia in perpetuo ſit motu*, dictum putant. Sed rectiùs Varro, Cic., Plin., Paullus I. C., & alij, *à munditie* appellatum volunt. Huic Ethymologiæ Paulinus accedit, dum *à lumine mundum* dici ait.

V. 201. *Hic Deus eſt*. Hoc eſt Diuinum Verbum, Deiq; filius; per quem vt ſupra cecinit, *omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. In MS. dicitur: *Hic Deus de corde*. Appoſui verbum *eſt*. Adhuc tamen claudicat verſus. poſſem alterum *eſt* adijcere: *Hic eſt Spiritus oris*.

V. 202. *Fabrica rerum*. *Fabrica* pro *officina* propriè vſurpari docuit Sipontinus. Ita fortè capiendum hic nomen iſtud. Meâ tamen ſententiâ aut error in Codicem irrepſit, aut carmen aliquod abeſt.

Nec ſe Paganus laudet, ſi vitat Idola,
Ac ſatis eſſe putat, quod Numine credat in vno;
Quid colet ille Deum, qui Verbum non colit eius?
Qui non virtutem ſimili veneratur honore?
Quique inuiſibilem, incomprehenſibilemque fatetur
Eſſe Deum, hic etiam Chriſtum ſi cogitet idem
Inueniet, quoniam Verbum comprehendere nemo,
Nemo videre poteſt, opera eius ſola videntur.
In Patre Natus enim, in Nato Pater omnia fecit,
Et quidquid virtute dedit, pietate tuetur.
Sic fuit, & ſteterit verſus Saluator in æuum,
Qui tulit errores, qui fecit vera videri,
Placatoque Patri pereuntem reddidit orbem;
Nec mirum, ſi cuncta regit, qui cuncta creauit,
Qui dedit ex nihilo totum, lucemque tenebris
Prætulit, atque diem iuſſit ſuccedere nocti,
Quodque in carne fuit, carnis peccata remittit;
Cernit enim fragilem faciles incurrere lapſus,
Corripienſque tamen veniam dabit omnibus vnam,
(Remque nouam dicam, nec me dixiſſe pigebit)
Pluſque pius quam iuſtus erit. Si denique iuſtus
Eſſe velit, nullus fugiet ſine crimine pœnam;
Iuſtus enim mala condemnat, pius omnia donat;
Hoc facit, vt rata ſint venturæ munera vitæ,
Et quod culpa tulit, rursùm indulgentia reddat,
Quæ ſi non fuerint plebi conceſſa roganti,
Tunc propè nullus erit delicto liber ab omni.
Qui poſſit meritus promiſsâ luce potiri?

Tan-

Vid: Marchium Agiptium Serie degl. Imperadori an: Xsti 356

V. 203. *Nec ſe Paganus*. De hoc nomine plura pete à magno Annalium parente Baronio in Martyrol. ad diem 31. Ianuar., Gothofred. ad lib. 6. C. Th. tit. 10. de Paganis &c., alijſq; Scriptoribus. Seculo Chriſti quarto nomen hoc Gentilibus aptari cæpit, quum ijdem ab vrbibus pulſi in *Pagis*, agriſq; profanam adhuc Religionem exercerent.

V. 203. *Si vitat*. In MS. legebatur: *Si qui Idola vitat*. Emendaui.

V. 204. *Numine*. Jta ſcribere placuit pro *nomine*, quemadmodum habet MS.

V. 213. *Verſus Saluator*. Illud *verſus* mihi parum arridet. Fortaſse *verus* ſcribendum eſt.

V.249.

Tangere tunc lætis Cælorum Regna licebit,
Tunc poterit mors ipſa mori, cum tempore toto
Vita perennis erit, quia tunc in Sede beatâ
Nullus peccandi locus eſt, vbi nulla cupido eſt.
Gloria tanta manet populo ſeruata Fideli.
Amplius hoc tribuit, maius dedit hoc quoque munus,
Quod peccatorem, quem pænitet, antea lapſum
Non facit in numero turbæ peccantis haberi;
Quippe ſatis pæna eſt, cum ſit ſua culpa dolori;
Supplicium proprium timor eſt, tormenta reatus
Tum veluti patitur qui ſe meruiſſe fatetur.
Quid poterit melius, vel quid moderatius eſſe?
Iudicat, inquirit, caſtigat, parcit, honorat,
Omnia qui vincit, nec ab ipsâ vincitur irâ.
Quod de præſenti iam cernimus eſſe futurum;
Nam cum ſæpè minax horrentia nubila cogit,
Et terrore pio rutilo nimis igne coruſcat,
Triſtibus & pluuijs, & nubibus intonat atris,
Omne genus timet interitum, ſed vita poteſtas
Definet, & pariter Cælum menteſque ſerenat.
Hoc quoque tunc ſperare iubet, qui ſe modò cuncta
Perdere poſſe probat, ſi perdere velle recuſat.
Sic iteranda ſalus venturo oſtenditur æuo,
Æternique Dei pietas æterna manebit.

V. 249. *Vita poteſtas*. Errorem alijs tollendum relinquo.

Poſt egregia hæc S. Paulini Poemata Hymnum quemdam ſubnectere placuiſſet, quem ab eodem Santiſſimo vate in S. Ambroſij laudem compoſitum gemini Bibliothecæ Ambroſianæ MSS., vetuſtique Codices affirmant. Eius initium eſt:

Miraculum laudabile
Canite omnes populi,
Quod datum eſt Eccleſiæ
Fluctuanti in ſeculo.

Ille verò idem eſt Hymnus, quo etiamnum Ambroſiana Eccleſia vtitur, quique in eiuſdem Breuiarijs legitur recenti ſtudio expolitus, ac reſtauratus. Quum tamen plurima eidem Hymno verborum barbaries inſit, nullaque metri ſit habita ratio, apertiſſimè patet, non a Paulini modò noſtri ſtylo abhorrere, verùm etiam humilem planè fœtum ſequioris æui fuiſſe. Conſtat quidem, Gennadio teſte, *Hymnarium* à Paulino elucubratum, ſed ab edaciſſimâ ætate tantum opus interceptum fuit, eiuſque particulam Opuſculum hoc non eſſe quiſque eruditus nullo negotio dignoſcet. Itaque Diſſertationes ſubdo, quas, vt maior Paulini carminibus lux affulgeret, pro viribus elaborare ſtudui. Ex eis autem quædam erunt viris doctiſſimis inſcriptæ, quas nullo inter eos præſtantiorum delectu habito, ſed ſecundùm propoſitum Poematum ordinem diſtribuendas cenſui. Vtinam huiuſmodi labor æquo gratoque animo ab humaniſſimis Lectoribus excipiatur, tum enim & de ſuſcepto conſilio mihi gaudebo, animuſque ad maiora in poſterum ſuſcipienda appelletur.

AD

AD SANCTI PAULINI POEMATA DISSERTATIONES.

De Turcio Aproniano.

DISS. I.

GENS Apronia, à quâ procul dubio Aproniana familia, celebris eſt apud veteres Latinos, eiuſq; meminere Glandorpius in Onomaſt., Patinus, & Vrſinus in familijs Romanorum, exhibitis etiam de illâ numiſmatis. Apronianam verò ſingularitèr exquiſitiſſimâ, ac neruosâ eruditione poſt Glandorpium proſequutus eſt Em. Noriſius in Cænotaph. Prſ. Diſſ. 4. cap. 2. §. 1. *Gens itaque Turcia Aproniana Aſteria Romæ nobiliſſima fuit*, vti ibidem laudatus Cardinalis ait. Floruit ſub Iuliano Auguſto L. Turcius Secundus Apronianus Præf. Vrbi, de quo apud Gruterum pag. 476. n. 7. Inſcriptio habetur, itemq; alia pag. 647. n. 6. Ad eundem referenda eſt alia Inſcriptio Gruteriana pag. 165. n. 2. Fani ſita, quæ tamen hactenus cum errore propoſita eſt, quaſi DIUO AUGUSTO fuerit dicata. Veram lectionem exhibent Schedæ Ambroſianæ Bibliothecæ, eæq; omnium vetuſtiſſimæ, è quibus multa mihi hauſta in ornamentum collectionis ineditarum Inſcriptionum, quam iuſto volumine comprehenſam, fauentibus Superis, orbi communicare iam meditor. Sic autem ſe habet marmor, eiuſque adnotatio:

Fani in arcu ſemidiruto conuulſo
tormentis bellicis bello Pij II. contra
Fanenſes. MCCCCLXII.

DIVO AVGVSTO PIO CONSTANTINO PATRI DOMINORVM.

Subſequitur in medio marmore, ac infra quicquid apud Gruterum inuenitur. Poſitum Auguſto priùs fuerat marmor, tum, vti frequenter contingit, eidem marmori copulata alia Inſcriptio, quam Turcius Secundus Aſterius Conſtantino Magno dicatam voluit. Alij fuere Turcij Aproniani, aut Aſterij, quos in laudato numquam ſatis opere Noriſiano

videre

videre licet. Ibi ex antiquiſſimo Mediceæ Bibliothecæ Virgiliano Codice exhibetur Inſcriptio Turcij Rufij Aproniani. V. C., qui Conſul Anno Chriſti 494. proceſſit, propriâ eiuſdem Turcij manu elaborata. Redeamus nunc ad Turcium noſtrum. Hunc ita Paulinus commendat:

Apronianum Turciæ gentis decus
Ætate puerum, ſenſibus carnis ſenem,
Veteri togarum nobilem proſapiâ,
Sed clariorem Chriſtiano nomine,
Qui mixtâ veteris, & noui ortus gloriâ,
Vetus eſt Senator Curiæ, Chriſto nouus.

Igitur Senatorum albo inſcriptus erat Turcius iſte, & nuper Chriſtianam Religionem fuerat profeſsus. Hanc ſuam ad Chriſtum conuerſionem debuit Apronianus Melaniæ ſenioris pietati, quæ illum à Gentibus in Chriſti vlnas adduxit. Auctorem huius rei Palladium habeo in Hiſt. Lauſiacâ cap. 118., vbi de ſeniore Melaniâ Hieroſolymis Romam reuerſâ his verbis agit: *Atq; illic quidem cum eſſet, beatiſſimum virum, magnæque exiſtimationis clariſſimum Aprianum* (legendum eſt *Aproniani*) *qui erat Gentilis, Catecheſi inſtituit, & Chriſtianum effecit*. Romam redijt Melania anno 397. ex Baronij, Pagijq; calculis, igitur poſt illud tempus Ethniciſmo Apronianus valedixit. Erat autem hic inter paucos Rufini Aquileienſis amicus, quam familiaritatem Melaniæ ſenioris, ac iunioris officia conciliauerant, apud quas Rufinus primas honoris, & exiſtimationis tenebat. Hinc illius fautor effectus prauis etiam illius Doctrinis animum obſtrinxerat. Anno Domini 399. ad Pammachium, & Oceanum Epiſtolam Hieronymus conſcripſit, vbi quaſdam Rufini ſententias, calumniaſque caſtigauit. *Verùm*, vt lib. 1. cap. 2. Hiſt. Pelag. ait Em. Noriſius; *ſtatim ac Hieronymi literæ Pammachio redditæ ſunt, earumdam exemplar Apronianus, qui in Rufini rem vigilantiſſimè incumbebat, Aquileiam ad magiſtrum tranſmiſit*. Ad hæc Rufinus duos è veſtigio libros inuectiuarum in Hieronymum elucubrauit, quos Aproniano noſtro inſcripſit. Sic autem incipit: *Perlegi ſcripta tua, Aproniane cariſſime, quæ ab amico, & fratre bono* (hoc eſt Hieronymo) *de Oriente ad virum nobiliſſimum Pammachium miſſa tranſmiſiſti ad me*. Nunc videamus, quæ eius vxor. Palladius in Hiſt. Lauſ. cap. 134. hanc nobis notitiam ſeruauit: *Vidi etiam*, inquit ille, *beatam Auitam Deo dignam cum eius marito Primiano*. Ita in libris editis; at corrigendus locus, & pro *Primiano* legendum *Aproniano*. Heraclides in Paradiſo, qui liber paucis mutatis idem eſt ac Hiſtoria Lauſiaca Palladij, cap. 39. ita ſcribit: *Auitam aliquam Deo dignam cum Apreniano quodam ipſius viro, & filiâ eorum Eunomiâ vidi*. Et hîc error in nomine, ac legendum *Aproniano*, non *Apreniano*. Igitur Auita Paulino æquè præſens, de quâ ſermonem inferiùs habebo, Aproniani coniux erat. Ex iſtâ duos ille ſuſceperat natos, Eunomiam videlicet, ac Aſterium puerum. De hoc primùm videamus.

De

De Aſterio Turcij Aproniani filio.

DISS. II.

CErtè hic Aſterius à Turcio Aproniano diſtinguendus, tum vt numerus verificetur, quem exhibet eo verſu Paulinus:

Ergò nouem cuncti ſociâ cum prole parentes &c.

tum quia expreſsè id aſſeritur ſuperioribus carminibus:

Cum patre Paulino pater æquè Turcius iſte eſt,
Sed me ætas, ſoboles hunc facit eſſe patrem.

Erat quidem Turcio ſoboles alia, nempe Eunomia, ſed illam Auitæ matri Paulinus primum adſcripſerat:

Matribus his duo ſunt tribus vno pignora ſexu,
Flos geminus, Melani germen, & Eunomia.

Itaque Turcij Aproniani filius erat Aſterius, cognomine vtique gentis Turciæ proprio. Expreſſiùs verò infrà id à Poetâ repetitur, poſtquam de Piniano filio ſuo in Chriſto egit his verbis:

Aſt aliud mihi par lumen in Aſterio eſt.
Quem ſimul vnanimes verâ pietate parentes
Infantem Chriſto conſtituere ſacrum.
Vt tamquam Samuel primis ſignatus ab annis
Creſceret in Sanctis votus alente Deo.
Hunc puerum, & fratrem fecit pia gratia patri,
Nam pariter ſancto flumine ſunt geniti,
Quos natura gradu diuiſerat, hos Deus almo
Munerè germanos in ſua Regna vehet.

Vides hîc Aſterium memorari, qui vnà cum parente Turcio ſacro Baptiſmatis fonte fuerat ablutus. Neque id quidem multò ante factum fuit, quod Aſterij ætas non patiebatur, & obſeruata nuper de Turcio non ferunt, qui dicitur *Vetus Senator Curiæ, Chriſto nouus*, *qui noui ortus gloriâ* longè clarior euaſerat. De hoc item Aſterio forſan intelligendus ille verſus:

Turcius ore pio, florente Suecrius æuo.

Turcius pater primùm refertur, dein filius, qui Suecrius etiam appellatur, niſi Pinianum potiùs hoc nomen reſpiciat. Fateor cognomen iſtud ſatis peregrinum apud Romanos illo æuo fuiſſe, vnde in ſuſpicionem deprauati textus facilè trahor. Fortaſsè *Syagrius* legendum eſt, quod librarij nullo negotio in *Suecrius* conuertere potuerunt, huiuſque cognominis duos Conſules habemus in Faſtis anno 381. & 382. Gentem quoque Syagriam *Eccleſiæ theſaurum* appellat Ennodius in *Epiphanio*. Laudatus Cardinalis Noriſius in Cænotaph. Piſ. Diſſ. 4. cap. 2. §. 1. Ida-

cium

rium citat in Chronico ad annum Imperij Honorij 26., hoc eſt Æræ noſtræ 420., & ad annum 17. Valentiniani Tertij, nempe 440., iterumque Renatum Profuturum apud Gregor. Turon. lib. 1. Hiſt. Franc., qui duos Aſterios memorant ſub Honorio, eiuſque ſucceſſore Valentiniano, magiſterio vtriuſque militiæ in Hiſpaniâ perfunctos. Alius item Aſterius anno Chriſti 449. Conſul in Faſtis legitur. At neminem ex his Aſterium noſtrum fuiſſe mihi lubenter ſuadeo, quippe à teneris, vt aiunt, vnguiculis Deo Sacratus à parentibus iſte fuerat, ac Sacerdotalem nutriebatur ad honorem, quemadmodum ſuperiùs è Paulino didicimus.

De Auita, ac Eunomia.

DISS. III.

TVrcij Aproniani coniux erat Auita, eiuſq; filij fuere Aſterius ſupra memoratus, ac Eunomia. De illâ ſic ſcribit Paulinus:

Iungitur huic germana iugo, vt ſit tertia princeps
Agminis hymniſonis mater Auita choris.

Palladius in Lauſiacâ Hiſtoriâ cap. 134. hanc mulierem beatam vocat, fœminiſque vitæ Sanctitate illuſtribus accenſet. Sunt eius verba: *Vidi etiam beatam Auitam Deo dignam cum eius marito Primiano* (legendum eſt, vt ſupra dixi, *Aproniano*) *& eorum filiâ Eunomiâ in omnibus Deo benè placentes, vt apertè facilè traducti fuerint à diſſolutâ, & voluptariâ vitâ ad honeſtam, & continentem vitæ inſtitutionem, in his quoque digni habiti, vt in Chriſto dormirent, ab omni quidem peccato liberi, perfectè in certamine decertantes, in bonâ memoriâ vitam ſuam relinquentes.* Idem Palladius cap. 118. quum à Melaniâ ſeniore Apronianum Fidei Chriſtianæ redditum retuliſſet, hæc addit: *Perſuaſitque eumdem, vt contineret etiam cum ſuâ vxore, eius autem ſorore, Auitâ nomine.* Hinc diſcimus Auitam ſenioris Melaniæ fuiſſe ſororem, ac poſt eius monita continentiam ſeruaſſe. Niſi hic Palladij locus obſtaret, *germanæ* vocabulum apud Paulinum ita explicaſſem, vt ſoror Albinæ ſupra memoratæ diceretur Auita; ſed intelligere cogimur inde aut affinitatem, quæ illi cum Albinâ intercedebat, aut ætatis morumue inter eaſdem ſimilitudinem, quam multiplicem interpretationem patitur vocabulum iſtud. Quum verò Melania ſenior Anno Chriſti 397. Romam redierit, Auitam, ac Turcium continentiam amplexos poſt illud tempus fatendum eſt, proptereaque Eunomiam, & Aſterium illorum filios ante memoratum annum in lucem prodijſſe. Heraclides in Paradiſo iiſdem verbis ac Palladius Auitam deſcribit: *Auitam*, inquit, *aliquam Deo dignam cum Apreniano* (lege *Aproniano*) *quodam eius viro, & filiâ eorum Eunomiâ vidi adeò placentes*

centes Deo, vt transferri ad cæleſtem vitam ante conſpectum ipſius mererentur. Et ipſi enim iam vltimo fine naturæ nunc in Chriſto quieſcunt, qui peccatorum quidem omnium nexibus abſoluti ſunt, diuinarum autem rerum peritiam; atque notitiam ſemper habuerunt. Conſtat igitur ex dictis Eunomiæ parentes Turcium, ac Auitam fuiſſe. De illâ ſic loquitur Paulinus:

Et ſimul Eunomia æternis iam pacta virago
In cælo thalamis, quam matris ab vbere raptam
Feſtino placitam ſibi Chriſtus amore dicauit &c.

Illam inferiùs itidem memorat. Animaduerſione verò dignum in primis eſt, quod hîc innuit Paulinus, videlicet Eunomiam, ac Aſterium pueros ab infantiâ dicatos Chriſto, quem veterum Chriſtianorum morem in notis aliquantulum illuſtraui.

De Albina.

DISS. IV.

CEleberrima quoque apud veteres habita eſt Albina tum natalibus, tum ſanctitate fæmina præſtans. Primùm videamus quid Paulinus de illâ ferat:

Prima chori Albina eſt cum pare Theraſiâ.

Et inferiùs: ——— *Famulos Chriſti loquor iſtos*
Par illuſtre Deo, par nobile nomine Chriſti
Albinâ cum matre tuis modò finibus ortos.

Huius præclariſſimæ fæminæ parentes Cl. Cardinalis Noriſij ingenio innotuere; quum enim in Actis S. Melaniæ iunioris die 31. Decembr. apud Surium exhibitis Melaniæ θεῖος, hoc eſt *auunculus*, Voluſianus dicatur, præſtantiſſimus Auctor inde Albinam eduxit Rufij Ceionij Albini filiam, qui Rufij Ceionij Voluſiani frater fuit, ideòque in Ceioniam gentem referendam hanc illuſtrem mulierem cenſuit. Hæc ab illo eruditiſſimè animaduerſa in quodam Opuſculo. De Rufio Voluſiano Inſcriptionis fragmentum ineditam non pigebit è meis MSS. Schedis libatum apponere, quod etiam in iuſto ineditorum marmorum corpore, Deo fauente breui per me referetur. Extat illud in Lateranenſis Baſilicæ pauimento Romæ:

RVFIVS. VOLVSIANVS. V.C. X. VI
RVFIVS. FESTVS. V. C. XV. SEPT
SEBASMIVS PHILOS
. . . . PONT. M
BRITTIVS. PRÆSENS. V. C. P. M.
EVACRIVS. PHILOSOPVS. . . . . .
FL. ATTICVS. V. C. . . . .

Melanía ſenior fœmina perilluſtris, marito è viuis ſublato, vnicum reliquæ proli ſuperſtitem vidit filium, quem Publicolam neſcio quarum tabularum auctoritate fretus appellat Chiffletius V. C. è Soc. Ieſu. Creuit iſte, eximiam in Vrbe nactus exiſtimationem, opibuſque clarus inter primos euaſit. Omnia hæc Paulino debemus in Ep. 10. ad Seuerum, vbi multa de Melaniâ, eiuſque nato habet. Albinam iſte dein coniugio ſibi copulauit, vnde etiam æſtimare facilè poſſumus, quantâ hæc nobilitate polleret, quæ virum nobiliſſimum, & Conſulibus auis illuſtrem, maritum fuerit nacta. Hiſce ex nuptijs profecta eſt Melania iunior, quæ Nolæ itidem aderat, & de quâ ſermo infra erit. Huic Melaniç, vt Metaphraſtes docet apud Surium die 31. Ianuarij, *fuit genus clariſſimum, erant enim eius parentes primi Senatus Romanorum*. Itaq; vides & ex his verbis quam illuſtria cunabula ſortita fuerit ſancta mulier Albina, de quâ modò inſpiciamus, quid Palladius retulerit. Hic in Hiſt. Lauſ. cap. 118. ita loquitur de ſeniore Melaniâ agens: *cum autem ſuam quoque neptem confirmaßet Melanium vnà cum eius marito Piniano, & catecheſi inſtituißet Albinam nurum ſuam, vxorem autem filij ſui, & perſuaſiſſet his omnibus vendere quæ habebant, Româ eos eduxit, & ad honeſtum, ac tranquillum vitæ portum deduxit*. cap. verò 120. de Melaniâ ſenioris nepte verba faciens ſubdit: *Habebat autem ſecum quoque matrem Albinam, quæ ſimiliter exercetur, & ſimiliter rurſus ſeorſum diſpergit ſuas pecunias*. Eadem repetit Heraclides in Paradiſo cap. 42. his verbis: *Confirmatos hos ergò ſimul, hoc eſt Melaniam neptem ſuam, & Pinianum eius maritum, Albinam quoq; cum ipſis nurum ſuam, hoc eſt vxorem filij ſui per omnia docuit*. Erat igitur Albina Melaniæ ſenioris nurus, quippe quæ eius filio nupſerat, ac iuniorem Melaniam pepererat. Arcta hæc ſanguinis coniunctio in cauſá fuit, quod contubernium, animoſq; ſemper iunxerint Albina, Melania iunior, ac vir iſtius Pinianus. Coniunctim iccircò hi omnes peregrinationem in Africam inſtituerunt; quam etiam memorat Metaphraſtes in Act. S. Melan. 31. Ianuar. apud Surium. Potior itineris ſcopus fuit Auguſtinum inuiſere Hippone degentem. Ibi Pinianus turbas non paucas perpeſſus, quum illum Hipponenſes ad Sacerdotium amplectendum omninò cogere vellent. Hinc S. Auguſtinus literas ad Albinam Tagaſtæ morantem dedit, quibus popularem impetum excuſat, ſeq; in primis apud illam purgat. Eſt hæc Epiſtola 225. in edit. Antuerp. Aliam quoque dederat S. Doctor Epiſtolam (quæ eſt 227.) ad *Albinum, Pinianum, & Melaniam*, quâ ſe excuſarat, quod eos conuenire nondum potuerat. Hæc iuxta magnum parentem Annalium acta Anno 409., ſeu ſeriùs, vt quibuſdam videtur. Aliam etiam peregrinationem hi tres egregij comites ſuſcepere Hieroſolymam, vbi S. Hieronymum ſalutarunt, qui eodem tempore Alipio, & Auguſtino reſcribens Epiſt. 79. addit: *Sancti filij communes Albinus, Apinianus, & Melania plurimum vos ſalutant*. Roſuueidus in notationibus ad Vit. Patr. pag. 1005. ad Albinæ huius nomen hæc apponit: *De eâ D. Hieronymus in varijs Epiſtolis*.

Sed parum rectè, iſtam enim Albinam cum Albinâ Marcellæ matre confundit, quod tamen cauendum monuerat Baronius ad ann. 408. Vidiſti ſupra in Epiſt. 227. Auguſtini, & nunc in præcitatâ Hieronymi Epiſtolâ *Albinum* pro *Albinâ* dici. Baronius Albinam reponens corrigendos ait Codices, at Roſuueidus pag. 703. in Not. ad vit. Patr. haud neceſſariam arbitratur hanc reſtitutionem, quandoquidem tum temporis fæminarum nomina etiam terminationibus maſculinis efferri ſolebant, quod Melaniæ exemplo probat, quæ *Melanium* quandoque dicebatur. Pace viri tanti mihi hæc ſententia non ſedet; diſpar enim ratio, & diſpar nominis origo. Latinis nominibus non adhæſit hic vſus, ſed quidem Græcis Latio illatis. Donatus Grammaticus lib. 5. de gener. *ſunt alia*, inquit, *tono neutra, intellectu fæminina, vt Phroniſium, Glycerium, Sophronium, quæ mulieres ſunt*. Priſcianus etiam lib. 5. nomina fæminarum deſinere in vm aſſerit, vt *Glycerium mea, Dorcium, & Philotium*. Hæc quidem omnia fæminarum nomina, ſed originem Græcam vnaquæq; ſortita. Albina verò vocabulum Latinis è fontibus manans in Albinum conuerti non ſine audaciâ, ac non ſine patentis Amphibologiæ periculo poſſet. Licuit id Græcis, at Latinis minimè. Deinde nomina in exemplum adhibita tantùm neutri generis terminatione efferuntur, Albina, verò maſculinorum ad inſtar, vt pateat nullam inter eadem nomina inſtitui poſſe comparationem. Sciendum porrò eſt Albinæ nomen lepidiſſimum primò, dein acre bellum inter maxima ingenia excitaſſe. Scripſerat olim Em. Noriſius in celeberrimo opere de Hiſt. Pelag. Libri Auguſtiniani *de Gratiâ Chriſti* inſcriptionem non eſſe corrigendam, vbi legitur *Albine, Piniane, & Melania*, Roſuueidi veſtigia ſequutus. P. Macedus vir magnè nominis, & ſpiſſorum voluminum Scriptor, in quo tamen iudicium non rarò deſideres, aduersùs Clariſſimi Noriſij ſententiam inſurrexit, & pro Albino non Albinam iunioris Melaniæ matrem intelligendam cenſuit, ſed *virum aliquem aut patrem, aut ſocerum, aut patruum, aut auunculum Piniani, aut Clericum quendam*, & quid non ſomniauit? Certè ibi Albinam noſtram deſignari inuictiſſimis argumentis euicit idem Ampliſſimus Cardinalis in duobus Opuſculis hac de re confectis, quibus & ego alia ope S. Paulini aggerere poſſem. Vnum animaduertiſſe ſufficiat, ipſum nempe Em. Scriptorem alicubi ſcribere, in duobus MSS. Mediceis Hieronymi Epiſtolam ſuperiùs laudatam ita ſe habere: *Albina, Apinianus, & Melania ſalutant vos*, quod & mihi obſeruatum in quodam MS. Ambroſianæ Bibliothecæ. Apud Auguſtinum ita quoq; legendum nos docet Poſſidius eidem Sancto ſynchronus, eius enim opera recenſens Epiſtolam ita inſcriptam refert *Albinæ, Piniano, & Melaniæ*. Quin & *Albinam* non *Albinum* Cl. P.P. Benedictini in egregiâ S. Auguſtini editione annis præteritis inſtructâ legunt, eamq; lectionem quorumdam MSS. auctoritate firmant. Igitur non Albinus, ſed Albina legendum vbique, & Baronio emendanti acquieſcendum.

T 2 De

DISS. V.

IN optimo Codice, vnde S. Paulinum rediuiuum feci, ita ſunt diſtincta verba, vt legatur *compar & haeraſia*. Sed quænam eſt hæc Hæraſia? Ego huiuſmodi fœminæ mentionem nuſquam inuenio. Emendandus itaque Codex, & ſic legendum: *compare Theraſiâ*, aut *cum pare Theraſiâ*. Similem Paulini verſum habeo in Ep. 12. ad Seuerum, vbi ait:

——— *Poſt longa reuelat*
Sæcula Protaſium cum pare Geruaſio.

Erat hæc Paulini noſtri fida, ac piiſſima coniux in ſeculo, quæ cælibatum poſtea vnà cum illo profeſſa ſibi caſtæ, ac religioſæ vitæ elegerat inſtitutum, viro Presbyteratus munia Sanctè relictura. Idacius in Chronico ad annum Honorij xxx. ſcriptum reliquit: *Paulinus nobiliſſimus, & eloquentiſſimus, dudum conuerſione ad Deum nobilior factus, vir Apoſtolicus, Nolâ Campaniæ Epiſcopus habetur inſignis, cui Theraſia de coniuge facta ſoror teſtimonio vitæ beatæ æquatur, & merito.* En vt eius caſtitatem extollit Idacius, quum *de coniuge* illam Paulini *ſororem* effectam aſſerit. Gennadius quoq; de Script. Eccleſ. Epiſtolarum plurium meminit, quas *ad ſororem de contemptu mundi* Paulinus ſcripſit. Hanc autem ſororem non aliam forſan fuiſſe quam coniugem Theraſiam autumo, ad quam etiamnum carmen hac de re extat S. Proſpero malè à quibuſdam Codicibus adiudicatum. Hiſpanam verò Sanctam hanc fuiſſe mulierem non dubito, quum ibi in Paulini connubium ceſſerit. Sic ipſemet Sanctus de ſe canit:

Trans iuga Pyrenes adij peregrinus Iberos.
Illic me thalamis humanâ lege iugari
Paſſus es, vt vitam commercarere duorum,
Perq; iugum carnis duplicata ſalus animarum
Dilatam vnius poſſet penſare ſalutem.

Inferiùs verò innuit commune ſibi cum Theraſiâ ſuſceptum caſtitatis votum: ——— *Tu carnea nobis*
Vincula rupiſti &c. ———

Hæc autem piiſſima mulier tempore, quo Natalis hic recitatus fuit, in viuis erat. Id ex eiuſdem Paulini Epiſtolâ 44. ad S. Auguſtinum elicitur, quæ vtriuſque nomen, hoc eſt Paulini, ac Theraſiæ inſcriptum habet, & Anno Chriſti 416. & quod excurrit, data eſt, vt Chifſletius par. 2. cap. 34. rectè probat. Igitur Anno 406. Theraſia viuens Paulino, dum hæc recitaret, aderat. Vide Sacchinum in vitâ huius Sancti, vbi plura de Theraſiâ.

De

De Piniano.

DISS. VI.

CElebre huius nomen in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ. Eius tamen res geſtas quam breuiſſimè licebit expediam. Piniani familiam præclariſsîmam fuiſse teſtatum nobis Paulinus reliquit, nam à Valerio Poplicolâ, qui inter primos Vrbis Conſules numeratur, prodibat. Valeriæ genti igitur Pinianus fuerat adſcriptus. Paulinum audire iuuat:

Huic propinquat ſocius æquali iugo,
Æuo minor Pinianus, par fide,
Et ipſe priſco ſanguine illuſtris puer,
In Principe Vrbe Conſulis primigenus.
Valerius ille Conſulari ſtemmate
Primus Latinis nomen in Faſtis tenens;
Quem Roma pulſis Regibus Bruto addidit;
Valerj modò huius Chriſtiani Conſulis
Longè retrorſum generis auctor vltimus &c.

Audis Pinianum *primigenum*, hoc eſt primogenitum Conſulis cuiuſdam dici? Hoc idem aſleritur in Melaniæ iunioris Vitâ apud Surium 31. Ianuar. his verbis: *Erat autem eius ſponſus & genere, & ætate, & alijs omnibus cum Melaniâ conferendus, natus quidem ex Conſulibus, & modò excedens ex ephæbis. Sponſi autem nomen erat. Apenianus* (legendum *Pinianus*) *agens annum circiter decimum ſeptimum.* Sed quis iſte Conſul? Vtique me in tenebris derelictum fateor. Faſti ſilent, Scriptores ne verbum quidem. Palladius tamen in Vit. Patr. cap 119. *Pinianum* aſſerit *Seueri filium, qui erat ex Præfectis* (legendum potiùs *Expræfectus*) Heraclides quoque in Paradiſo cap. 49. *Seueri Expræfecti filium* appellat. Contra laudatus Auctor Vitæ S. Melaniæ Seueri fratrem facit; ſic enim loquitur: *Sed grauem quidem aduerſus eos machinam Apeniani* (lege *Piniani*) *fratrem admonet Seuerum, per quem exiſtimabat ſeſe ſolidæ eorum mentis turrim eſſe labefacturum. Hic ergò Seuerus cum eſſet frater, factus erat inimicus.* Idem etiam inferiùs repetit Ego rem ita conciliari poſſe arbitror, ſi Pinianum dicamus de patre Seuero, atque ex hoc Seuero Seuerum alterum Piniani fratrem prodijſſe. Quum igitur familia Valeria Pinianum protulerit, ſequitur, vt eius pater Valerius Seuerus fuerit nuncupatus, ſicuti etiam frater, nomine tantùm, ſeu prænomine vtroſque diſtinguente. Sed iterum in incerto verſari me doleo, quum nuſquam Valerium Seuerum Conſulem hiſce temporibus nanciſcar. Quapropter affirmandum duco Piniani patrem non ordinarium, ſed ſuffectum, aut honorarium Conſulem fuiſſe renunciatum. Quo poſito, nil mirum ſi eius nomen obliuioni traditum. Memoratur apud

Gru-

Gruterum quidam L. VALERIVS. SEVERVS. pag. 49. num. 4. & pag. 566. num. 6.; Sed cum hoc Seuero neſcio an quid negotij habeat. Adnotaui in Diſſ. 2. de Aſterio corruptum eſſe verſum illum:

Turcius ore pio, florente Suecrius æuo,

Et coniecturâ prolatâ *Syagrius* legendum cenſui, quum ſoni cognatione hæ literæ commutari inter ſe facillimè potuerint. Quid ſi in eo verſu Pinianus intelligatur, cognomenque etiam Syagrij vir nobiliſſimus geſſerit? Fortè patrem eius Conſulatu ordinario illuſtrem fuiſſemus nacti; anno ſiquidem Chriſti 381. & 382. Syagrij duo (& quidem inter ſe diſtincti, vt vult Cl. Pagius in Proleg. ad Diſſ. Hypat. num. 27.) huiuſmodi munere ſunt aucti. Quod ſi verum foret, *Valerius Syagrius Pinianus* vocandus eſſet, & ex ijs Conſulibus alter in eius patrem admittendus. Quum tamen multa obſtare poſſe coniecturæ huic non ignorem, monuiſſe tantùm mihi ſit ſatis; meliora ab alijs argumenta expectentur. His viſis profectò patet Pinianum noſtrum Valerium quoque fuiſſe nuncupatum. Magnus Annalium parens Baronius ad A. Ch. 485. ex Codice Vaticano literas Valentiniani Imp. profert ad Pinianum Vrbis Præfectum ſuper Syricij Summi Pontificis electione ſcriptas. Eidem Piniano inſcriptæ ſunt lex. 13. de Medicis, & Profeſſoribus C. Theod. data A. 387., l. 4. C. Th. de Principib. agent. in reb. eodem Anno data, & l. 13. C. Th. de Priuileg. eor. qui in S. Pal. mil. Anno 386. promulgata. Hunc Pinianum Baronius, & Gothofredus in animaduerſ. ad citatas Leges eumdem arbitrantur ac noſtrum, nempè Pinianum iunioris Melaniæ maritum, quod idem repetit celebris hic Iuridicus in Proſopogr. Cod. Theodoſ. Sed parum ſolidè opinari tantos viros euincam. Ante Maium Anni 399. è viuis exceſſit Poplicola (vti eum vocat Chiffletius) Melaniæ iunioris pater, ac Piniani ſocer, vti egregiè in quodam opuſculo probat Clariſs. Card. Noriſius. Scriptor verò Vitæ S. Melaniæ eamdem narrat vnà cum coniuge Piniano de vitâ cælibe ineundâ cogitaſse, ſed à Melaniæ parente propoſito tam ſancto obuiam itum. Subdit Auctor ille: *Eis quidem è viuis excedit Melaniæ pater; illi verò cum amotus eſſet is, qui prohibebat, quandò Deo viſum eſt, & tempus vocabat, ſtatim quidem exeunt à magnâ Ciuitate, vrbanam multitudinem, & tumultus valere iubentes. Eis autem quandò hanc Angelicam incæperunt vitæ formam, ætas erat, Apeniano quidem* 24. *annorum, Melaniæ autem* 20. Igitur ſi ab Anno Ch. 399. ſex annos retrò numeres, quibus Piniani cum vxore matrimonium ſtetit, venies ad annum 393., quo ipſe Melaniæ nupſit, *agens*, vt ait idem Scriptor, *annum circiter decimum ſeptimum*. Rurſus ab Anno 393. retrò excurrens ad A. 385., quo Vrbanam Præfecturam geſſiſse cenſetur, Piniano tum fuiſse nouem circiter annorum ætatem manifeſtè deprehendes. Quam igitur improuidè Pinianum noſtrum Vrbis Præfectum Baronius, & Gothofredus effecerint, nemo non videt. Vrbis Præfectura grandis erat moles, teneroſque reſpuebat humeros, vti videre eſt apud Guid. Pancirol., in Not. Vtriuſque Imp., & apud

cum-

eumdem Gothofredum in Notitiâ Dignitatum. Id quoque ex Paulini ſilentio ſuaderi poteſt; cur enim Pinianum laudaturus, ac vt laudet omnia componens, hunc eius honorem inſalutatum præterijſset? Sed inquies: Quis ille Pinianus vrbanâ Præfecturâ clarus? Me neſcire lubenter fateor; noſtri Piniani tamen conſanguineum, & fortaſſis patrem fuiſse cur non credamus, quum Heraclides Pinianum *Seueri Expræfecti filium* vocet, ac Palladius *Seueri filium, qui erat ex Præfectis*? Seuerus autem iſte Piniani cognomentum vſurpare potuit, quod mirum in modum probare mihi videntur Paulini verba dicentis:

Piniadæ Melani cum fædere par benedictum.

Hoc certè *Piniadæ* vocabulum Pinianum denotat Piniani filium ad Patronomycorum nominum normam. Vidimus igitur Pinianum ſibi matrimonio copulaſse iuniorem Melaniam. Sex autem annos ſimul connubium tenuere, poſt quos continentiam amplexi, vaſtiſque renunciantes opibus, quibus omnes præter vnum Imperatorem vincebant, pauperum ſubſidio vniuerſa dicarunt. Hæc tum Palladius, tum Auctor vitæ S. Melaniæ produnt, appoſitè ad ea, quæ Paulinus canit:

Et in hoc parentis aliquid illius refert
Puer iſte Chriſti Conſulatum militans,
Quod liberandis conſulens munus pium
Redemptionis opere diſpenſat Deo &c.
Nam & libertorum plurimis ceruicibus
Seruile ſanctis opibus expellit iugum,
Quos ære vinctos in tenebris carceris
Abſoluit auro de catenâ fænoris.

Reliquas verò Piniani V.C. res geſtas, quomodò Tagaſtam profectus turbas populi eum ſacris initiatum volentis fuerit expertus, quomodo Hieroſolymam, ac dein Conſtantinopolim peregrinationem inſtituerit, penes Baronium inuenies A. Ch. 409. 419., & reliquis, niſi quod errores Annalium aliquot in Chronologiâ patrati ex Hiſtoria Pelagianâ Noriſij Cardinalis Clariſſimi ſunt emendandi. Vnum addere lubet, nempè *Apenianum* à quibuſdam, ab alijs *Alpinianum*, & à nonnullis *Pimanum* appellari virum hunc nobiliſſimum. Sed falluntur omnes. Verum eius nomen Pinianus fuit, quod apertiſſimè Paulinus exprimit, dum ſuper eius nomine ludens pino eum comparat. Sic autem ait:

Nam puer hinc Melani coniux in corpore Chriſti,
Cui Deus à pinu nomen habere dedit,
Natus vt æternæ vitæ puer arbore ab illâ
Suſciperet nomen, quæ ſine fine viret.
Pinus enim ſemper florente cacumine perſtat &c.

Auguſtinus ita charum habuit Pinianum, vt illi duos dicauerit libros aduersùs Pelagianos. Hieronymus etiam amiciſſimè illo eſt vſus, ac idcircò virum ſui temporis clariſſimum appellare fas erit. Nunc ad eius vxorem Melaniàm nos recipiamus.

De

De Melania.

DISS. VII.

MElaniæ ſeniori illuſtri fæminæ vnicus fuit filius. Publicolam Chiffletius vocat. Hic Albinam vxorem duxit, & ex illâ Melaniam ſuſcepit, quæ propterea *iunior* appellatur, neptiſque Melaniæ ſenioris. Piniano V. C. hæc poſtea in vxorem ceſſit, & fida comes eius lateri ſemper adhæſit. Adeò præclaræ fæminæ in Sanctorum album relatæ vitam ſcriptis conſignauit Anonymus apud Surium die 31. Ianuarij, apud quem mirandæ illius virtutes ſunt recolendæ. Tanto continentiæ amore flagrauit, vt ab ipſis nuptijs viro eamdem perſuaſerit; ſed poſt annos tantummodò ſex voti ſui compos eſt facta. *Eis autem*, inquit laudatus Auctor, *quandò hanc Angelicam incæperunt vitæ formam, ætas erat, Apeniano quidem* (ſcribe *Piniano*) *viginti quatuor annorum, Melaniæ autem viginti*. Anno Ch. 399. Sanctum hoc propoſitum, Melania impleuit, eo ſiquidem anno eius pater viuere deſtitit, qui pijs coniugum votis ſemper obſtiterat. Id in ſuperiori Diſſ. innui, nunc autem vt anachroniſmum tollamus Cl. viri Io: Baptiſtæ le Brun, qui poſtremam operum S. Paulini editionem adornauit diu à me quæſitam, & nondum obtentam; in emortualem annum patris Melaniæ diligentiùs inquirendum duco. Eius obitum expreſſit S. Paulinus Ep. 44. ad S. Auguſtinum, à quo deinde reſponſum accepit, nempe Epiſtolam 250., in qua in primis hæc animaduertenda ſcribit magnus Doctor: *Proinde ad iſtam lætitiam, quæ vobiſcum eſt, Frater Poſſidius, cum ex ipſo audieritis, quam triſtis eum cauſa compulerit, hoc me veriſſimè cognoſcetis &c.* Triſtis cauſa, quæ Poſſidium Epiſcopum ad nauigandum in Italiam compulit, traditur ab eodem Auguſtino in Ep. 202. ad Nectarium. Ethnici Calamæ in Numidiâ degentes Poſſidium ipſum inibi Epiſcopum impetu facto ad necem quæſiuerant, quod facinus ſcribit Auguſtinus perpetratum *aduerſus recentiſſimas leges* contra Paganos ab Impp. Arcadio, & Honorio latas. Leges porrò, quarum meminit Auguſtinus promulgatæ fuerunt 14. *Kal. April. Manl. Theodoro Coſ.* hoc eſt A. C. 399., vt idem teſtatur lib. 18. de Ciu. Dei cap. 54., & à Cod. Theodoſiano docemur. Rurſus ex Auguſtini Epiſt. ad Nectarium 254. tempus nauigationis Poſſidij elicitur; ibi enim ait: *Nam ego reſcripſeram, cum adhuc nobiſcum eſſet, neque nauigaſſet Sanctus Frater, & Coepiſcopus meus Poſſidius. Has autem, quas mei cauſâ illi dignatus es reddere, accepi VI. Kal. April. poſt menſes ferè octo, quam ſcripſeram.* Igitur Poſſidius poſt Kal. Iunias, quo tempore aduersùs ipſum ex Auguſtino diſcimus tumultum fuiſſe excitatum, A. Ch. 399. in Italiam tranſmiſerat, & Africam altero anno ante VI. Kal. Apr. repetierat.

rat. Auguſtinus itaque Epiſtolam 250. ad Paulinum reſcripſit An. 399. quo eodem Paulinus Epiſtolam ad ipſum dederat quadrageſimam quartam, obitumque patris Melaniæ noſtræ denunciarat. Hæc eruditiſſimè ab Ampliſſimo Card. Noriſio in quodam libello obſeruata. Ad Annum ergò 399. referenda eſt Epiſtola laudata Paulini, non ad 409. vti arbitratus eſt recens Paulini illuſtrator Brunius. Quamobrem eodem Anno 399. Melania, ac Pinianus continentiæ votum ſuſcepere. Tum ingentibus in pauperes diſtractis opibus, vterque ſacris peregrinationibus animum addicunt. Primò Nolam ad Paulinum, deinde in Siciliam, poſt in Africam, ac demum Hieroſolymam, atque Conſtantinopolim pergunt. Hæc eorum geſta à Baronij Annalibus petenda. Quod ad eius nomen ſpectat, modò *Melania*, & modò *Melanium* nuncupari video. Si Roſuueydo fidem habemus in Prælud. ad Palladij Lib. pag. 703. & in notis ad Ep. 44. Paulini, *Melanius* quoque eſt appellata; Sed eruditiſſimi Scriptoris ſententiam non probo. Etenim vbinam hoc nomen præterquam neutri aut feminini generis terminatione vſurpatum inuenit? Μελάνιον, apud Græcos, & apud Latinos *Melanium* tantummodò occurrit. Paulinus in Ep. 44. de ſeniore Melaniâ ait: *Nihil poſſim de beatâ huius filij matre, & Sanctorum pariter radice ramorum Melanio meliùs, aut ſanctiùs prædicare*. In Ep. 12. vt MSS. præferunt:

Hoc Melani ſanctæ delatum munere Nolam.

In Nat. XIII. ſæpè repetit:

Flos geminus Melani germen, & Eunomia.
Nam puer hinc Melani coniux in corpore Chriſti.
Piniadæ Melani cum fœdere par benedictum.

Auguſtinus quoque Epiſtolam 227. ita inſcribit: *Chariſſimis fratribus Albinæ, Piniano, & Melanio*. Palladius ſic inſcribit Cap. 117. περὶ τῆς μακαρίας Μελανίου. *de beatâ Melanio*.

De Æmilio.

DISS. VIII.

TAndem ait Paulinus: *Æmilius veniat decimus*. Viuebat hiſce temporibus, hoc eſt A. Ch. 406., Æmilius vir piiſſimus, ac vti illum appellat Metaphraſtes in Vitâ S. Iohannis Chryſoſtomi, Epiſcopus Beneuentanus. Vghellus hinc illum retulit inter Eccleſiæ Beneuentanæ Antiſtites. Maxima iſti cum Paulino familiaritas interceſſit, atque iccircò eumdem his verſibus innui nemo negabit. Annò 405., vt ſcribit Baronius, legationem Conſtantinopolim ſuſcepit Æmilius in cauſâ S. Iohannis Chryſoſtomi, quò Innocentij Papæ, aliorumque epiſtolas tulit. Theodorus Diaconus Eccleſiæ Romanæ in

Dialogo apud Palladium ita ait: *Acceptis igitur Sancti viri Æmilius, & Cythegius, & Gaudentius Epiſcopi vnà cum Valentiano, Bonifacioque presbyteris, Imperatoris Honorij, & Papæ Innocentij, & Italiæ Epiſcoporum Chromatij Aquileientis, & Venerij Mediolanenſis, ac reliquorum Epiſcoporum Epiſtolis, vnà & commonitorio Concilij totius Occidentis, conditionibus publicis Conſtantinopolim conceſſere*. Similia item habet Metaphraſtes in prælaudatâ Chryſoſtomi vitâ. Verùm non minùs ex huiuſmodi legatione celeber Æmilius euaſit, quam ex Paulini noſtri carminibus. Iulianus Memoris Capuani Epiſcopi filius, qui poſtea petulantiſſimus, acerque Pelagiani Dogmatis propugnator eſt factus, & in S. Auguſtinum aculeatis debacchatus eſt libris, vxorem Iam duxerat. Has nuptias præſentiâ ſuâ honeſtauit vnà cum Memore Iuliani parente Æmilius Epiſcopus, & Paulinus eleganti Epithalamio cecinit. Inter alia ſic loquitur noſter:

Quis procul ille hominum placidis ſe paſſibus adfert,
Plurima quem Chriſti gratia proſequitur?
Quem benedicta cohors ſuperis circumdat alumnis,
Angelici referens agminis effigiem?
Noſco virum quem diuini comitantur odores,
Et cui ſidereum ſplendet in ore decus.
Hic vir, hic eſt Domini numeroſo munere Chriſti
Diues, vir ſuperi luminis Æmilius. &c.

Quo tempore Paulinus hoc Epithalamium recitarit, ambiguum planè eſt, mihique facilius erit alienam confutare, quam meam ſtatuere ſententiam. Emin. Card. Noriſius lib. 1. cap. 18. Hiſt. Pelagian. Iulianum nuptijs mancipatum cenſet, poſtquam Æmilius è Conſtantinopolitanâ legatione ſuæ reſtitutus eſt Sedi, quod in Annum forſan 407. incidit. Garnerius quoque V. C. *in* Diſſ. 2. cap. 6. ad Marium Mercatorem rem A. 408. peractam aſſeruit, neque ſectatoribus huiuſmodi ſententia caret. Verùm ante A. Ch. 399. Iulianum læ connubio addictum fuiſſe penè certum habeo. Quum memoratum carmen Paulinus cecinit, Clericus erat Iulianus, interque Lectores numerabatur, inquit enim ſanctus Poeta:

Clericus vxorem Chriſto comente decoram
Diligat, & pulchram lumine cordis amet.
Auxilioque viri diuino munere factam
Lector cæleſti diſcet ab Hiſtoriâ.

Iulianus deinde, aut ſublatâ è viuis vxore, vel ex mutuo conſenſu ab eâdem ſeiunctus inter Diaconos nomen ſuum dedit. S. Auguſtinus ad Memorium eiuſdem Iuliani patrem in Ep. 131. ait: *Nam ſuperiores quinque vix filio noſtro, & Condiacono Iuliano (quoniam & ipſe iam nobiſcum commilitat) lectione, & cogitatione digni videbuntur*. Hoc autem quo Anno ſcriptum à S. Auguſtino fuerit, eiuſdem Epiſtolæ verbis exploratum redditur: *Nimis autem*, inquit, *ingratum, ac ferreum fuit, vt te qui nos ſic amas, hic ſanctus frater, & collega noſter Poſſidius,*

in

in quo noſtram non parnam præſentiam reperies, vel non diſceret, vel ſine literis noſtris diſceret. Poſſidium in Italiam ex Africâ tranſmittentem literis ſuis Auguſtinus inſtruxerat, vt in ipſius Memoris, ſiue Memorij familiaritatem concederet. Porrò nauigauit iſte poſt Idus Iunias A. 399., vtî in ſuperiori Diſſertatione ſatis oſtendi. Igitur ante hunc annum Iulianus non nuptias modò cum Iâ celebrarat, verùm etiam ab ijs ſolutus Diaconatus muneri ſeſe obſtrinxerat. Hinc videas, quam parum bene Garnerius in laudato libro Æmilium è viuis ſublatum, antequam Epithalamium Paulinus pangeret, poeticâque fictione præſentem nuptijs Iuliani à ſacro vate confictum fuiſſe arbitretur. Et quamquam, ſi carmina conſulantur, huiuſce ſomnij ſtatim fundamenta ſubſidant, adhuc è noſtris calculis malè ſibi conſtare eruditiſſimi viri ſententia deprehenditur, quum Æmilium etiam poſt huiuſmodi nuptias vixiſſe è Paulino doceamur. Em. Card. Noriſius in præclariſſimo opere Hiſt. Pelag. lib. 1. cap. 18. Iuliani res proſequitur, vbi eruditè pro more illum Eclanenſem poſtea Epiſcopum factum euincit, ſimulque Æmilium noſtrum Iæ, quæ Iuliano vxor contigerat, parentem ſtatuit. Verùm parcat Clariſſimus Cardinalis, ſi ad eius opinionem facilè non accedam. Quibus fundamentis hæc eius ſententia nitatur, non video. Hinc fortaſſis tamen aſſertum ſuum ampliſſimus ſcriptor promouit. Ait Paulinus:

Infula Pontifices diuino iungit honore,
Humano pietas iungit amore patres.
Hanc Memor, officij non immemor, ordine recto
Tradit ad Æmilij pignora cara manus.

Hìc autem *patres* ait appellari Memorem Iuliani, ac Æmilium Iæ parentes. Sed nihil hinc hauriet magnus Scriptor, quippe carmina priora ſe correxiſſe fatetur, ac propterea ſententiæ ſuæ ſe illa accommodaſſe. Vox illa *Patres* ab omnibus Paulini Codicibus editis, ac MSS. abeſt, vbi legitur *pares*. Nil itidem ſequentia carmina euincunt. Quod autem addit Paulinum vtrique Antiſtiti Sponſorum parenti longam nepotum ſeriem his verſibus augurari:

Caſta Sacerdotale genus ventura propago
Et domus Aron ſit tota domus Memoris.

perſpecto verborum ſenſu, vtique ad vnum Memorem referendum augurium arbitror; Ventura etenim propago Sacerdotale genus erat futura, quæ à Iuliano eiuſdem filio procederet, ac idcircò ſolam nominari audis Memoris domum, in quâ ad Aronis exemplum Sacerdotale, ſeu Epiſcopalem honorem perpetuandum poeta noſter exoptat; nil autem de Æmilij domo ſubditur, cui accreſcere *Sacerdotalis propago* non debuerat. Sed quid coniecturæ meæ fauet? Epithalamium ipſum. Hæc ibi leguntur:

Sancta Sacerdotis venerando pignora pacto
Iunguntur ———————

Si Epiſcopi filia Ia quoque fuiſſet, cur *Sacerdotis*, non *Sacerdotum pi-*

gnora Paulinus vocaſſet? Sic infrà *Sancta Sacerdotis nurus*, &

Gentis Apoſtolicæ filia facta domo,

hæc mulier dicitur. Profectò Iam *gentis Apoſtolicæ filiam* tunc fieri; non antea extitiſſe proditur. Nuſquam patris nomen Æmilio, Memori verò paſſim occurrit, ad quem vnum etiam votorum ſuorum ſummam Paulinus refert:

Chriſtorumque domus ſit domus hæc Memoris.

Sed & animaduertenda ſunt ſequentia carmina, è quibus facilè colligas Æmilium Memoris fratrem fuiſſe. Audi:

Surge Memor, venerare patrem, complectere fratrem;
Vno vtrumque tibi nomen in Æmilio eſt.
Iunior, & ſenior Memor eſt; mirabile magni
Munus, opuſque Dei: qui minor, hic pater eſt.
Poſteriùs natu ſenior, quia Sede Sacerdos
Geſtat Apoſtolicam pectore canitiem.
Filius eſt, fraterque Memor &c.

Frater Memoris Æmilius erat, ſed natu minor, ac idcirco dicitur *iunior*. Ante Memorem Epiſcopatus infulas obtinuerat, ac inde *ſenior, paterque* appellatur. Solemne quidem Epiſcopis fuit ſe *fratres* inuicem appellare, ideoque interpretetur quiſpiam vocari *fratrem* Æmilium, quia Epiſcopus, & quia ſenior Epiſcopus, *patris* appellatione illuſtrari. Verùm enim verò quis non videat florem in Antitheſi propoſitum huiuſmodi interpretatione labefactari? Siquidem de innumeris Epiſcopis vſurpari ſenſus iſte poſſet, quum paſſim hic iunior, ille verò ſenior ad Epiſcopatum promoueantur. Supereſt igitur, vt Memoris germanus frater Æmilius foret, quod Paulini eloquentiæ magis conſonum elucet, atque ab illo *mirabile magni munus opuſque Dei* dicitur. Quod ſi verum eſt, quî poſſumus Iam facere Æmilij ſobolem Iuliano nuptam, nimirùm patruelem patrueli? Sub Chriſtianorum legibus interdicta perpetuò fuit coniunctio in ſecundo conſanguinitatis gradu, & ſi S. Ambroſio in Ep. 66. fidem habemus, neque apud Hebreos in vſu fuit. Concilium Epaonenſe Anno Epochæ noſtræ 517. coactum Can. 28. huiuſmodi coniugia penitus execratur. Hoc idem repetunt Turonenſe ſecundum cap. 12., Pariſienſe primum Can. 4., & Greg. M. cap. 6. in Reſpon. ad Interrog. Auguſtini. Igitur Iæ pater non fuit Æmilius, filiam enim Iuliano fratris filio vxorem non tradidiſſet. Ceterùm quum Æmilius noſter A. Ch. 405. Legatus Conſtantinopolim in causâ Io: Chryſoſtomi deſtinatus Baronio videatur, & ſequenti illuc tranſmiſſus, non mihi benè conſtat, quomodo Nolæ præſens A. 406. à Paulino fiat. Non vacat Baronij calculos in examen reuocare. Si tamen ij optimè poſiti, intelligere cogimur Nolâ hoc Anno Æmilium abfuiſſe, & iccircò a ſacro vate pronunciatum *Æmilius veniat*. Eius quoque abſentia è Paulini ſilentio ſuadetur; cur enim, ſi aderat vir tantus, ab eius laudibus tam paucis ſeſe Paulinus expedijſſet? Non erat hic mos Paulino. Sed hæc de Æmilio dicta ſint ſatis.

De S. Paulini dignitatibus.

DISS. IX.

FRanciſcus Sacchinus V. C. è Soc. Ieſu vitam S. Paulini olim ſcriptis mandarat. Dignus profectò fœtus erudito viro, qui tantâ tamen animi demiſſione præclarum opus in lucem proferri eſt paſſus, vt ſcriptoris nomen ſilentio tegeretur. Hanc autem vitam in editione operum Paulini Roſuueydus Anno 1622. nobis communicauit, illamque iterum prælo ſubiecere nuperi Typographi Pariſienſes. Verùm quia nondum innotuerant Poemata quatuor, quæ mihi primùm prodere contigit, non pauca ibi deſideres, quæ noſtro ſtylo ſupplenda erunt, quædam etiam illic inuenias, quæ ſint caſtiganda. Aggredior itaque ad opus, vt Epiſcopi tanti memoriam ſeris ſeculis clariorem efficiam, quod potiſſimùm Natalis XIII. beneficio facilè præſtiturum me ſpero. Paulinorum familia inter præcipuas Vrbis olim cenſebatur. Illuſtrium virorum ſeries, Magiſtratuum copia, immaniſque opum cumulus clariſſimæ gentis gloriam commendabat. Ex iſtâ prodijt Paulinus noſter, qui tamen in Aquitaniâ lucem primam adſpexit. Seu Burdigalæ, ſeu Hebromagum ei cunabula præſtiterint, certè in eâ prouinciâ eſt natus. De hoc dubitauere nonnulli, ſed apertiſſimè conuincuntur. Vranius Presbyter Paulino coæuus in Epiſt. ad Pacatum de obitu Paulini ait: *Igitur S. Paulinus Epiſcopus Burdegalâ oppido Galliarum oriundus fuit.* Auſonius etiam eius primis in annis præceptor id innuit Epiſt. 21. Sed ipſum audiamus Paulinum, quo nullus teſtis melior. Se puerum fatetur ille in Italiam è Galliâ migraſſe:

Nam puer Occiduis Gallorum aduectus ab oris &c.

Et clariùs infrà:

Ergò vbi bis terno ditionis faſce leuatus
Depoſui nullâ maculatam cæde ſecurim,
Te reuocante ſoli quondam genitalis ad oram
Sollicitæ matri ſum redditus.

Solum hoc genitale, cuius meminit Poeta, Gallia eſt, cui propinquos appellat Hiſpanos, ac Pyreneos montes. Idcircò ſubijcit:

——————— Inde propinquos
Trans iuga Pyrenes adij peregrinus Iberos.

Propterea licet in Hiſpaniâ moraretur, adhuc ſe *Gallâ mente* ſemper manſiſſe gloriatur. Hæc quidem omnia per me obſeruata, vt eorum opinioni occurrerem, qui Aquitaniam æuo Paulini à Gallijs diſtinctam volunt. Sirmondus vir magnus è Soc. Ieſu in not. ad Sidon. carm. 17. hanc tuetur ſententiam, eaque mihi rectis fundamentis etiam fulciri videtur; Aquitaniâ enim tum temporis quinque Prouincijs accenſebatur,

quæ

quæ in Conc. Valentino A. D. 374., in Maximi Tyranni Ep. ad Syricium A. 385., à Symmacho lib. 4. Ep. 30., à Conc. Taurin. A. 399., alijſque, à Galliâ diſtinctæ inueniuntur. Super his conſule Gothofred. lib. 16. Cod. Theod. tit. 10. de Pag. & Sacr. l. 15. Sulpic. Seuerus Hiſt. lib. 2. Aquitanos à Gallis diuerſos facit, quum ait: *Sed id noſtris ideſt Aquitanis, Gallis, ac Britannis indecens viſum*. Auſonius in Arelate:

Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania læto.

Verùm & apud Aquitanos Gallorum nomen poſt quinque Prouinciarum conſtitutionem permanſiſſe ex Vranio, ipſoque Paulino diſcis. Quin & idem Sulpicius Seuerus Nitiobrix, videlicet Aquitanus lib. 2. Hiſt. *Gallias noſtras*, inquit, *Saturninus Arelatenſium Epiſcopus homo impotens premebat*. Infrà: *Illud apud omnes conſtitit vnius Hilarij beneficio Gallias noſtras piaculo hæreſis liberatas*. Vetus Notitia Σατραπιῶν, ſiue prouinciarum, quæ in antiquis membranis Ptolomæi libris ſubiuncta legitur, & à Salmaſio refertur pag. 611. de Eccl. Suburb., in Europâ recenſet Γαλλίαν Ἀκουϊτανίαν. *Galliam Aquitaniam*. Alia aggerere non vacat. Modò honores in Paulinum collatos inſpiciamus. Primùm Senatorum albo adſcriptus fuit. Auſonius Ep. 25. ad ipſum in Hiſpaniâ degentem ſcribens ait:

Ergò meum, patriæque decus, columenque Senatus
Bilbilis, aut hærens ſcopulis Calagunis habebit?

Vranius in eius vitâ ſcribit: *Taceamus generis nobilitatem, paternis, maternisque natalibus in Senatorum purpuris admirabiliter purpurantem*. Ipſe Paulinus Nat. XIII.

Quid ſimile his habui, cum dicerer eſſe Senator?

Ad Conſulatum etiam prouectus eſt Paulinus. Vnum tamen adhuc huiuſce rei teſtem Auſonium habuimus. Inquit is Ep. 20.

Paulino Auſonius. Metrum ſic ſuaſit vt eſſes
Tu prior, & nomen prægrederere meum.
Quamquam & Faſtorum titulo prior, & tua Romæ
Præceſſit noſtrum ſella curulis ebur.

Ep. dein 24.

Paulinum, Auſoniumque viros, quos ſacra Quirini
Purpura, & auratus trabeæ velauit amictus,
Non decet inſidijs peregrinæ cedere Diuæ.

Ep. quoque 25. ad eumdem Paulinum in Hiſpaniâ conſtitutum:

Hic trabeam Pauline tuam, Latiamque Curulem
Conſtituis? ——————

Quum tamen de Paulini Conſulatu ne verbum quidem faciant Auctores reliqui, ipſique omninò Faſti conticeſcant, hinc audaciſſimi quidam huiuſmodi dignitatem Paulino abiudicant, Auſonijque verba quibuſdam reſponſionibus eludere conantur. Sed en ipſe Paulinus pro ſe loquitur S. Felicem alloquens:

Te

Te Duce, faſcigerum geſſi primæuus honorem,
Teque meam moderante manum, ſeruante ſalutem;
Purus ab humana cædis diſcrimine manſi.

Hic *bonor faſciger* certo certius Conſulatus eſt, cuius inſigne proprium fuit faſcium geſtatio. In eo ita ſe placidè geſſerat Paulinus, vt ab omni cæde ſe purum fateretur. Celebris eſt quæſtio, an Conſulatus hic ordinarius fuerit, an ſuffectus. Priorem ſententiam amplectuntur Baronius, & Sacchinus. Sed poſterior, quæ Chiffletium auctorem habet parte 2. cap. 2. Paul. Illuſtr. mihi ſolidior videtur. Cenſet hic Paulinum Anno Ch. 378. ſuffectum Valenti Aug. Conſuli V. Id. Aug. à Gothis cæſo, meritòque Baronium arguit, qui A. 375. ordinarium Conſulem fuiſſe Paulinum conijcit, quum illum Annum tum Faſti, tum Hieronymus, ac Proſper Conſulibus caruiſſe affirment. Clariſs. vir Antonius Pagius in Prolegom. ad Diſs. Hypat. num. 26. in S. Paulini Conſulatum inquirit, ac reprobatâ de eiuſdem ordinario Conſulatu ſententiâ ait: *Paulinum ſuffectum conſulem fuiſſe, quod ſcribit idem Chiffletius, minimè exiſtimandum. Per hæc enim tempora, quibus Conſules erant ordinarij, Conſules honorarij, non verò ſuffecti in vſu erant.* Verùm ab ipſo Paulino eruditiſſimus ſcriptor caſtigatur. Quum enim is fateatus ſe ab humanis abſtinuiſse cædibus, ſuæque dextræ moderamen à S. Felice tributum, vtique non honorem tantùm Conſulatus, verùm etiam poteſtatem prætulit, quæ verum Conſulatum comitabatur. Honorarij Conſulis inſignia deſcribit Senator lib. 6. Variar. Ep. 1. In eâ autem formulâ hæc habentur: *Sed nunc ſumitis iſta feliciùs, quandò nos habemus labores Conſulum, & vos gaudia dignitatum.* Et infrà: *Pinge vaſtos humeros vario colore palmatæ, validam manum victoriali ſcipione nobilita, lares proprios etiam calceis auratis egredere, ſellam Curulem pro ſuâ magnitudine multis gradibus eniſus aſcende, vt in otio ſubiectus merearis, quod nos per maximos labores aſſumimus imperantes.* En Conſulibus honorarijs nulla poteſtas, nullum in hominum vitas ius conceditur, ecce nulla faſcium geſtatio tribuitur, quum alioqui Paulinus *honorem faſcigerum* à ſe geſtum affirmet. Honorarius idcircò Conſul à Procopio lib. 3. de Bello Gothico *ὕπατος καλούμενος μόνον*, *Conſul nomine tenus* appellatur, ac in otio iacere à Caſſiodoro dicitur. Deinde, quæſo, huiuſmodi Conſulum nomina Faſtis vnquam indita fuiſſe oſtendatur; certè exemplum non proferetur, quum interea ex Auſonij verbis ſuprà laudatis Paulinum eiſdem inſcriptum ſciamus. Igitur honorarius Paulini Conſulatus procul amandetur, ipſumque, ſi non ordinarium, ſaltem ſuffectum admittamus. Nolim tamen præterire duos verſus, qui non parum luminis Conſulatus huiuſce tempori videntur affundere. Hi autem ſunt:

Tunc etiam primæ .... libamina barbæ
Ante tuum ſolium, quaſi te carpente, totondi.

Poſtquam Conſulatus ſui meminit, ſubijcit hæc verba Paulinus, quibus docet ſe Nolæ ante S. Felicis ſepulcrum primam barbam poſuiſſe. Id

verò

verò poſt Conſulatum peractum contigiſſe rerum ſeries, quæ ſecundùm temporum ordinem in hoc Natali digeſta cognoſcitur, manifeſtè innuit. Quod ſi verum, videamus quo ætatis anno primam barbam iuuenes Romani tonderent. Macrobius Paulino coæuus lib. 1. in Somn. Scipion. cap. 6. de ſeptenario numero diſputans *poſt ter ſeptenos annos* barbam poni ſolitam docet, quæ ſententia apud eruditiores recepta. Ergò Paulinus Anno 378. ætatis vigeſimo quarto, aut quinto Conſul non proceſſiſſet, ſed quidem tres, aut quatuor annos ante. Nihilo ſeciùs quum barbam ponere, quo anno vellent, conſueuiſſe Romanos, plura nos doceant exempla, fluxum hoc, & futile eſſe argumentum definio. Alioqui penè certum habeo Paulinum A. 379. Nolam ſe contuliſſe, ac propterea anno vigeſimo quinto, & quod excurrit, Conſulatu adauctum fuiſſe, vti infrà probabitur.

S. Paulinus Campaniæ Conſularis.

DISS. X.

POſtquam Paulinus ſe Nolæ primam poſuiſſe barbam eſt faſſus, ſubſequitur ita canens:

Iam tunc præmiſſo per honorem pignore Sedis
Campanis metanda locis habitacula fixi,
Te fundante tui ventura cubilia ſerui.

Ego Dignitatem aliquam hîc ſignificari video. Sed quænam hæc? Meam ſententiam profero. Conſulatu peracto Paulinum Campaniæ Conſularem factum arbitror. Sub Auguſtorum Imperio Prouinciæ plures adhuc Senatus regimini ſuberant, quæ aut Proconſulares, aut Conſulares appellabantur. Priores vti omnium præclariſſimæ viris digniſſimis à geſto Conſulatu Ordinario plerumque adminiſtrandæ tradebantur. Conſulares verò tum ijs, qui Conſulatum peregerant, tum ijs etiam, qui minimè. In examen reuocare non vacat, an ſatis certa ſit Bulengeri ſententia dicentis lib. 4. cap. 36. de Imp. Rom. *Conſulares perſonæ dicuntur ob Conſulatum geſtum, non ob Prouincias Conſulares*. Certè, vt aiebam, Conſulares non pauci fuere, quibus numquam Conſulatum gerere contigit. Campaniæ ſuus Conſularis erat, iſque adeò præſtans fuit, vt ad eius ſimilitudinem ceteri Conſulares officium haberent, vti nos docet Notitia Imperij Occidentalis. Paulinum itaque non alium quam Conſularem fuiſſe Campaniæ mos ille etiam tum ſeruatus ſuadet, vt poſt geſtum Conſulatum viris Clariſſimis regenda prouincia commendaretur. Ipſe idcircò Paulinus ſe Campanis in locis habitacula fixiſſe, & ſinguläriter Nolanâ in vrbe conſediſſe ſignificat. Diximus ſupra firmiorem nobis Chiffletij ſententiam videri, nimirum A. Ch. 378. Conſulatum à Paulino

lino geſtum. Id autem nunc vberius eluceſcit. In ſecundo Natali ita ipſe ad S. Felicem:

——————Tria tempore longo
Luſtra cucurrerunt, ex quo ſolemnibus iſtis
Coram vota tibi, coram mea corda dicaui.

Incidit Natalis ſecundus in Annum 395. Si tria luſtra, hoc eſt annos XV. retrò numeres, ad annum venies 380., quo Paulinus ſe Nolæ adfuiſſe teſtatur. Eo igitur anno Campaniæ Conſularis erat, ac S. Felici ſua corda dicauit. Certum verò mihi videtur & anno ſuperiori, videlicet 379. profectum in eamdem Prouinciam Paulinum; idcircò enim Anno tantùm 380. ſolemnitati S. Felicis ſe præſentem adſtitiſſe ait, quia Anno 379. tam maturè ad nouam dignitatem aduolare non poterat, vt Sancti Martyris feſto diei intereſset. Celebrabatur ille poſtrid. Id. Ianuar., ac propterea Romæ conſtitutus ab officijs, quæ depoſitum Conſulatum ſubſequuntur, atque ab alijs domeſticis negotijs ſe expedire tam citò nequiuerat, vt ipſo eodem Anno ſua corda Felici dicaret. Itaque Anno ſequente hoc ille peregit. Quod ſi Anno 379. in Campaniam ſe contulit Paulinus, rectè patet Anno 378. eius Conſulatum eſse affigendum, quum ab eo geſto confeſtim alicuius Prouinciæ gubernacula viris Conſularibus demandari ſolerent. Sed cur, inquies, Nolæ, non Capuæ, quæ Campaniæ Metropolis habebatur, ſubſedit Paulinus? Ego Conſularibus liberum fuiſſe arbitror eâ in Ciuitate permanere, quæ ſibi placeret, modò intra Prouinciæ ſibi ſtatutæ limites detinerentur. Sic in Actis S. Ianuarij, & Sociorum eius dicuntur ij Sancti ad Timotheum Campaniæ Præſidem perducti, qui Nolam incolebat, non Capuam. His de Paulini dignitatibus animaduerſis, examini ſubijciendæ ſunt leges duæ in Codicem Theodoſianum relatæ. Sunt iſtæ l. 4., & 5. Tit. 5. de Scænicis, atque *Paulino Præfecto Vrbi Coſſ. Gratiano V. & Theodoſio A. A.*, videlicet Anno Epochæ noſtræ 380., inſcribuntur. Baronius ad Annum 394. ex his Legibus Paulinum noſtrum Vrbanâ Præfecturâ donatum arguit. Sed quibus tabulis fretus id affirmare potuerit, non video. Si huiuſmodi coniecturis agendum, nil obſtat quin Paulinum etiam Præſidem Epiri nouæ faciamus, ſiquidem ad Paulinum quemdam hac dignitate affectum Anno 372. reſcriptum Valentiniani ſenioris extat in C. Theod. l. 22. de Epiſcopis. Multò potiore argumento eum Præfectum Auguſtalem faciemus, quum in eodem Codice legantur l. 10. de Fide teſtium, & l. 22. de ſuſceptoribus Annis 385. & 386. Paulino ſimili munere functo inſcriptæ. Quod tamen affirmare non auſus eſt Magnus Annalium Scriptor. Igitur quum Paulinus ipſe, qui alioquin honores ſuos exprimit, hanc dignitatem ſibi nequaquam aſſerat contigiſſe, à Baronij ſententiâ diſcedendum puto. Minùs placet Chiffletius, cui ceteroquin in Hiſtoriâ Pauliniana multum debemus, quum parte 2. cap. 2. Paulini Illuſtr. ex laudatis Legibus docere conatur Paulinum noſtrum Anno 380. Prætorem Vrbanum fuiſſe conſtitutum. Legum harum inſcriptiones ita ſunt conceptæ;

tæ: *Ad Paulinum P. V.*, quæ verba etiam minùs eruditi *Præfectum Vrbi* interpretantur, non verò *Prætorem Vrbis*. Ex hac opinione in alteram ſe præcipitem Chiffletius dedit; ſtatutâ enim hac imaginariâ Paulini Præturâ eum neceſſariò Ædilem Curulem fuiſſe opinatur, Ædilitas enim, vt obſeruat Paulus Manutius lib. de leg. Rom., Præturam vrbanam biennio præcedere ſolebat. Sed ſuiſmet calculis iugulatur V.C., ſiquidem *Ædilitas Præturam biennio antecedit*, *ac Prætura item biennio Conſulatum*, vt animaduertit idem Manutius eod. lib., Roſinus, ac Dempſterus Antiqu. Rom. lib. 7. cap. 9., & alij Romanam eruditionem ſcriptis proſequuti. Si ergò Paulinus Anno 378. Conſul proceſſiſſet, vti opinatur ipſe Chiffletius, quomodo eodem etiam Anno Ædilis Curulis fuiſſet, annoque poſtea 380. Prætor vrbanus? Eſt hoc Romanarum dignitatum ordinem inuertere. Verùm, vti ſupra dicebamus, Paulinum quemdam Præfectum Vrbi legesillæ clariſſimè loquuntur, non Prætorem vrbanum, & neutrum extitiſſe Paulinum noſtrum ipſiuſmet ſilentium ſatis apertè indicat. Eum potiùs Paulinum his innui Legibus arbitror, qui memoratur in Inſcript. Gruter. pag. 343., ac PRÆF. VRBI. nuncupatur.

De reliquis Paulini rebus geſtis.

DISS. XI.

VIdimùs, ni fallor, Paulinum Campaniæ Conſularem, nunc inſpiciamus, quid illi poſt hanc dignitatem actum. Sunt eius verba:

> *Ergò vbi bis terno ditionis faſce leuatus*
> *Depoſui nullâ maculatam cæde ſecurim,*
> *Te reuocante ſoli quondam genitalis ad oram*
> *Sollicitæ matri ſum redditus* ———

Faſcem ditionis bis ternum ego interpretarer pro ſex annis, quibus forſan Paulinus Campaniam Conſularis munere adminiſtrauit. Quamuis enim l. 4. ad Legem Iul. de Ambitu C. Th. *Conſularitatis faſces iterare* fuerit interdictum, & biennio tantùm, aut ſummùm triennio munus hoc duraſſe credendum ſit, adhuc nil inde aduersùs nos eruitur, quum Anno tantùm 416. ſub Honorio, ac Theodoſio illud emanauerit reſcriptum, quin imò huiuſmodi munera iterari conſueuiſſe (faciente tamen veniam Principe) eâdem in Lege aſſeratur. Verùm quidem eſt Conſularibus etiam ius faſcium fuiſſe conceſſum, quod ex laudatâ nuper Lege deprehenditur, & ex alijs Legibus docet Gothofredus in Notit. Dignitat. Videri propterea poſſet *bis ternos faſces* ijs conceſſos ad Conſulum differentiam, quibus, vt inquit lib. 4. Silius,

Biſ-

Biſſenos hac prima dedit præcedere faſces.

Sentiant eruditi, quod magis ſanum putant; ego non moror. E Campaniâ igitur in Gallias proceſſit Paulinus, vbi adhuc in viuis eius mater agebat. Sequitur Poeta:

——————— Inde propinquos
Trans iuga Pyrenes adij peregrinus Iberos.

E Gallijs in Hiſpaniam migrauit Paulinus, ibique diu conſtitiſſe videtur. Sacchinus Vitæ Paulinianæ eruditiſſimus Scriptor Natalis XIII. cognitione deſtitutus ita ſcribit: *Aliquamdiu Romæ vixit. Inde per Annos fermè quindecim peregrinatus eſt per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, terrâ marique, partim publicis rebus, partim (niſi me coniectura fallit) domeſticis occupatus.* Non Annos XV. peregrinatus eſt Paulinus, quum illum in Campaniâ Conſularis munus per aliquot coercuerit annos. Deinde nimis amplificatur iſta peregrinatio, quæ nullâ neque curioſitatis, neque publicarum rerum cauſa ſuſcepta eſt. Manifeſtiùs dicipitur Gulielmus Caue in Hiſt. Script. Eccl., quum de Paulino agens Conſulatus honorem illi obtigiſſe Anno 375. ait, ſubditque: *Anno ſequenti ad exteras regiones viſendas ſe accingens omnes ferè Occidentis Prouincias peragrauit. Hiſce peregrinationibus quindecim ferè annorum ſpatium impendit.* Siquidem multò ſeriùs ex Italiâ Paulinus mouit, neque in omnes ferè Occidentis Prouincias delatus eſt. Quid porrò in Hiſpaniâ geſſerit, docet ipſe:

Illic me thalamis humanâ lege iugari
Paſſus es, vt vitam commercarere duorum,
Perque iugum carnis duplicata ſalus animarum
Dilatam vnius poſſet penſare ſalutem.

Theraſia mulier natalibus, ac pietate præſtans illi vxor contigit. Complutenſem illam fuiſſe inde quis poſſit haurire, quod Paulinus in Paneg. de Celſo in fin. ſibi quoque eâ in vrbe natum, atque è viuis ſublatum dixerit filium. Erat autem Theraſia iam tum ſacro Baptiſmate abluta, & nomen Chriſtianum profitebatur, etenim ſe vnum ſalutem ſuam diſtuliſſe Paulinus memorat, multiſque reuera poſt annis à Delphino Burdegalenſi Epiſcopo baptizatus fuit. Poetæ noſtro fratrem fuiſſe carmina ſubſequentia teſtantur. Hic neſcio quâ cauſâ cæſus multas Paulino fratri turbas excitatas reliquit. Non de huius opibus tantùm, latiſſimoque patrimonio Fiſcus agebat, ſed innocenti etiam capiti feralis imminebat ſententia. S. Felicis tamen patrocinium ſupplici præſtò fuit, eiuſque ope tum Paulini bona, tum vita improuiſum euaſere periculum. Iuuat ipſum vatem ſanctum audire:

Cumque laborarem germani ſanguine cæſi,
Et conſanguineum pareret fraterna periclum
Cauſa mihi, cenſumque meum iam Rector adiſſet,
Tu mea colla, pater, gladio, patrimonia Fiſco
Eximis, & Chriſto Domino mea, meque reſeruas.

 Quis

Quis fuerit iſte Paulini frater, nondum mihi compertum eſt; eumdem tamen eſſe, quem Paulinus in Ep. 19. ad Delphin. Burdig. Ep. memorat, facilè arbitror. Nullius bi quidem cædis mentio occurrit, quia totius ſcænæ Delphinus iam certior ante fuerat factus; ſed quum ſe *contriſtatum vehementer*, proptereaque *breui vſurum ſcriptione* fateatur Paulinus, magnam illi contigiſſe doloris cauſam apertum eſt, quæ alia à fratris cæde vix poterat eſſe. De hac eádem fraterná nece Epiſtolam 20. ad Amandum ſcripſit, vbi *recentem fraternæ diuulſionis dolorem* vocat. Quæ ſi vera ſunt, emendandus Anachroniſmus Cl. V. Io: Baptiſtæ le Brun, cui poſtremam operum S. Paulini editionem debemus, dum ad A. Ch. 403. Epiſtolam vtramque refert. Hæ ſiquidem binæ Epiſtolæ circiter Annum 393. ſcriptæ, quum fratris cædem Paulino in Hiſpaniá adhuc agenti ex hoc Natali accidiſſe pateat. In eá ad Amandum Epiſtolá inquit vir pius: *Ora & pro nobis, ne in peccatis noſtris moriamur. Notum faciat Dominus finem noſtrum, vt ſciamus quid deſit nobis, & properemus adimplere, quod reſtat.* En vt ſibi nondum impletum inſinuat ſanctum Paupertatis votum, ſeque ab Hiſpaniá nondum diſceſſiſſe. Ceterùm huiuſmodi infortunium ita Paulini animum perculit, vt ſeculo renunciare certá ſtatuerit ſententiá, ad id potiſſimùm piá impellente vxore. Conſilio itaque maturato, omnibuſque in pauperum ſubſidium diſtractis, maximum cum cælo fædus feriens Paulinus Nolanam ad vrbem ſeſe demum recepit. Hæc omnia ipſe canit:

Nam quo conſilio rebus, capitique meo tunc
Chriſtus opem tulerit, Felicis cura potenter
Adfuerit, docuit rerum poſt exitus ingens,
Quo mutata mea eſt ſors, & ſententia vitæ,
Abiurante fide mundum, patriamque, domumque &c.

Sammarthani in Gall. Chriſt. in Burdigal. Archiep. notitiá ad S. Delphini vitam Paulinum Anno etiam 396. in Hiſpaniá degentem faciunt; atqui ijs regionibus Anno 394. Sanctum virum valedixiſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum.

De tempore ſuſcepti à Paulino Epiſcopatus.

DISS. XII.

VIx Nolæ conſtitutus fuit Paulinus noſter, quum in omnia pietatis genera ſolutus mundum omninò dedidicit. Iam presbyter factus in Monaſterio per ſe à fundamentis erecto degebat, alijs eximium ſanctitatis exemplum factus. Illum tantæ commendabant virtutes, vt populi vniuerſi votis in Epiſcopum Nolanum tandem expetitus fuerit. Sed quoto Epochæ noſtræ Anno id actum?

Bre-

Breuiſſimè inquiram. Certum eſt Anno 409., aut ad ſummum 41c. huiuſmodi munere nequaquam caruiſſe, quandoquidem S. Auguſtinus eum *Nolenſem Epiſcopum* lib. 1. cap. 10. de Ciu. Dei nuncupat, dum cruciatus memorat in illum à Barbaris Campaniam vaſtantibus ingeſtos, quod A. Ch. 410. contigit. Et hinc, vt arbitror, nouus Paulini illuſtrator Io: Baptiſta le Brun, quemadmodum aliunde didici, Anno 409. Epiſcopatus Pauliniani primordia conſtituit. P. Sacchinus in eius Vitâ ſub init. partis tertiæ illum Epiſcopalem Sedem aſcendiſſe arbitratur, ſtatim ac Nolanus Antiſtes deceſſit. Chiffletius verò cap. 12. par. 2. Paul. Illuſtr. *plus minus biennio à Nolano eius ſeceſſu*, videlicet circa Annum 397. hanc illi dignitatem collatam cenſet. Ego ad iſtius poſtremi ſcriptoris ſententiam accedere nequeo, nullum enim potens ſuffragium in eiuſdem tutelam profertur. Argumentum, quod ille ex Epiſtolâ ad Pammachium petit, Codicum præſtantiorum auctoritate infirmatur. Alterum iſtud eſt. Inquit Paulinus in Nat. IV. (qui Anno 397. recitatus fuit)

Natalis tuus, o chariſſime Chriſto
Felix, Natali proprio mihi charior, in quo,
Quamlibet innumeris ſint gaudia plurima turbis;
Eſt aliquid ſpeciale tuis, quod nos tibi Chriſtus
Eſſe dedit, viles caro largitus amico.

Hæc de Paulini in Epiſcopum ordinatione intelligenda affirmat Chiffletius eo quod priſcis temporibus *Natales* etiam appellabantur Epiſcoporum ordinationes: *Nam*, inquit, *ſi quis interpretetur de Paulini primo in lucem exortu, in quo ſint publica gaudia innumeris turbis, næ ille Monachiſmo eius, ac modeſtiæ haud leuem iniuriam fecerit.* Verùm non benè calculos ponit vir Clariſſimus. Illud *in quo* ad Natalitium S. Felicis diem, non verò ad Paulinum eſt referendum. Deinde *Natalis proprius* nil aliud Paulino eſt, quam prior in lucem egreſſus, quem ſolemni apparatu quotannis veteres celebrare conſueuerunt. Id certiſſimum ex Nat. XIII. fiet, vbi hæc eadem Paulinus repetit:

Ego ſemper iſtum ſic honoraui diem
Magis hunc putarem vt eſſe Natalem mihi,
Quam quo fuiſſem natus incaſſum die.

Reliqua euidentiùs docent. Tota igitur Chiffletij moles, eiuſque prolixæ in hunc locum meditamenta ruunt. In Ep. 16. ad Delphin. 2. ait Paulinus de Papâ Vrbis Anaſtaſio: *Etiam ad Natalem ſuum (quod Conſacerdotibus ſuis tantùm deferre ſolet) inuitare dignatus eſt.* Scripta hæc Epiſtola A. 399. Igitur tum temporis Paulinus ab Epiſcoporum numero excluſus erat, quum ſe à *Conſacerdotum* numero (quod idem tunc erat ac dicere *Coepiſcoporum*) diſtinguit. Quæ ad huius argumenti perſpicuitatem Chiffletius regerit, facili negotio explodi queunt. Anno quoque 402. data eſt Paulini ad Seuerum Epiſtola XII. Huic autem Epiſtolæ Epigrammata quædam Paulinus intexuit Nolanæ Baſilicæ recens à ſe extructæ inſcripta. In eorum vno ſic habetur:

Plebs geminâ Chriſtum Felicis adorat in aulâ,
Paulus Apoſtolico quam temperat ore Sacerdos.

Et in altero:

Paulus in æternos Antiſtes dedicat vſus.

Anno ergò 402. Paulus Nolæ ſedebat Epiſcopus, non verò Paulinus. Hæc ſanè apertiſſima verba fruſtrà eludere Chiffletius molitur. Alia porrò & ego argumenta ſuppeditabo. Scribens ad Delphinum Epiſcopum Burdigalenſem, eum ſemper, annoque potiſſimùm 403., *venerabilem Patrem* appellat, quod non feciſſet Epiſcopus, moris enim erat ijs temporibus, vt Epiſcopi ſe *fratres* inuicem appellarent. Conſule quæſò Epiſtolam XVI. ad Delphinum 2., vbi ait: *Mediolanenſis quoque Epiſcopus filius veſter hucuſque, nunc frater Venerius ſcripſerat &c.* Vides Venerium, ſtatim ac ad Epiſcopatum venit, fratrem Delphini cæpiſſe nuncupari, & quum ab iſto quoque ſe diſtinguat Paulinus, vtique Epiſcopalibus infulis nondum cingebatur. Sed clariora proferamus. A. Ch. 404. Natalem XI. recitauit Paulinus. In eo verò multa de fure habet, qui ſacra nuper expilarat. Captus non ſine miraculo improbus latro ad S. Felicis ducitur

Poſt ſacra iam ſoluente pios Antiſtite cætus.

Sunt hæc vatis noſtri verba, qui ſe propterea à Nolano Epiſcopo tum temporis diuerſum facit. Natalis quoque decimus tertius rem euidenter prodit. Quum Nolanis aperiendi tumuli, vbi S. Felicis oſſa quieſcebant, animus obueniſſet, ait Paulinus:

——— *Cunctos tranſmittit Epiſcopus ad nos*
Presbyteros. His fabra manus ſpectantibus inſtat
Iuſſa Sacerdotis facere. ———

Hunc Natalem Anno 406. elucubrauit. Paulinus. Rem verò ibi memoratam nuper accidiſſe certum penè eſt mihi; non enim tantum opus diu ſilentio preſſiſſet Poeta Sanctus. Igitur, quum Antiſtes alius Nolæ ſedens ibi diſertè dicatur, ne Anno quidem 406. Epiſcopalem Cathedram Paulinus aſcenderat. Deindè cur eximiam hanc dignitatem, ſi ſibi contigiſſet, præteriturus in Nat. XIII. fuiſſet Paulinus? Nullis ibi parcit verbis, vt honores in ſe collatos, vitæque peractæ geſta recenſeat, & maximum hoc munus inſalutatum dimiſiſſet? Ne credas. An tamen Epiſcopus Anno ſolùm 409. proceſſerit, latere procul dubio arbitror. Eruditiſſimi nihilò ſeciùs Brunij ſententiæ acquieſcendum nunc eſt, à quo non ſine validis rationibus, apertiſue ſaltem coniecturis hoc affirmatum mihi perſuadeo. Quod autem aſſeruit Ambroſius Leo lib. 2. cap. 12. de Nolâ, videlicet Paulinum Fundanæ Eccleſiæ Antiſtitem ante fuiſſe, Auctoris alioquin eruditi ſomnium habeatur. Reliquas Paulini res geſtas, eiuſque mirandam ſanctitatem proſequi ſtatuta mihi breuitas non ſinit. Si tamen hanc quis adornandam ſuſciperet ſpartam, vberem meſſem è Natali XIII. hauriet. Ego ad eius pietatem in ædificijs Nolæ confectis exprimendam procedo.

De

De ædificijs Nolæ à Paulino conditis.

DISSERT. XIII.

TRes minimûm Paulini aduentus Nolam ſunt enumerandi. Prior contigit, quum adhuc puerili in ætate verſaretur, vixq; è Gallijs in Italiam aduenisset, quod innuit ille his ad S. Felicem carminibus:

Nam puer Occiduis Gallorum aduectus ab oris
Vt primùm tetigi trepido tua limina greſſu &c.

Hinc eſt quod ipſum S. Confeſſorem alloquens iterum canit:

—————————— tibi me
Mancipium primis donauit Chriſtus ab annis.

Alterum Nolam inſtituit iter, quum à geſto Conſulatu Campaniam Conſularis factus regendam ſuſcepit; ſic enim inquit:

Iam tunc præmiſſo per honorem pignore ſedis
Campanis metanda locis habitacula fixi,
Te fundante tui ventura cubilia ſerui.

Diu Nolæ verſatus eſt Paulinus, quod expoſcebat ſuſcepta dignitas; quumque quotidie patrata per S. Felicem miracula ſub eius oculis ſtarent, tum ad Chriſtianam Fidem ex Ethniciſmo ſe conuertere meditari cœpit. Inter Cathecumenos itaque conſtitutus, vt arbitror, quædam pietatis opera continuò ſibi peragenda cenſuit. Quingentos circiter ab vrbe Nola paſſus S. Felicis oſſa quieſcebant, vbi etiamnum illuſtris Baſilica viſitur. Illuc propterea ducentem viam muniuit Paulinus, vt affluentium populorum commodo conſuleret. Sic ipſe S. Felicem alloquitur:

Cum tacitâ inſpirans curam mihi mente iuberes
Muniri, ſterniqne viam ad tua tecta ferentem.

Neque his contentus vir pius apud eamdem B. Felicis ædem procudi magnificam domum voluit. Longo tractu protendebatur huiuſmodi ædificium, primùmque vſui pauperum deſtinatus eſt locus, vt hinc etiam diſcas, quanta Paulini pietas foret, licet in Chriſti gregem nondum per Baptiſmatis vndas eſſet perductus. Audiamus ita ſubſequentem:

Adtiguumque tuis longo conſurgere tractu
Culminibus tegimen, ſub quo prior vſus egentum
Incoluit. ——————

Tertius demum Paulini ad vrbem Nolanam aduentus contigit, quum eiurato ſeculo, opibuſque in pauperes effuſis, ſeceſſum Nolanum elegit, vt ibi Chriſto vni dicatus ſanctiorem inſtitueret, ac proſequeretur vitam. Hoc Anno 394. actum. Tum Paulinus in omnia pietatis officia ſe vertit, nihilque antiquius habuit, quam ea promouere, quæ S. Felicis cultum

auge-

augerent. Primus illi labor fuit, quemadmodum reor, conditam in ſecundo aduentu domum amplificare. Alia igitur ſuper priores muros tecta molitus ita veteres excoluit ædes, vt ſibi decenter in habitaculum cedere potuerint. Pauperibus in cellas ſub porticu coniectis, ipſe in ſuperiori tecto hoſpitium ſibi conſtituit. Hinc ita canit:

——————— Poſthæc geminato tegmine creuit
Structa domus noſtris quæ nunc manet hoſpita cellis,
Subdita pauperibus famulatur porticus egris,
Quæ nos impoſitis ſuper addita tecta colentes
Suſtinet hoſpitijs ———————

Huius porrò ædis venuſtatem infrà extollit:

Ecce mihi per tot benedicti Martyris aulas
Et ſpatijs amplas, & culminibus ſublimes,
Et recauis altè laquearibus ambitioſas,
Irriguas & aquis, & porticibus redimitas &c.

Ita tamen ædificium Paulinus conſtituerat, vt in ipsâ eius amplitudine ſibi ſuiſque hoſpitibus humiles cellas eſſe voluerit, nimirum quæ nullam ſaperent ambitionem, ſed quæ potiùs immania potentum tecta arguerent. Hinc de illuſtribus hoſpitibus ſuis ad populum inquit:

——————— Quos cernitis, & modò in ipſis
Felicis tectis mecum metata tuentes
Hoſpitia, oblitos veterum præcelſa domorum
Culmina, & anguſtis vicino Martyre cellis &c.

His enarratis Paulinus aliud opus addit:

Omnibus extructis operum, quæ ſtare videntur
Diuerſis compoſta modis, excelſa per aulas,
Et per veſtibula extentis circumdata latè
Porticibus, ſolum ſimul omnia munus aquarum
Tecta videbantur mæſtis orare colonis. &c.

Optatum propterea aquæductum temporum vetuſtate interruptum ab oppido Abellâ ad S. Felicis Baſilicam perducere in animum induxit. Longus interponebatur viæ tractus, nempe quinque paſſuum millia. Sed operis difficultate non territus vir ſanctus amplos canales, reluctantibus nequidquam, ſacræque ædis beneficium reſpuentibus Nolanis, reſerauit. Operas illi ſuas Abellani ad laborem contribuêre, adeòque is incaluit, vt ingentem aquæ vim tandem deſtinatum ad locum perduxerit. Hæc fuſiſſimè in laudato ſemper Nat. XIII. habentur. Alia verò Paulini ædificia me proſequi propoſitum breuitatis inſtitutum non patitur. Tantùm meminero plures ab eo conditas fuiſſe Baſilicas, quas omnes ex Ep. XII. ad Seuerum ab ipſo deſcriptas petere potes. Potiorem inter has locum obtinuit illa, *quæ ad Dominadium* (vt is inquit) *communem patronum in nomine Domini Chriſti dedicata eſt*. Ambroſius Leó lib. 2. cap. 11. de Nolâ Baſilicam hanc Deo O. M. dedicatam à Paulino autumat, *Deus enim*, ait, *tum Dominedius vocabatur, quod verbum*

in

in ore iurantium, ac inuocantium Deum vſque ad noſtra tempora ſeruatum audimus. Sed veram vocis ſignificationem ille non tangit, ſiquidem pro *Dominædio* S.Felicem Paulinus intelligit. Huiuſmodi vox *Dominum* purè, aut *patronum* ſignificat, quod itidem per me probabitur in quodam S. Maximi Taurinatis Sermone, quem vnà cum pluribus alijs eiuſdem Epiſcopi ineditum in reliquis Anecdotorum libris producam. Ibi verò *Domnedius* pro *Domino* vſurpatur. Paulinus quoque ſe S. Felicem innuiſſe oſtendit in Ep. 9. ad Seuer., vbi Natalem in eiuſdem S. Confeſſoris honorem elaboratum *ſolemnem ad Dominædium cantilenam* vocat, & in Ep. 28. ad Victricium *Sancti ſui Confeſſoris dilectiſſimi Felicis Dominædij* meminit. Id autem alibi occurrit. Neque meliùs loquitur idem Leo lib. 2. cap. 12., quum S. Felicis Baſilicam antiquitùs intra vrbis Nolæ ambitum ſitam affirmat, ab eà namque enormi aberat ſpatio, nimirum mille circiter paſſus. Hæc eadem nunc tamquam eximium ſanctitatis penetrale viſitur in loco, quod Cæmeterium (vulgò *Cimitino*) nuncupatur. Eius porrò deſcriptionem petere licebit à Capacc. in Hiſt. Neap. lib. 2. in fin., à V. Cl. Sarnello in Cleric. Spec. ad Vitam S. Felic., à Pacichello in Italicis eius Epiſtolis, & ab alijs pluribus.

De S. Felice Nolano.

DISS. XIV.

PAuca & hîc de S. Felice animaduertere libuit, cuius olim adeò celebris miraculorum fama fuit, vt ad eum vndique populi concurſus foret, nullaque pars orbis terræ haberetur, quæ tantum non coleret ſanctum. Eius acta ſcriptis conſignarunt Gregorius Turonenſis lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 104., Beda, Marcellus Presbyter antiquiſſimus, Ado, Notkerus, & alij, ſed omnibus tamquam magiſter Paulinus noſter præiuit, qui ſuis Natalibus Felicis vitam, ac prodigia per eum facta complexus eſt. Hæc omnia in vnum coegere Patres erudītiſſimi è Soc. Ieſu, qui Acta Sanctorum incredibili & ſollicitudine, & eruditione elaborant. Quia tamen eis latuere Natales nunc primùm editi, alia, quæ Paulinus cecinerat, quæque ab omnibus nunc recoli poſſunt, ommiſere miracula. Rem præclaram in Natali XIII. deſcribit ſacer vates, nempè B. Martyris ſepulcrum penè adapertum fuiſſe, quum è ſuperioribus ſarcophagi venerandi partibus improuiſus erumperet puluis. Quo tempore id euenerit, planè incompertum mihi; Sed paucis ante Annum 406. menſibus contigiſſe crediderim, ſiquidem tantum munus præteritis in Natalibus Paulinus haud præterijſſet, ſi diutiùs ante id factum. Quibus viſis ad examinandum procedo, quo tempore S. Felix in viuis eſſe deſierit. Bollandus V. C. in eiuſdem Sancti vitâ die XIV. Ia-

nuar. ſ. 6. hæc habet: *Ætas S. Felicis à Paulino non exprimitur. Ineptè Chriſtophorus Phreislebius circa Theodoſij tempora vixiſſe ſcribit. Henricus Fabricius circiter annum Chriſti 300. obijſſe exiſtimat; ſed qua tum pax Eccleſiæ? Heraus circiter 310., Michael Monachus non longe poſt Annum 312., quo data pax Eccleſiæ. Eſt hæc aliorum quoque, & probabilis opinio*. Sed diuerſus à tot Auctorum opinione abire cogor. En Paulinus Nat. XIII. ait:

——— tanto voluiſti prodere ſigno,
Vt tacitam, & fixam per tot retrò ſecula ſedem
Corporis, alme, tui ſubitò exiſtente fauillâ
Pulueris in noſtro ſeruari tempore velles.

Et infra:

Addidit, vt tantis numquam retrò condita ſeclis
Noſtro opere extructas adcreſcere, vel renouari
Porticibus, domibuſque ſuas permitteret aulas.

Igitur non circa Annum Chriſti 312. S. Felix è viuis exceſſit. Quomodo enim memorata hîc *tot retrò ſecula* æuo Conſtantini queunt accommodari, à quo ne vnum quidem ſeculum diſtabat Paulinus? Idem in Natal. XI. aiebat:

Et licet à veteri tumulis abſconditus æuo,
Quâ mortalis erat, lateat telluris operto &c.

Sed alium è Natali VI. producamus locum, quem animaduertere Bollandus etiam cum alijs poterat. Nolanum agrum, in quo ſepulturæ S. Felix mandatus fuit, deſcribit noſter vates:

Pauper vbi primùm tumulus, quem tempore ſæuo
(Relligio quo crimen erat) minitante profano,
Struxerat anguſtè gladios trepida inter, & ignes,
Plebs Domini, vt ſeris antiqua minoribus ætas
Tradidit, ingentem paruo ſub culmine lucem
Clauſerat &c.

Si Felix *non longè poſt annum 312., quo pax data Eccleſiæ*, obijt, quemadmodum Bollandus arbitratur, cur illi *pauper tumulus* extructus dicitur, & quidem *tempore ſæuo, quo Religio crimen erat*, & plebs Domini, Tyrannis minitantibus trepida inter gladios igneſque iacebat? Cur huiuſce memoria tumuli *ab antiqua ætate ſeris nepotibus* tradita affirmatur? Profectò hæc de Conſtantini temporibus intelligere prorſus vetamur. Idem Paulinus Natali VI.

Lux eadem Sancti cineris per ſecula cuſtos
Martyris hæc functi vitam probat &c.

En *per ſecula*, non per vnum ſeculum ſtetiſſe Felicis ſepulcrum diſcimus. Igitur concludamus Felicem Nolanum in prioribus Eccleſiæ ærumnis exagitatum, pacis ſubſequuto tempore, cælis animam reddidiſſe. Seculo Chriſti ſecundo potiùs, quam tertio rem actam *tot ſecula* ab eo vſq; ad Paulinum elapſa ſuadere videntur. Hinc plures Vghelli in Ital. Sacrâ.

Ana-

Anachroniſmos emenda. Aſſerit enim S. Maximum Epiſcopum Nolanum, cui Felix in Martyrio ſocius fuit, miteſcente Diocletiani perſequutione è viuis deceſſiſſe, vti etiam S. Quintum (ſub quo S. Felicem itidem vixiſſe ſcimus) Anno Chriſti 320. floruiſſe, aliumque S. Felicem primum Nolæ Epiſcopum anno 259. Martyrio coronatum obijſſe; nam ad antiquiora tempora trahenda eſt horum Sanctorum ætas.

Ad S. PAVLINI Natal. XI. verſ. 324. de Anno, quo SS. Protaſij, ac Geruaſij corpora per S. Ambroſium fuere inuenta.

DISSERTATIO XV.

Ad eruditiſſimum virum NICOLAVM RVBINVM Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ Ordinarium Canonicum, & Theologum.

MInimè dubito, Rubine vir ſapientiſſime, quin Paulinum meum prono animo, ſinuque toto ſis excepturus, tum quod quaſi poſtliminio reuerſus, & inimicæ ætatis victor in eruditorum manibus verſari iam poterit, tum etiam quod ex Ambroſianâ Bibliothecâ, quam tibi perenni amore deuinxiſti, ille prodierit. Eo tamen potiſſimùm nomine te meæ felicitati gratulaturum arbitror, quod in eiuſdem Sancti operibus aliquam de SS. Protaſio, ac Geruaſio mentionem iniectam ſis deprehenſurus. Quamuis enim feliciſſimo ingenio tuo vniuerſum Eccleſiaſticæ eruditionis pelagus complectaris, adhuc in rerum Mediolanenſium indaginem, cognitionemque ita ſedulus incumbis, vt reliquis perſunctoriè, his verò te totum dicaſſe videaris. Quamobrem quum in Annum inquirere, quo horum Sanctorum corpora diuinitùs fuere reperta, inſtituerim, nulli ſanè meliùs quam tibi mea hæc de re ſententia fuerat offerenda. Annum Chriſti, quo hæc contigere, Puricellus noſter, vir æternùm laudandus, in Diſs. Nazar. cap. 39. fuiſse trecenteſimum octogeſimum ſeptimum eſt arbitratus, remque ille diligenti curâ ſtudioque pertractans quæcumque argumenta ſibi militare aduertit, prolixè in ſuum traduxit volumen. Verùm enim verò tanta ſunt, quæ in eius ſententiam pugnant, vt ab illâ diuerſus abire penitus cogar, ſimulque affirmare non Anno 387. ſed 386. Protaſium, ac Geruaſium à magno Antiſtite Ambroſio fuiſse adinuentos. Adeò celebrem

lebrem Hiſtoriam Paulinus eiuſdem Ambroſij familiaris ſic refert:

——————Vt ſancto non olim Antiſtite factum
Nouimus Ambroſio, qui fultus munere tali
Poſtquam ignoratos priùs, & tunc indice Chriſto
Detectos ſibimet, mutatâ tranſtulit aulâ,
Reginam promptâ confudit luce furentem.

Primùm itaque Puricellianæ opinionis argumentum fuit S. Auguſtini Baptiſmus, cuius tempore cognito tempus quoque inuentorum Martyrum eluceſcit; ſanctum verò Doctorem A. Ch. 388. ſalutari vndâ ablutum poſuit, quod à veris Hiſtoriæ calculis abhorrere primùm omnium oſtendetur. Equidem graues ſententiæ ſuæ propugnatores Baronium, Pennottum, aliosque plures adſciuit vir doctiſſimus, ſed inde parum roboris illi acceſſiſse dicenda euincent. Quum Baptiſmum ſuum refert Auguſtinus lib. 9. cap. 7. Confeſs. hæc habet: *Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cum Iuſtina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ causâ &c. Tunc Hymni, & Pſalmi vt canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt. Tunc memorato Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent Martyrum corpora Protaſij, & Geruaſij &c.* Igitur ab inuentione Sanctorum ad Auguſtini Baptiſmum *annus, aut non multò amplius* effluxerat. Iccircò ſi annum, quo baptizatus eſt Auguſtinus, attingere licebit, in alterius cognitionem neceſſariò deueniemus. Ludouicus ab Angelis lib. 3. cap. 4. de Vitâ S. Auguſt. ex eo quod in Annum 387. Magnus Annalium Scriptor Iuſtinæ in Catholicos furorem, Sanctorumque Martyrum inuentionem conijciat, eodem ipſo Anno S. Doctoris Baptiſmum contigiſſe cenſet; ſed malè illi ſubducti ſunt calculi, ſiquidem *annum & amplius*, vt dixi, inter Martyrum translationem, ſuumque Baptiſmum interceſſiſſe apertè teſtatur Auguſtinus. Natus eſt S. Doctor, vti nunc omnes aduerſus Baronium, eiuſque ſectatores conſentiunt, A. D. 354. Id. Nouemb., ait autem lib. 9. cap. 11. Confeſſ. Monicam parentem ſuam apud Oſtia Tyberina ad Superos euolaſſe *trigeſimo & tertio ætatis meæ anno*. Hic verò obitus eodem anno accidit, quo Auguſtinus Baptiſmum ſuſceperat, nam poſt illum, vt in Africam tranſmitteret, Mediolano valedixerat, & rectâ ad Tyberinam focem perrexerat mari ſe commiſſurus. Alibi quoque repetit ſe *trigeſimo & tertio ætatis anno* ſacris vndis fuiſſe purgatum, & ipſa Romana Eccleſia in Breuiarij lectionibus tradit. Trigeſimus & tertius ætatis Annus Auguſtino currere incipiebat Id. Nouemb. Anni 386. igitur intra hunc diem, & Idus Nouemb. Anni 387. ſequentis ſtatuendus eſt eiuſdem Baptiſmus. Quum autem à Poſſidio in eiuſdem Sancti Vitâ doceamur *propinquantibus diebus ſanctis Paſchæ ſalutis aquam Auguſtinum percepiſſe*, manifeſtè colligitur non niſi Sabbato Sancto Anni 387. eumdem Sanctum ad ſacrum fontem proceſſiſſe. Sed & aliud argumentum proferamus. Saltem annum vnum in Italiâ poſt Baptiſmum ſubſti-

tit Auguſtinus, namque præter moram ad Tyberim, aliaque loca, Romæ diu ſe tenuit, vbi ſe libros ſcripſiſſe *de moribus Manichæorum*, & *de morib. Eccl. Cathol.*, itemq; *Dialogum de Animâ*, & libros tres *de libero Arbitrio* fatetur lib. 1. cap. 7. 8. 9. Retract. Deinde in Africam remeauit. Illuc porrò quandò aduenerit, ipſum docentem audiamus lib. 3. cap. 25. contra liter. Petiliani Donatiſtæ: *Cum ego Mediolanum ante Bautonem Conſulem* (Conſul hic proceſſit A. Ch. 385.) *venerim, eique Conſuli Kal. Ianuar. laudem in tanto conuentu conſpectuque hominum pro meâ tunc Rhetoricâ profeſſione recitauerim, & ex illâ peregrinatione iam poſt Maximi Tyranni mortem Africam repetiuerim*. Anno Ch. 388. die 28. Aug. obijt Maximus, vt Idacius in Chronico, & Socrates lib. 5. cap. 24. fidem faciunt, & Gothofredus in Chronolog. Cod. Theod. ad l. 6. & 7. C. eod. tit. *de Infirmand. bis quæ ſub Tyrann.* teſtatur. Eodem ergò Anno 388. Africæ redditus eſt Auguſtinus, ac propterea Anno 387. ſuperiori baptizatus. Clariſſ. vir P. Euſtachius à S. Vbaldo, cuius beneuolentiæ eruditionique me plura debere fateor, in Quodlib. Regul. dub. 7. n. 53. Macedum, & Deſnos ſolidiſſimè arguit, quod moram Auguſtino in Italiâ poſt ſuſceptum Baptiſmum breuiſſimam ſtatuant. Verùm eiuſdem ſententiam probare nequeo, dum A. 388. S. Doctorem Baptiſmatis gratiam recepiſſe arbitratur, Anno verò 389. Monicam eius matrem è viuis ſublatam, ac inde in Africam iter ab illo inſtitutum. Cur enim, vt Annum nauigationis ſuæ Auguſtinus deſignaret, Maximi nece vſus fuiſſet iam Anno ſuperiori peractâ? Cur *iam poſt Maximi necem*, quod idem ſonat ac *ſtatim poſt Maximi necem*, dixiſſet? Quantum enim attinet ad S. Monicæ mortem, tam certum eſt illam Anno 387. contigiſſe, vt nil certius. Auguſtino Annus trigeſimus tertius eodem Anno Id. Nouemb. exibat, & trigeſimus quartus adueniebat, ergò quum, vt vidimus, ipſe Auguſtinus ſe trigeſimo tertio ætatis ſuæ anno matre orbatum aſſeruerit, in ipſo Anno 387. S. Monicæ obitus figendus venit. Deinde non Romam primùm, vt cum eruditiſſimo viro cenſuere Baronius, Torellus, Ludouicus ab Angelis, alijque plures, ſed rectâ ad Oſtia Tyberina Mediolano Auguſtinus perrexit; etenim lib. 9. cap. 10. Confeſſ. is ait: *Apud Oſtia Tyberina, vbi remoti à turbis poſt longi itineris laborem inſtaurabamus nos nauigationi &c.* Vides *poſt longum iter* illuc Auguſtinum conceſſiſſe? Nimirum Mediolano, non Româ venerat, non enim Româ ad Tyberis Oſtia profectis *longi itineris labor* opus erat. Illic igitur *poſt quinque dies ab aduentu febribus decubuit, & nono ægritudinis die* ad Cælos euolauit S. Monica A. 387. Cur autem in ſequentes annos ab eruditiſſimo P. Euſtachio, & ab alijs Scriptoribus eius mors protraheretur, in causâ fuit dies, quo illa ſolemniter colitur, nempe quartus Maij; quum enim eo die Monicam deceſſiſſe ſibi quiſque ſuaderet, Annoque 387. forſan is dies Monicæ in vrbe Mediolano effluxerit, hinc ad alios annos eiuſdem obitum diſtulere. Atqui animaduerterat Emin. Card. Noriſius in quodam Opuſculo diem S. Monicæ feſtum ad aliquam eius translationem, aliamue

cauſam

cauſam referendum, & Clariſſimi poſt illum Patres è Soc. Ieſ. in Act. Sanct. ad diem 4. Maij monuere, qui etiam à quingentis tantùm annis S. Monicæ cultum in Eccleſiam inuectum fatentur. Auguſtinum quoque Anno 387. ad Baptiſmum acceſſiſſe ex Poſſidio cap. 31. Vitæ colligi poteſt. Inquit ille de S. Doctore: *Vixit annis 76., in Clericatu autem, vel Epiſcopatu annis fermè 40.* Vixerat autem in agris Tagaſtenſibus, antequam ſacris Clericatus muneribus initiaretur, *fermè triennio alienatis à ſe curis ſecularibus*, vt idem Poſſidius cap. 3. ait. In Africâ igitur annos 43. plus minus egit Auguſtinus, poſtquam ab Italiâ ſe illuc recepit, & quum Anno 430. certiſſimè obierit, liquidò apparet Anno ſaltem 388. Magnum Doctorem ex Vrbe Tagaſtem delatum, à quo Anno ad 430., ſi verumque terminum complectaris, *Annos fermè* 43. ſupra memoratos colliges, quod minimè præſtabis, ſi in Anno 389. eius ad Africam profectionem figas. Si igitur A. Ch. 388. Africam petijt Auguſtinus, anno ſuperiori 387. Baptiſmali vndâ fuerat ablutus. Ceterùm huius veritatis teſtes accedunt Clariſſ. Card. Noriſius in Opuſculo quodam, Ludouicus ab Angelis lib. 3. de Vit. S. Auguſt. cap. 4., Herrera in Alphab. Auguſt., Torellus tom. 1. Secul. Auguſt. ad A. 387., & omnium nunc fermè eruditorum calculo ſententia hæc roboratur. Itaque tecum Rubine doctiſſime, iure mirari iam ſubit, cur Religioſiſſimi PP. Ciſtercienſes in Ambroſiano Cænobio degentes A.D. 1677. hanc Inſcriptionem ædiculæ, quæ S. Auguſtini nuncupatur, in fronte poni curarint:

DIVVS AVGVSTINUS
AD LEGEM FIDEI
PER S. AMBROSIUM
EUOCATUS
HIC VNDA COELESTI
ABLVITUR
ANNO DOMINI CCCLXXXVIII.

Profectò ægrè ferendum eſt, publicum monimentum ad nepotes ſeros tranſmittendum tam confidenter fuiſſe expoſitum, vt nulla in ipſo veræ Chronologiæ ratio ſit habita, quodque magis dolet, amicus noſter communis huiuſmodi Anachroniſmo cauſam præbuerit. Nam quantum pertinet ad locum, vbi Baptiſmum S. Auguſtinus receperit, parcas tu quæſo extra chorum ſaltanti, parcant egregij Patres, ſi Landulpho, qui ſeculo Chriſti vndecimo florebat, quique ſub Datij nomine in Ambroſianâ MS. aſſernatur, ita de S. Auguſtino ſcribenti aſſentiar: *In Fontibus, qui B. Ioanni adſcribuntur, Deo opitulante, à B. Ambroſio cunctis fidelibus aſtantibus, & videntibus in nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis baptizatus, & confirmatus eſt.* Sita erat hæc olim ędes S. Ioannis ad Fontes *inter Eccleſiam Maiorem, & S. Theclæ*, vt probat Puricellus vir ſummæ eruditionis in Diſſert. Nazar. cap. 39. n. 21., & in Monum. Baſil. Ambr. n. 300., qui etiam in præfatâ S. Auguſtini æde Baptiſmum Auguſtinianum contigiſſe negat. Petrus Paulus Boſca vir diſertiſſimus in Martyrol.

Am-

Ambroſ. ad diem 5. Maij veteri Traditioni ſtandum putat. Sed quidnam, rogo, ponderis huiuſmodi traditioni ineſt, quæ nullis non modò veterum ſuffragijs munitur, ſed eorum expreſsè teſtimonio iugulatur? Quin & antiquitùs vnum tantùm in vrbibus fuiſſe Baptiſterium (qui mos in quibuſdam etiamnum durat) eruditiſſimè docuit Ioſeph Vicecomes Collegij Ambroſ. quondam Doctor in lib. de Baptiſmo cap. 8., & ego animaduerti ab Epiſcopis tantummodò miniſtratum olim fuiſſe Baptiſmatis Sacramentum, vt propterea pluribus opus non eſſet Baptiſterijs, ſed vnum dumtaxat ſufficeret. Hoc autem Baptiſterium Mediolani S. Ioannis ad Fontes Baſilica appellabatur., quo nomine in alijs vrbibus etiam Baptiſterij Baſilicæ diſtinguebantur. Sic Romæ templum S. Ioannis Baptiſtæ, cui Lateranenſis nomen, Baptiſterium complectebatur, & Rauennæ *S. Ioannis in Fonte* ſimillimo muneri inſeruiebat, vt monuit Cl. Vir, meique amantiſſimus Patronus Ioannes Ciampinus cap. 25. Veter. Monim. tom. 1. S. Ambroſius in Ep. 13. ad Marcellinam: *Dimiſſis*, inquit, *Cathecumenis Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſterij tradebam Baſilicâ*. Profectò contra ipſius Ambroſij ſententiam ire videretur quiſquis eius æuo plura Mediolani Baptiſteria conſtitueret. Cur enim *Baſilica Baptiſterij* nudè nuncuparetur, ſi non vna tum Mediolani fuiſſet? Alio nomine diſtinguenda erat ædes illa, vt inter reliquas Baptiſterij Baſilicas noſceretur. Vnum ergò Mediolani Baptiſterium poſitum erat, quod *ædem S. Ioannis ad Fontes* minores appellarunt, ibique S. Auguſtinum Baptiſmali gratiâ donatum meritò opinamur. Neque ex Ennodio, Landulpho, aliſque bina antiquitùs in hac vrbe ſita fuiſſe Baptiſteria reponas, itidemque aliud apud Portianam Baſilicam, quæ Metropolitana olim fuit, vt Carolus à Baſilicâ Petri in Hiſt. Mediol. ad Vit. S. Caſtritiani docet, quandoquidem Ennodij tempore iam plura in vrbibus vſurpari Baptiſteria cæpere, quod Ambroſij æuo inſuetum planè fuit, & alîus Baptiſterij apud Baſilicam Portianam nulla ſit apud antiquos, recenteſque memoria. Quin & illam Baſilicam Metropolitanam nequaquam fuiſſe ſolidè ſuſpicatur Mediolanenſium rerum accuratiſſimus perſcrutator Camillus Sitonus I. V. Doctor, quum *Intramurana Baſilica*, quæ *Maior* à S. Ambroſio in Ep. 13. ad Marcellinam dicitur, hoc potiùs muneris quondam præſtitiſſe cenſenda ſit. Alia mitto, ne moroſior æquo extra ſemitam deprehendar. Statuto igitur Auguſtini Baptiſmo Anno videlicet 387., ſupereſt vt in Annum ſuperiorem 386. SS. Protaſij, & Geruaſij inuentionem conijciamus, quam Puricellus vnà cum alijs ipſi Anno 387. aſſignauit. Id neceſſariò, vt diximus ſupra, ex S. Auguſtini verbis admittatur oportet. Sed & S. Ambroſium à nobis ſtantem habeo, & ex eius libris hoc Anno 386. peractum eliciam. Eodem ipſo Anno, quo à S. Doctore recitata eſt oratio de Baſil. non tradend., inuenti ſunt memorati Martyres, anno enim ſuperiore Iuſtina Auguſta animi ſui impotentiam in Catholicos exercere cæperat. In eâ autem Oratione ſic ait magnus Epiſcopus: *Si quis confidit, huc veniat; inclinatum iam Imperatoris*

toris iudicium, quod latâ lege patefecit, quo impugnat Fidem, vel ſperata ambientium quorumdam ſtudia non requirat. Quamdam Imperatoris Legem nuper promulgatam memorat Ambroſius, quâ Fides impugnatur. Sed quænam hæc? Ea eſt l. vlt. C. Th. de Fide Catholicâ *data X. Kal. Febr. Mediolani Honorio Nob. Puero, & Euodio Coſſ.*, ſcilicet A. Ch. 386. Ibi Arianis fit in Eccleſias Catholicorum coeundi poteſtas, ibi Ariminenſe Concilium probatur, quod in laudatâ Oratione Ambroſius hiſce tetigit verbis: *Hanc ergò Legem quiſquam ſequatur, quâ firmatur Ariminenſe Concilium, in quo creatura dictus eſt Chriſtus?* Anno igitur eodem 386. ſub Paſchatis dies, non verò 387., vt Puricellus, ac Baronius autumarunt, eadem Oratio recitata; non enim *iam inclinatum Imperatoris iudicium* dixiſſet Ambroſius, ſi Anno 387., hoc eſt poſt Annum, & menſes à latâ Lege penes populum S. Epiſcopus peroraſſet. Rurſus ex ſecundâ Legatione à S. Ambroſio ad Maximum Tyrannum ſuſceptâ idem Chronologiæ punctum ſtatuitur. Anno 387. Valentinianus, ac Iuſtina eumdem Legatum Treuiros ad Tyrannum miſerunt. Re infectâ dimiſſus vir Sanctus, Italiæque redditus ad Valentinianum Epiſtolam 56. ſcripſit, vbi ait: *Eſto tutior aduerſus hominem pacis inuolucro bellum tegentem*. Quare Imperator *Domninum* alterum pro confirmandâ pace Legatum ad Maximum deſtinauit. Hunc ingenti honore exceptum dimittens Maximus mox cum exercitu ſubſequitur, & Cottijs Iulijſque Alpibus occupatis Aquileiam vſque contendit. Hæc vbi ad Valentinianum delata, ſibi timens Auguſtus Teſſalonicam verſus fugam arripit. Menſe Septembri Occidentem deſeruiſſe Imperator videtur, ſiquidem VII. Id. eiuſd. menſis *Mediolani* edidit Legem 4. *de Principib. agent. in reb.* C. Th. Si A. 387. ſacræ Geruaſij, ac Protaſij exuuiæ die XIX. Iunij translatæ fuiſſent, quo pacto Ambroſium virum illuc vſque ſibi infenſiſſimum tam citò Legati munere Iuſtina exornaſſet? Quoue etiam modo intra ſpatium trimeſtre eiuſdem Ambroſij, iterumque Domnini legationes, & Maximi in Italiam irruptio contingere potuiſſent? Certè locorum diſtantiam perpendenti aliud affirmandum videbitur, nempè A. ſuperiore 386. inuenta Sanctorum corpora, alteroque Anno reliqua ad Maximum ſpectantia accidiſſe. Paulinus in Vitâ S. Ambroſij hoc rurſus ſuadet; enarratâ enim hac inuentione ſubdit: *Sanctus verò Ambroſius Epiſcopus maioris humilitatis vir factus donatam ſibi à Domino gratiam reſeruabat, creſcebatque quotidie Fide, & amore coram Deo, & hominibus*. Ambroſium poſthæc legationem ad Maximum ſuſcepiſſe affirmat. Igitur quum *quotidie Fide, & amore coram Deo*, antequam Legatus Treuiros peteret, Ambroſius creuerit, non modicum tempus inter Martyrum inuentionem, legationemque ſuſceptam interceſſit, atque iccircò non vno A. 387. hæc omnia fuere peracta. Quæ autem huculque retulimus ſummum ex Proſperi Chronico robur mutuantur. Ita apud illum in edit. Labbei tom. 1. Nouæ Biblioth. iſta digeruntur.

Num. II. Iuſtina mater Valentiniani Arianis fauens in Ambroſium, & in

in Mediolanenſem Eccleſiam diuerſa iniuriarum genera congerit. Reliquiæ Geruaſij, & Protaſij Martyrum ab Ambroſio primùm Mediolani repertæ. Hymni Ambroſij compoſiti, qui numquam ante in Eccleſijs Latinis modulis canebantur.

Num. III. Maximus irrumpit. Valentinianus ad Theodoſium confugit. Auguſtinus Mediolani Rhetoricam ad primè docens omiſſis ſcholis ad Fidem rectam conuertitur, cum ante Manichæus fuiſſet.

Num. 4. Theodoſius cum exercitu ad Italiam tranſgrediens Maximum interfecit.

Viden hîc ſeruatâ annorum ſerie vniuerſa tradi? Annum 386. reſpicit ſecundus numerus, ibique detectæ Sanctorum Reliquiæ dicuntur. In tertio, hoc eſt A. 387. Auguſtini Baptiſmus refertur; & quartus demum numerus Maximi interitum in Annum 388. confert, quemadmodum & reliqui affirmauere Chronologi. Sed iam tempus poſcit, vt maximum huiuſce ſententiæ aſſertorem Em. Noriſium in Opuſc. de Itiner. S. Auguſtini commendem; quum enim per tantum virum profecerim, & ad illum debita gloria referenda, & ſingulare huic opinioni pondus ab illius ſuffragio accedere fatendum eſt. Clariſſ. quoque virum Antonium Pagium in Critic. Baron. ad A. Ch. 387., ac Hermantum in Vitâ Gallicâ S. Ambroſij noſtris in caſtris militare animaduerti; quibus viris (& quanti quæſo ſunt) quis iam ſubſcribere dedignetur? Verùm patientiâ tuâ diutiùs abuti nolo, Rubine ornatiſſime, ne ſi quid obſequij profeſſione meruerim, nimiâ loquendi libidine perdatur. Vtinam tu quoque ad vrbis Mediolanenſis dignitatem operas tuas aliquandò conferas, ſtudijſque tuis publicæ luci redditis ingenij tui felicitatem prodas; tunc enim eruditiſſimum tantæ vrbis illuſtratorem literaria Reſpublica ſuſpiciet, certè grauiorem deinceps deſiderare nequibit. Vale.

Ad S. PAVLINI verſum 402.
Multa etenim ſuberant alia &c.
Nat. XI.

DISSERTATIO XVI.

De templorum apud veteres Chriſtianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum vſu. ad Cl. & Eruditiſſimum virum ANTONIVM MAGLIABECHIVM Ser. Etruriæ Ducis Bibliothecarium.

SI te iudicem, Clariſſime Magliabechj, in aliquâ eruditionis causâ ſiſterem, vtique electioni meæ vel ipſi aduerſarij ſuccenſere non poſſent, quum virum omninò eruditiſſimum, & Reipub. Literariæ columen in illud tribunal aduocarem, ex quo ſolida continuò foret expectanda ſententia. Et reuera nunc tibi huiuſmodi munus iniunctum velim, dum de ſacris Eccleſiarum ornamentis loqui in animum induxi, non vt Paulinum meum tantummodò illuſtrem, ſed vt conſuetis etiam Nouatorum calumnijs ex parte occurram. Cardinalis Baronius vir æternùm laudandus in Annal. ad A. C. 57. & 58. Eccleſias pluribus, iiſque ditiſſimis ornamentis antiquitus fuiſſe refertas magno eruditionis robore ſtatuerat. Non multos verò ante annos tanti viri ſententiam arrodere auſus eſt Iohannes Henricus Ottius Caluiniſta profeſſor in libro, cui titulum fecit: *Examen perpetuum Hiſtorico Theologicum in Card. Baronij Annales*. Dicam neque maleuoleutiâ ductus, neque inuidiam ſcriptori facturus; liber ille magno hiatu magna ſpondebat, ſed in ridiculum murem feſtiuiſſimè fætus euaſit. Et profectò ſi aliud examen huic *examini* quis ſibi reponendum ſumeret, atramento citiùs, ac papyro deſtitueretur, quam ab erroribus caſtigandis temperaret. Illam ego interim partem refellere decreui, quæ de ſacrarum ædium ornatibus agit, beneficio Paulini potiſſimùm fretus, quo nemo meliùs, nemo apertiùs hæc ſeculis futuris reliquit expreſſa. Laudat Ottius Alexandrum Seuerum Ethnicum Imperatorem, vtpote qui Templis aurum inferri vetuit, recitatis ad id Perſij carminibus:

Dicite Pontifices: in ſacris quid facit aurum?
Quin Superis iuſtos mores, caſtoſque probamus.

Atque hæc ſubdit: *Tu verò ſodes confer hæc cum modernorum Pontificiorum templis, atque Monaſterijs*. Ad annum verò 58. ſ. 36. relatis verbis Actorum 20. 8. *Erant lucernæ non paucæ in cænaculo, vbi erant con-*

gregati, hæc habet: *Hinc Baronius cereorum, lucernarum, ſeu luminum vſum obtrudere nobis, & ex medio Iudaiſmo, atque Gentiliſmo in Chriſtianum orbem, ceu alter ceroforarius, inferre vult*. Tum oſtendere pergit cereos olim in Eccleſiâ accenſos non diurnis exercitijs, ſed nocturnis adhibitos. Rem paucis expediam. Et quidem quum Paulini noſtri carmina euoluo, tam ad vnguem expreſſa intueri mihi videor Eccleſiarum noſtrarum & vſum, & ornamenta, vt nullam maiorem concordiam reperiri poſſe arbitrer. Pretioſa olim in ſacris ædibus ornamenta fuiſſe, & quidem auro, & argento decorata en tibi Paulinus Nat. VI. teſtatur:

Cedo, alij pretioſa ferant donaria, meque
Officij ſumptu ſuperent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,
Siue coloratis textum fucata figuris.
Hi læues titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis. &c.

In Natali verò XI. præter alia non minori pretio inſignia Crux aurea his verſibus exprimitur:

Multa etenim ſuberant alia, vt noniſtis, in ipſo
Ornamenta loco, quæ ſumeret, vt Crucis auro
Parceret; Intus enim latitabant myſtica vaſa
Sumendis mandata Sacris.

Quo vltimo carmine non aliud intelligendum cenſeo, quam Calices, è queis Dominicus Sanguis hauriebatur à Fidelibus, aliaque huiuſmodi vaſa ſacra. Aderant & lucernæ argenteæ.

——————— *Minus eſſet*
Criminis, & pretij ſuſpenſam altaris ab orâ
Longius, argentoque leuem emendare lucernam.

Et infrà: *Continuum ſcyphus eſt argenteus aptus ad vſum.*

Crux ipſa, quam adeò venuſtè Paulinus exprimit, non auro tantùm grauis erat, ſed & gemmis concinnè exornatam gerens coronam ſui pretium augebat. Ait de aureis, hoc eſt de Cruce, coronâque aureâ, in quæ dextram latro porrexerat:

Quæ ſimul & varijs ſcitè diſtincta lapillis
Viderat. ———————

Iterum S. Poeta coronam gemmis grauem aſſerit:.

Parua corona ſubeſt varijs circumdata gemmis.

Multis præterea verbis lampades deſcribit:

At medio in ſpatio fixi laquearibus altis
Pendebant per abena caui retinacula lychni &c.

Idem Natal. 9.

——————— *Tectoque ſupernè*
Pendentes lychni ſpiris retinentur abenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus, vndantes flammas leuis aura fatigat.

Natali 3. lampadum frequentiam circa altaria ſic memorauerat:

Clara coronantur denſis altaria lychnis &c.

Natali etiam VII. vitream lucernam, vt moris ſui eſt, graphicè deſcribit, & Nat. XI. alias è metallo fabrefactas omnium oculis ſubijcit. Hæc & alia refert Poeta noſter, partim etiam videnti populo deſcribere non ſuſtinet, ne tædium audientibus ingerat, aitque compendij ergò:

Munera erant de more ſita, hæc quæ cernitis illic
Omni prompta die. ——————

Illuſtris autem eſt candelabrorum mentio ſubſequentibus in carminibus:

——————— *vel circumfixa per omnes*
Ordine dimenſo quaſi candelabra columnas,
Depictas extare gerunt quæ cuſpide ceras,
Lumina vt incluſis reddantur odora papyris.

Quot igitur, quantùmque pretioſa ſacris in ædibus tum temporis ornamenta haberentur, expreſſum intuemur, quibus addere iuuat quædam aliunde petita loca, ne nudum Paulinum exhibeam. Theodoritus Lib. I. cap. 31. Hiſt. *Διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιθοκαλλήτοις χρυσοῖς. Ornabatur autem & diuinum altare regijs velis, donarijſque aureis gemmatis.* Euſeb. in vitâ Conſtantini lib. 4. cap. 59. Apoſtolorum Templum ab eodem Imperatore Conſtantinopoli deſcribens interius tectum aſſerit vniuerſum auro fuiſſe contectum. Aur. Prudentius item Paulino coæuus Periſteph. in Hymno S. Laurentij tyrannum ſic adloquentem inducit:

Hunc eſſe veſtris Orgijs
Moremque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis,
Libent vt auro Antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis Sacris
Adſtare fixos cereos.

Feruentibus igitur in Chriſtianam Religionem Ethnicorum minis etiam pretioſis vaſis vtebatur Eccleſia. Occultè id quidem propter timorem factum, ſed tamen factum. S. Aug. lib. 3. contra Creſconium cap. 29. hæc profert ex Geſtis Proconſularibus habitis *Conſtantio Maximo Auguſto, & Conſtantino iun. Nob. Cæſ. Coſſ.* hoc eſt A. C. 320., vt rectè ſtatuit Valeſius, non verò vt putauit Baronius, 306. *Poſteaquam apertum eſt, in Bibliothecâ inuenta ſunt ibi armaria inania. ibi protulit Syluanus capitulatam argenteam, & lucernam argenteam.* Sed & ante ſcriptum erat *Calices duos aureos, itemque calices ſex argenteos* ab eodem Syluano traditos. Hæc Auguſtinus, vt Syluanum euincat perſequutionis tempore fuiſſe *traditorem*. Anaſtaſius Bibl. (ſeu antiquior Libri Pontificalis Auctor) *in Syluestro* præter alia vaſa aurea, ac argentea hæc memorat: *Donauit patenam argenteam penſantem libras viginti, ſcyphos argenteos*

duos,

duos, qui penſauerunt ſinguli libras denas. Amas argenteas duas &c. *& ibidem: Obtulit candelabra auricalcha ſeptem ante altaria, quæ ſunt in pedibus decem &c.* Candelabra quoque exprimit Athanaſius in Ep. ad Orthodoxos. Celebris autem S. Ambroſij ſententia euaſit in lib. 2. Offic. cap. 28., quam etiam Gratianus refert in c. aurum. 12. q. 2. Ait ibi: *Aurum Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget &c. Quid enim dices: Timui ne Templo Dei ornatus deeſſet? Reſpondebit: Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur &c.* Proſequitur verò, & aperto ſermone pretioſam ſacris ædibus fuiſſe ſuppellectilem aſſerit, omnium conſenſu probatam, & egenorum nihilò ſeciùs præſidio deſtinatam. Sunt hæc, doctiſſimè Magliabechi, venerandæ antiquitatis argumenta, quæ Nouatoribus opponamus noſtrarum Eccleſiarum ornamenta calumniantibus. Quid ergò Satyricum in nos producunt hæretici, ac Ethnicam, inſulſamque ſententiam canunt? *In Templis quid faciat aurum* quærunt, ſed eos elegantiſſimè caſtigat Iohannes Tomcus Boſnenſis Ep. in Orat. pro Eccleſ. ornam.

Quod autem ſpectat ad alteram propoſiti partem, quâ contendit Ottius cereos, lucernaſq; non niſi nocte accendi conſueuiſſe in Eccleſijs, Paulinum ecce pro nobis ſtantem in medium adduco. Inquit iſte Natal. III.

Clara coronantur denſis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieque micant. Sic nox, ſplendorque diei
Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Nihil clarius occurrit. Sed & Nat. XI. ſic ait:

——————— *His ſcyphulis incerta relucent*
Lumina, cum fert feſta dies.

Et infra ſcyphuli meminit ad continuum luminis vſum deſtinati:

Continuum ſcyphus eſt argenteus aptus ad vſum,

Qui & noctu diuque lucebat, quemque importuno ſibi lumine micantem fur extinxit. Diſtinguendum itaque reor inter ſacras antiquorum lucernas eo pacto, quo inter æui noſtri lampades, ac lumina diſtinguitur. Alia enim lumina nocturno tempori, alia diurno inſeruiebant, omnia tamen in templi cultum excogitata. Quæ lampas modò dicebatur relucere, quum ferebat feſta dies, noctu hoc munere carebat. Audi ſubſequentes verſus:

——————— *Tunc verò ſine vſu*
Luminis ad ſpeciem tantùm ſuſpenſa manebat.

Superiùs verò alias deſcripſerat lucernas nocti illuſtrandæ deſtinatas. At Ottius lucernas haſce nocturnas neceſſitati ſacra facientium adſcribit, non Eccleſiæ cultui. Hallucinatur Caluiniſta, quandoquidem quum latro hic ad furta acceſſit, lampas illa nullis tum Sacris peragendis lumen præbebat; quin expreſsè illam quauis nocte, imò per totam noctem, lu-

cere

cere conſueviſſe dignoſcimus, ait enim de ſcypho loquens:

Hunc importuno ſibi lumine prædo micantem
Protinus extinguit, namque id quoque nouerat idem
Sæpè ſolere mori, cum ſtuppa perarida longam
Conderet in noctem conſumpto lumen oliuo &c.

Igitur in pium Religionis, ſacræque ædis cultum noctu non minùs, quam interdiu lampades adhiberi ſolebant. Quo ſanè expreſſius nihil reperiri poteſt. Addam etiam Venantij Fortunati, qui vno poſt Paulinum ſeculo floruit, teſtimonium. Deſcribit ille lib. 5. carm. 5. diem feſtum Aſcenſionis, populorumque ad Eccleſiam concurſum, & ait:

Vndique rapta manu lux cerea prouocat aſtra,
Credas vt ſtellis ire trahendo comas.
Lactens hinc veſti color eſt, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.
Inter candelabros radiabat & ipſe Sacerdos &c.

Nunc armis Baronij rem agam. Citat ille Epiphanij Epiſtolam ad Iohannem Hieroſol. Ep., vbi ait: *Quum veniſſem in villam, quæ dicitur Arablatha, vidiſſemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogaſſemque quis locus eſſet, didiciſſemque eſſe Eccleſiam &c. Accidit id quidem*, vt ait Baronius, *interdiu, nam noctu non mirum multas vidiſſe vbique lucernas*. Conſtat autem ex pluribus antiquis Patribus cereos laudabili vſu in templis comburi ſolitos, quod probare ſuperuacuum foret. Repetit tamen Ottius Hieronymi auctoritatem ab Annalium parente ſatis ibidem explicatam, & hîc integram victoriæ ſpem ſiſtit. Inquit S. Doctor ad verſ. Vigilant: *Cereos non clarâ luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed vt noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod ſi aliqui propter imperitiam, & ſimplicitatem ſecularium hominum, vel certè religioſarum fæminarum, de quibus verè poſſumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam. Hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Verùm hîc animaduertendum negare Hieronymum non potuiſſe diurnam cereorum accenſionem, quum id & in Occidente, & Hieroſolymis in vſu fuiſſe ſupra exploratum effecerimus, & ipſe ibidem hæc habeat: *Per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria iam Sole rutilante non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum*. Ipſe quoque Vigilantius omninò mentis expers fuiſſet, ſi quum nullibi id moris comperiſſet, adhuc inflatis buccis hæc protuliſſet: *Videmus moles cereorum ſole fulgente accendi*. S. Cyrillus Hieroſ. Hieronymo antiquior in Præf. ad Catecheſes, & alibi. S. Greg. Nazianz. Hieronymo coæuus in Orat. 40., alijque teſtantur in Baptiſmate conficiendo luminaria incendi ſolita. Igitur diurnus cereorum vſus negari non poterat. Cauſa itaque, cur incenderentur, Vigilantium ad calumniam Catholicis infligendam mouerat; arbitrabatur enim id à religioſis populis fieri, quaſi

Mar-

Martyres aliquâ illuſtratione, & lumine crederentur egere, vt beati eſſent? Non vendo coniecturam meam, ſed ipſam Vigilantij calumniam. Sunt eiuſdem hæretici verba: *Magnum honorem præbent huiuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos Agnus, qui eſt in medio throni cum omni fulgore maieſtatis ſuæ illuſtrat*. Reſpondet ergò Hieronymus non clarâ luce accendi Cereos ab hominibus hac ratione adductis, ſed ad lætitiæ ſignum, vt infra Euangelicis exemplis probat, neque ſub hac prauâ opinione nocturno tempore ſolere luminaria incendi, ſed vt noctis tenebræ hoc ſolatio temperentur, ne cæci cum Vigilantio in tenebris dormiant. Tum ſubſequitur, ac ſi qui forent inter ſeculares homines, fæminaſque religioſas, qui hoc facerent ſub eâ ratione, quæ Vigilancio in mentem venerat, eos excuſat, & zelo Dei, ac ſine crimine id peractum enincit. *Si faciunt*, ait, *quid inde perdis? Cauſabantur quondam & Apoſtoli quod periret vnguentum, ſed Domini voce correpti ſunt; neque enim Chriſtus indigebat vnguento, nec Martyres lumine cereorum*. En iterum Vigilantij mens expreſſa. Credebat ille cereos ideò incendi à Fidelibus, quia lumine illo Martyres indigerent, & hinc illum Hieronymus prolato exemplo increpat. Si Chriſtus, cui vnguenti nulla erat neceſſitas, fæminam vngentem laudauit, cur & nos Chriſtianum non commendemus, qui Martyribus lumine haud quaquam egentibus cereos accendit? At ſecundùm ſcientiam non faciunt. Illud verum omne; neque enim Sanctorum beatitati quicquam confert terrenum lumen. Sed quid inde? Fides accendentibus prodeſt. *Quicumque*, ait infrà egregius Doctor, *accendunt cereos ſecundùm fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo: Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat. Idololatras appellas huiuſmodi homines?* Idem etiam in Epiſt. ad Riparium dixerat: *Accenſine ante tumulos Martyrum cerei idololatriæ inſignia ſunt?* Pergit porrò Ottius, & hæc Lactantij verba lib. 6. cap. 2. laudat: *Num igitur mentis ſuæ compos putandus eſt, qui auctori, & datori luminis candelas, ac cereorum lumen offert pro munere?* aitque ita Papiſtis diſplicuiſſe, vt hanc propoſitionem inter Lactantij errores numerarint, cauſamque Gentilium contra Doctorem Chriſtianum defendant. Sunt illuſtres calumniæ ignaro in nos brachio intortæ. Nemo inter ipſos Heterodoxos habetur, qui plures in Lactantio næuos non agnoſcat. Qui grauiores lapſus eſt in errores, in minorem hunc ruere potuit. Sed neque cenſurâ hîc dignus Lactantius, vt mecum omnes conſentient Catholici, quin potiùs eius cenſores caſtigandi. Agit ille in Ethnicos, eorumque cæcitatem validis excipit argumentis, eâ enim ducti Deo tamquam in caligine ſito, luminibuſque indigenti cereorum lumen offerebant. En aperta Lactantij verba: *Mactant igitur opimas, ac pingues hoſtias Deo quaſi eſurienti, profundunt vina tamquam ſitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti*. Id etiam alijs inculcat, quæ apud eumdem videre licet. Si à quibuſdam è noſtris hîc Firmianus carpitur, hîc ipſi cenſurâ ſe exhibent dignos, vt in alijs non paucis ſe exhibuere teſti-

monio

monio Poſſeuini. Non diffiteor tamen hinc impudenti alicui hæretico anſam præberi poſſe Catholicum cereorum vſum impetendi; Sed videant illi an eiſdem in nos mucronibus pugnent, quibus in Gentiles ferebatur Lactantius? Nos Deo, luminum patri, lumina offerimus honoris gratiâ, non vt ab eius oculis caliginem depellamus. Hoc in Lactantio potiùs excuſandum, quam arguendum, qui nondum ſolidis Fidei rudimentis imbutus in arenam contra Ethnicos deſcendit, cui nil penſi fuit Religioni ſacræ patrocinium parare, dum eius aduerſarios profligaret. *Vtinam*, de illo ait ad Paulinum noſtrum Hieronymus ſcribens Ep. 13., *tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facilè aliena deſtruxit*. Peruersè igitur nos aſſerit Ottius contra Doctorem Chriſtianum cauſam Gentilium ſuſcepiſſe, neque minùs ſobriè litem nobis intentat, quia de Idololatris, ac Hebreis in Catholicam Eccleſiam cereorum vſum deriuemus. Plura ſunt, quæ ex Ethnicis, Iudæiſque ad nos fuere tranſlata, neque tamen ipſis Acatholicis ſtomachum mouent, ſed venerationem quam maximam incutiunt. Cur ergò nos hîc arguendos impudenter arripiunt? Nimirum illis ego Hieronymum obijciam de propoſito cereorum vſu ita loquentem: *Non diffiteor omnes nos, qui in Chriſto credimus, de errore Idololatriæ veniſſe; non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus Idola, num colere Deum non debemus, ne ſimili eum videamur cum Idolis honore venerari? Illud fiebat Idolis, & idcircò deteſtandum eſt, hoc fit Martyribus, & idcircò recipiendum eſt*. Auguſtinus, quoque lib. 21. contra Fauſt. cap. 10. huiuſmodi verbis hæreticorum oppoſitionem occupat, de Paganorum, Iudæorumque Sacrificijs loquens. *Tantum*, ait, *intereſt inter Sacrificia Paganorum, & Hebreorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænunciantem. Sicut autem non ideò contemnenda, vel deteſtanda Virginitas eſt Sanctimonialium, quia & Veſtales Virgines fuerunt, ſic non ideò reprehendenda Sacrificia Patrum, quia ſunt & Sacrificia Gentium, quia ſicut inter illas virginitates multum diſtat, quamuis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voueatur, atque reddatur, ſic inter Sacrificia Paganorum, & Hebreorum multum diſtat eo ipſo, quod hoc ſolum diſtat, quæ cui ſint immolata, & oblata; illa ſcilicet ſuperbæ impietati Dæmoniorum, illa vero vni Deo &c.* Quid itaque, Magliabechi celeberrime, ad iſta obmurmurabunt hæretici? Audiere tot veterum teſtimonia diurnum cereorum vſum aſſerentia, Paulinum noſtrùm audiunt, quo nemo meliùs aduersùs illos hoc in propoſito certat. Si tot Sanctos in præuaricatorum album conijciendos arbitrantur, hoc illorum eruditioni, quum maiora etiam audeant, integrum relinquamus. Vale.

Ad Sancti P A V L I N I *verſum:* Cellula de multis &c. *Nat. XI.*

DISSERTATIO XVII.

Vbi de veterum Chriſtianorum ſepulcris. Ad Clariſſimum, doctiſſimumq; virum IOANNEM CIAMPINVM Romanum, Magiſtrum Breuium Gratiæ, Literarum Apoſtolicarum Maiorem Abbreuiatorem, & in vtraq; Signaturâ Referendarium.

EMerſit apud nonnullos opinio, Ciampine vir eruditiſſime, ſcilicet priſcis temporibus haud quaquam licuiſſe in ſacris ædibus Fidelium Chriſtianorum corpora tumulare, quia quibuſdam Imperatorum edictis id interdictum deprehenditur. Hinc egregius Scriptor Cabaſſutius ad Can. VI. Concilij Namnetenſis: *Seriùs*, ait, *in vſum Eccleſiarum receptum fuit, vt Fidelium cadauera intra templorum ambitum ſepelirentur*. Tum Gregorij Magni temporibus hanc inualuiſſe conſuetudinem concedit, quippe quæ ex eius Dialogis euidenter eruitur. Citantur in hanc rem Can. 36. Concilij Bracarenſis Primi, vbi *intra Baſilicas ſepeliri Fidelium cadauera probibentur*, & Can. 17. Concilij Triburienſis Anno 895. coacti illud idem interdicens. Pro his etiam militant lex 2. C. de Sacroſan. Eccleſ., in quâ ſic legitur: *Nemo Apoſtolorum, vel Martyrum ſedem humanis corporibus exiſtimet conceſſam*, & lex vlt. C. Theod. de ſepulcr. viol. his expreſſa verbis: *μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ τάπτετο νεκρὸν, nemo in Eccleſiâ ſepeliat mortuum*. Kepperus heterodoxus homo in Polit. Eccleſ. lib. 1. cap. 15. poſtquam ſimiles protulit auctoritates in hanc mirabilem ſententiam deſcendit: *Poſtquam verò, creſcente ſuperſtitione, ſacra pro defunctis ſub Gregorio Magno fieri cæperunt, tunc etiam Cæmeteria templis vicina fecerunt Monachi, & ſacrificuli, vt ſacra illa faciliùs obire, & quæſtum maiorem facere poſſent*. Eſt hæc & plurium Nouatorum inuidioſa de nobis opinio. Verùm apertè nimis hunc hæreticum, eiuſque aſſeclas falli, ſimulque apud veteres in vſu fuiſſe, ac non ſine laude peractum, vt in ſacris ædibus Fidelium cadauera humarentur, ſolidis euincere teſtimonijs poſt eruditiſſimum Spondanum nitar, quibus præſentium temporum morem cum antiquis conſentire penitus oſtendam. Sunt Paulini carmina:

 Cellula

Cellula de multis, quæ per latera vndique magnis
Adpoſitæ tectis præbent ſecura ſepultis
Hoſpitia. ———————

Hæ profectò cellulæ in ipſâ fuere Baſilicâ, eiuſque partem conſtituebant; dixerat enim Paulinus furem clauſis Baſilicæ foribus incluſum, iiſque recluſis mane fugam arripuiſſe:

——— *Harum vnâ fur abditur, atque vbi mane*
Clauſtra patere videt, reſeratâ proſilit aulâ.

Nihil verò aliud mihi videntur, quam eædem, quas nos Italico ſermone vocamus *Capelle*. Quod & ex eiuſdem Paulini ad Seuerum Epiſtolâ XII. manifeſtè iterum probo: *Totum*, inquit ille, *extra Concham Baſilicæ ſpatium alto, & lacunato culmine geminis vtrimque porticibus dilatatur, quibus duplex per ſingulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubicula* (en tibi Capellæ præfatæ) *intra porticus quaterna longis Baſilicæ inſerta ſecretis orantium, vel in lege Domini meditantium, præterea memoriis Religioſorum, ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent.* Rurſus ecce vides in hiſce Cubiculis tumulos Chriſtianæ gentis fuiſſe ſitos. Lateribus autem Baſilicæ cellulæ iſtæ, ſeu Cubicula inſita erant, eodemque procul dubio ordine, quo præſentium temporum Capellæ diſpoſitæ conſpiciuntur; Siquidem porticus ibi memoratæ, intra quas cellæ collocabantur, ecquid aliud ſunt quam quæ nobis *laterales Baſilicæ naues* nuncupantur? Geminas porrò huiuſmodi naues extra maiorem Eccleſiæ concham vtrimque ſitas alto, ac magnifico opere, ſuiſque columnis deſtinctas videre eſt in immani, mirabilique Eccleſiâ Metropolitanâ Mediolani, tibique in Vrbe æternâ degenti plura circumquaque exempla ſuppetunt. Sed vt Cubiculorum, quæ Paulinus memorat, ſignificationem euidentiùs attingamus, en tibi Anaſtaſij Bibliothecarij in Sergio Papâ hac de re teſtimonium: *Hic tectum*, ait, *& cubicula vniuerſa in circuitu Baſilicæ B. Apoſtoli Pauli ſtudioſiùs renouauit, ac reparauit.* Defunctos autem vitâ hiſce in Cubiculis tumulatos ex eodem Auctore diſcimus in Marcellino: *Hic ſepultus in Cœmeterio Priſcillæ in Cubiculo claro.* Quin & apud Græcos vſurpatum eodem ſenſu Cubiculi nomen. Anonymus de Locis Sanctis cap. 1. apud Clariſſ. Du Freſnium in Gloſſ. med. & inf. Latin. Καὶ εἰς τὸ μέσον τῆς τρούλλας εἰς τὸ ἔδαφος κυβούκλιον πέτρινον ὡραιότατον: *& in medio Trulli ſuper ſolum iacet Cubiculum ex marmore formoſiſſimum.* Idem Anonymus cap. 15. refert τὸ μνημεῖον τῆς Ῥαχὴλ κυβούκλιον πέτρινον: *monumentum Rachelis in Cubiculo marmoreo*, Eadem Cubicula quoque οἰκίσκοι appellabantur à Græcis. S. Nilus in deſcriptione Templi ab Olympiodoro Præfecto extructi ſic ait: ἐν δὲ τῷ κοινῷ οἴκῳ πολλοῖς, καὶ διαφόροις οἰκίσκοις διειλημμένῳ ἀρχῆσθαι ἕκαστον οἰκίσκον πεπηγμένῳ τιμίῳ σταυρῷ &c. *In communi verò æde multis variiſque diſtinctâ Cubiculis attolli Cubiculum vnumquodque, compoſitâ intus venerabili Cruce.* Itaque iſtis in cellulis quum piorum memoriæ, ſeu tumuli ſtatuerentur, euidenter elucet in

Baſi-

Baſilicis Fidelium ſepulcra fuiſſe locata. Alius præterea pius inter Catholicos vſus obtinuit ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, vt Martyres in ſacris conderentur ædibus, vti in notis animaduerti ad illud carmen in Nat. XI.

Quæ cineres reuerenda tegunt altaria ſacros,

vbi etiam innui fas non fuiſſe templa abſque Martyrum corporibus, aliquibuſue Reliquijs ſacrare. Illud certiſſimum, & extra omnem dubitationis aleam poſitum. Alius autem mos erat Fidelibus, nempe omni ſtudio curare, vt SS. Martyrum corporibus cadauera ſua apponerentur, quia tantorum apud Deum interceſſorum precibus ſe fortiùs adiuuandos arbitrabantur. Paulinus in Panegyr. Celſi pueri hæc de filio ſibi defuncto habet:

Quem Complutenſi mandauimus vrbe propinquis
Coniunctum tumuli fœdere Martyribus.
Vt de vicino Sanctorum ſanguine ducat,
Quo noſtras illo purgat in igne animas.

Sanctus quoque Auguſtinus à Paulino meo interrogatus, *an cuique poſt mortem proſit, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam ſepeliatur* (ſunt eius verba lib. 2. Retract. cap. 64.) librum vnum repoſuit *de curâ pro mortuis gerendâ*. Ibi verò ait: *Hoc abs te vidua memorata petiuerat pro defuncto in eis partibus filio ſuo, & reſcripſeras conſolans eam, idque etiam nuncians de cadauere fidelis iuuenis Cynegij, quod materno, & pio affectu deſiderauit eſſe completum, vt ſcilicet in Beatiſſimi Felicis Confeſſoris Baſilicâ poneretur*. Probat ibidem hanc piam conſuetudinem Auguſtinus, neque ab hoc fideli iuuene tantùm, ſed ab vniuerſis Fidelibus vſurpatam affirmat. In calce libri hæc ſatis expreſsè ſubijcit Doctor magnus: *Quod verò quiſque apud memoriam Martyrum ſepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodeſſe defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur*. Vnuſquiſque igitur apud Martyrum tumulos ſepeliebatur, ac idcircò intra templorum ambitum. S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus Serm. 55. huiuſce rei fidem facit: *Ideo hoc*, inquit, *à maioribus prouiſum eſt, vt Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, vt dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergò Martyribus quieſcentes euadimus Inferni tenebras eorum proprijs meritis, attamen conſocij ſanctitate*. Florebat Maximus quinto Epochæ noſtræ ſeculo, & quum is *à maioribus prouiſum* aſſerat, vt oſſa noſtra Sanctorum oſſibus copulentur, continuò patet prioribus Eccleſiæ ſeculis Chriſtianorum cadauera in templis componere conſuetum fuiſſe. Nonnulla verò, vt multis parcam, iſtius rei exempla dabo non longè nimis adſcita, ſed Mediolani nata. Quietis locum in Ambroſianâ Baſilicâ ſub altari ſibi viuens deſtinarat S. Ambroſius, vbi dein SS. Geruaſij, ac Protaſij corpora locauit. Ait ille in Orat. ad populum de iiſdem Martyribus habitâ: *Hunc ego locum prædeſtinaueram mibi; dignum eſt enim,*

vt ibi requieſcat Sacerdos, vbi offerre conſueuit. Sed cedo ſacris victimis dexteram portionem. Locus iſte Martyribus debebatur. S. Satyrus eiuſdem Ambroſij frater, vir inter laicos dumtaxat connumeratus, parem ſortitus eſt quietis ſedem; ab amantiſſimo enim fratre in S. Victoris tumulo depoſitus eſt, additique ſepulcro verſiculi à Dungalo quoque relati:

Vranio Satyro ſupremum frater honorem
Martyris ad læuam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, vt ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuuias.

Aliud etiam in Ambroſianâ Baſilicâ non minoris antiquitatis pretijque monumentum occurrit, Manliæ nempe Dædaliæ Virginis piæ ſarcophagus his carminibus diſtinctus:

Martyris ad læuam recubent quæ membra ſepulcro
Vt Lector noſcas eſt operæ pretium.
Clara genus, cenſu pollens, & mater egentum
Virgo ſacrata Deo Manlia Dædalia.

Reliquos verſus à Grutero in Inſcript. volum. pete. Sed & S. Marcellina iuxta S. Ambroſij fratris tumulum requiem inuenit, quod, vt apertiſſimum, probatione non indiget. Hi igitur omnes, quod Eccleſiaſticus poſcebat vſus, intra ſacrarum ædium ambitum ſepulturam aut in viuis conſtituti ſibi deſtinauerant, aut poſt mortem aliorum ſtudio ſunt nacti, vt mirer Cabaſſutium in hæc verba exilijſſe: *Verùm non in aliâ templi parte, quam in veſtibulo, conditus Conſtantinus Auguſtus, quod idem cenſendum pariter exiſtimo de Epiſcopis.* Atqui S. Ambroſium, reliquoſque Fideles vnà cum SS. Martyrum cineribus cineres ſuos compoſuiſſe tam certum, vt nihil hæſitationis obueniat. Quum verò SS. Martyres ſub templorum altaribus quieſcerent, quis non videt Chriſtianos quoque Fideles, nedum Epiſcopos, in interioribus ſacrarum ædium penetralibus ſuam inueniſſe ſepulturam? Quam autem improuidè ad contrarium firmandum Canon Concilij Moguntiaci inducatur, quem refert etiam Gratianus in c. nullus. 13. quæſt. 2., nemo non videt. Eſt ille his conceptus verbis: *Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut Fideles laici.* Etiam laicos Fideles præter Epiſcopos, & Presbyteros templis inferri poſt mortem ſolitos hinc diſcimus, tantum abeſt, vt contrarium inde ſuadeatur. Itaque ſolos Infideles, Hæreticoſue, aut etiam laicos parum pios, puta ſine pænitentiâ defunctos, vſuris addictos, occiſores, aut huiuſmodi morbis tactos reſpicit laudatus Canon, quos à ſacris in Eccleſiâ ſepulturis arcendos omninò conſtituit. Quod ſi quidam Canones, & Imperatorum leges aduersùs pium hunc morem emanarunt, non alia ratio in causâ fuit, niſi quia nimis in ædibus ſacris tumulorum cadauerumque moles augebantur, vt propterea coercendi ex parte fuerint Chriſtiani, quibus extra Eccleſiam ſacer locus alium aperiebat ſepulcri campum. Hincmarus

Rhemenſis Epiſcopus in S. Remigij Vitâ apud Sur. tom. 1. quamdam *Eccleſiolam* memorat, *in quâ eique circumiacentibus atrijs ex antiquo erat Cæmeterium Rhemenſis Eccleſiæ*. Vides igitur *ex antiquo*, videlicet ante S. Remigij tempora, qui ſeculo Chriſti quinto degebat, tum in ipſis Templis, tum etiam circa illa Chriſtianorum tumulos fuiſſe conſtitutos. Gothofredus ad l. 9. C. Theod. Tit. 17. de ſepulcr. viol. *Obſeruandum*, ait, *etſi Chriſtianâ Religione inualeſcente contra legem obtinuerit Sanctorum Reliquias in Ciuitatibus condi, atque ad eiuſmodi ſepulcra plerumque adiculæ, ſeu Martyria extructa fuerint, in quibus Imperatores Conſtantinopoli, mox & Sacerdotes ſingulari priuilegio fuerint ſepulti, priuatis tamen idem non licuiſſe.* Hæc iuxta legis ſenſum, quibus & ego lubens ſubſcribo. At hinc illud diſcimus, in vrbanis quidem templis per aliquod tempus interdictam Fidelium ſepulturam, quia & antiquis Ethnicorum placitis, & Chriſtianorum pariter Principum edictis cautum erat, ne in vrbibus ſepulcrum mortuo concederetur; in Eccleſijs verò extra vrbem ſitis, cuiuſmodi primo Chriſtianæ Religionis æuo penè omnes erant, id non licuiſſe parum ſapit, qui negare ante tot veterum teſtimonia audeat. Non ſum denique eorum immemor, quæ tu in egregio opere de veter. Monim. tom. 1. cap. 17. Cæmeteria illuſtrando protuliſti, ſed apud temet ipſum tua adhibere inutilis opera cenſeretur. Vnum iccircò producam Onuphrium Panuinium virum tanti in antiquitatum ſcientiâ nominis, qui in ſuis ad Platinam additamentis libellum de Cæmeterijs iiſdem propoſuit. Docet autem *Cæmeteria non ſolùm Eccleſias fuiſſe, & Baſilicas, ſed aliquid amplius quam Eccleſiæ vrbanæ, ſepulcra ſcilicet Chriſtianorum, quæ intra Vrbem fieri non poterant, habuiſſe*. Id innumeris ille exemplis roborat, quæ apud illum, & apud Spondanum in lib. de Chriſt. ſepul. recolenda volentibus reſeruamus. Hinc igitur, Ciampine doctiſſime, ni mea me fallit opinio, eluceſcit quam impudenter Kepperus alijque hæretici in Chriſtianorum ſepulcra ferantur. Profectò non Gregorij Magni temporibus, nempe ſeculo Eræ noſtræ ſeptimo, vicina templis loca ſibi in tumulum vſurpare ceperunt Fideles, vt illi nobis inuidiam conflaturi ineptiunt, ſed ipſis prioribus Eccleſiæ ſeculis id apud non paucos receptum fuit, vt intra ipſas tumularentur Baſilicas. Quibus hucuſque enarratis ſi calculum tuum pro ſummâ, quâ polles, eruditione addideris, ego non tam quod hæreticorum calumniam euerterim, quam quod tibi placuerim, mihi ſummopere gaudebo. Vale.

Ad Sancti PAVLINI Natalem XII.

DISSERTATIO XVIII.

De votis votiuiſque Chriſtianorum oblationibus in Sanctorum venerationem factis. Ad Cl. Virum P. GVILLELMVM BONJOUR Ord. Eremitarum S. AVGVSTINI.

OBlationes, quas alicui Sancto voti cultuſque causâ Catholicus populus dicat, irridebat olim Eraſmus vir multâ eruditione petulans, & de Religione (ſi quam tamen tenebat) parum benè ſentiens. In Colloquio, quod *Naufragium* inſcribitur, hunc pium Eccleſiæ morem carpere inſtituit, apud ſubſequutos hæreticos non parum gratiæ iccircò nactus. Verùm tantam maledicendi libidinem allatis veterum Patrum teſtimonijs, ac vnō potiſſimùm Paulini mei oraculo fretus, neque breuitatis, neque modeſtiæ oblitus retundere ſtatui, tum vt calumnia, quam Nouatoribus hodiernis placere video, vno ictu confodiatur, tum etiam vt Sanctorum cultus veterum Patrum auctoritate fortiùs confirmetur. Tibi verò Clariſſime Bonjour breuem hanc diſquiſitionem offerendam cenſui, vt apud Literariæ Reipub. cultores perſpicuum fiat, quanto ſtudio, quantâque animi obſeruantiâ eruditionem proſequar tuam. Vbi enim prodijt tua illa Diſſertatio, quam de Ioſephi caſtiſſimi viri cultu ſub Serapidis nomine inſtituiſti, & cui Paulinum quoque Nolanum ſubſcripſiſſe intelliges, adeò in magnam tui admirationem ſui raptus, vt prope eruditionis prodigium mihi videreris. Et planè quid à te ſperandum non eſt, quum ad maturiores annos perueneris, ſi florentiſſimâ ætate adeò Philologicis doctrinis imbutum te prodidiſti? Parum tamen hoc tibi laudis fuiſſet, ni ſcientiam tuam modeſtiâ etiam, ac humanitate clariorem effeciſſes. Et illa quidem nunc eſt, quæ me laudibus tuis parcere cogit, hæc verò, quæ meis hiſce commentationibus animum fiduciamq;ad te accedendi fecit. Sed iam propoſita impleamus. Variæ antiquitus fieri ſolebant oblationes; Aliæ enim panis erant, ac vini, quæ in vſum incruenti Sacrificij transferabantur, & de illis Concilium Matiſconenſe Secundum cap. 4. ait: *Propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis, quam vini*. Cyprianus quoq; lib. de opere & eleem., Auguſtinus, ſeu alius Auctor Serm. 215. de Temp., Eligius Nouiom. Tract. de Rectitud. Cathol. conuerſ. tom. 1. Auguſtin., Bona Rer. Liturg. lib. 1. cap. 23. alijq; non pauci meminere. Aliæ erant oblationes olei, aut ceræ ad luminaria, de quibus præter laudatum Auctorem Serm. 215. de temp. loquitur Canon. 4. Apoſtolorum in hæc verba:

Mi

Μὴ ἐξὸν δὲ ἔσω προσάγεσθαί τι ἕτερον πρὸς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. Offerre autem non liceat aliud ad altare quam oleum ad luminare, & incenſum tempore ſacræ oblationis. Aliæ ſacrorum vaſorum, veſtium, ac ornamentorum fuere oblationes, quas Græci *ἀναθήματα* vocant, & de quibus omnium vberrimè Anaſtaſius Biblioth., Coccius tom. 2. lib. 6. art. 15., & Raynaudus Heterocl. Spirit. ſect. 2. puncto 3. verba faciunt. Aliud poſtremò oblationum genus nos docet Paulinus, quæ Sanctis ex voto, aut veneratione offerebantur. Hæ autem ex rebus quibuſcumque conſtabant, vt omnium pietati ſe accommodaret Sancta Religio. Diuites opulenta dona, pauperes quod ſibi, puſillum licet, ſuppetebat, Beatorum in obſequium conferebant. Neque hæc donaria voto carebant; vt enim quiſque Sanctorum opem ad effugienda pericula implorabat, voto etiam ſeſe obſtringere Sancto patrocinanti ſolebat. Huiuſmodi votorum (quæ tamen minùs propriè ſic appellantur) quam ſit rectus vſus, Theologis noſtris oſtendendum relinquo, non enim tantam meſſem mihi propoſui. Factum igitur, non ius hoc loco quærimus, & confeſtim huiuſce rei luculentus aſſertor Paulinus accedit in Nat. XII. ita loquens:

Venerat huc quidam placitum ſibi ſoluere votum
Vrbis Abellinæ de finibus aduena noſtris
Sedibus. Hic porcum ſtudio curante paratum
Dilatumque diu, vt ſimul annis, atque ſaginâ
Creſceret, huc illuc perduxerat, atque vbi venit
Pingue pecus voti iugulat de more vouentum.

Ecce quam apertis verbis antiquum eorum morem, qui Sanctis vota nuncupabant, hîc indicat Scriptor noſter. Repetit infra:

Et votum compleſſe putat ———————

Item: *In quibus heu demens oblati munera voti*
Fraude fidem violans conuerti in damna ſalutis.

Et alibi. ——————— *Confeſtim voti ratione ſolutâ*
Debitor ille intus meritæ compage catenæ
Soluitur ———————

Primum iſtud eſt S. Felicis miraculum, qui Abellinum incolam pro fraudatâ voti parte caſtigauit. Aliud à Paulino propriâ eius facundiâ, ornamentoque verborum refertur, vbi iterum votiuarum oblationum in S. Felicis cultum egregiam inijcit mentionem. Audiamus canentem.

Agricolæ quidam de noſtris longiùs oris
Apula trans Vrbem Veneuentum rura colentes
De grege ſetigero multis à fratibus vnum
Excerpſere ſibi, & curatum tempore multo
Pauerunt in vota ſuem, & cæpere paratum
Ducere ſancitam Sancti Felicis ad aulam.

Subdit: ——————— *Mens anxia nutat in anceps;*
Nam voti reuocare viam pia pectora nolunt.

Rurſus

Rurſus Felicis veneratum limina longè
Ire pudet vacuos deuoti muneris.

Steterat ſus pondere ſaginæ preſſus, ac propterea ijdem agricolæ ſues alios minores legerunt, vt votum omninò perſoluerent. Ait hinc Paulinus:

Quod deuota fides obſtricti debita voti
Maturare parans tali ratione putauit,
Pluribus vt modicis vnum penſaret opimum.
Ergò Sacrum huc venêre locum, votiſque patratis &c.

Tertium Paulinus memorat prodigium hiſce carminibus:

Nam genere abiunctam, pecus armentale iuuencam
Quidam homines aquè longinquâ huc ſede profecti
Secretam primò lactantis ab vbere matris
Nutrierant noſtris votiuo munere pactam
Pauperibus ———————

Sed & in Nat. VIII. hæc ait:

Omni namque die teſtes ſumus, vndique crebris
Cœtibus aut ſanos gratantia reddere vota
Aut ægros varias petere, & ſentire medelas.

Et hæc quidem erga Sanctum vota oblationibus etiam additis conſpicua erant. Omnes autem in pauperum alimenta cedebant, nempe *vt ſaturo gauderet paupere Martyr*, quod nos hiſce tribus exemplis Poeta ſacer edocuit, qui etiam dilucidè addit vota hæc Martyribus nuncupata. Audiamus.

——————— *Sed qui mos eſſe videtur*
Perſoluenda pijs longè ſua vota ferentum
Martyribus ————

Alia præter hæc vota Sanctis voueri conſueuere, quæ huiuſmodi oblationibus carebant. Quidam ſe Beatorum Baſilicas viſitaturos, alij ſe Feſtos eorum dies celebraturos vouebant, quorum votorum exempla nobis idem Paulinus præbebit. Morabatur ille in Hiſpanijs, quum Natalem primum cecinit, voueratque ſuum ad Nolanam Vrbem iter inuiſendi S. Felicis causâ. Itaque ait:

——————— *& quâ requieſcis in aulâ*
Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram
Vota, & gaudentes inter gaudere tumultus.

In Natali verò II. illud idem ſcribit quum ſe Nolæ reddidiſſet:

——————————— *tria tempore longo*
Luſtra cucurrerunt, ex quo ſolemnibus iſtis
Coram vota tibi, coram mea corda dicaui.

In Nat. IV. hæc habet: *Annua vota mihi remeant.* In Nat. V. itidem:

Exoptata dies anno, qua dulcia Feſta
Et mea vota nouas, &c.

Quod ſi quis *vota* his verſibus memorata pro puris putis precibus intelli-

telligenda eſſe contendat, dicat rogo, num preces ad S. Felicem eius tantùm Natali die funderet Paulinus? Hoc vtique non affirmabit; ait enim Paulinus Nat. IX.

——————— Nam quæ, rogo, votis
Caſſa dies oritur, vel magnis rara cateruis?

Igitur vota eo die nouata erant carmina, quæ S. Felici quotannis vouerat noſter vates; Hoc autem expreſſum reliquit ipſe Nat. VI.

Lex mihi iure pio poſita hunc celebrare quotannis
Eloquio famulante diem, ſolemne repoſcit
Munus ab ore meo Felicem dicere verſu,
Lætitiamque meam modulari carmine voto,

En carmen votum, en S. Felici promiſſum debitumque munus. Vide autem quàm benè hæc vota idem Paulinus à votiuis oblationibus ſupra relatis diſtinguat. Sic loquitur Nat. laudato:

Flenſque iterum, ſed lætitiâ, modò debita Sancto
Vota refert, non ære graui, nec munere ſurdo,
Munere ſed viuo linguæ, mentiſque profuſus.

Paulino, qui hucuſque rem confecit, iuuat alios apponere propoſiti noſtri teſtes, vt in lucem meliùs veritas efferatur. De S. Felice Nolano Epigramma etiam elaborauit S. Damaſus Papa, cuius poſtremi verſus ita ſe habent:

Te duce ſeruatus mortis quod vincula rupi
Verſibus his Damaſus ſupplex tibi vota rependo.

Prudentius in Hymno de SS. Hemeterio, & Chelidonio ſimilia profert:

Illitas cruore ſancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obſeruantes voce, votis, munere.

Hîc, ni fallor, cùm vota pura, cum oblationes memorari videmus. Gregorius verò Turonenſis lib. 2. Hiſt. Franc. cap. 37. *Domino*, ait, *gratias agentes, & vota B. Confeſſori* (Martino) *promittentes læti nunciauerunt Regi &c.* S. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum eumdem Hæreticum hæc nobis obijcientem inducit: *Idola vertiſtis in Martyres, quos votis ſimilibus colitis*. Egregium autem eſt in hanc rem Euſebij Cæſarienſis teſtimonium. Poſtquam hic lib. 13. Præpar. Euang. cap. 7. à nobis coli Sanctos affirmauit vt veræ pietatis milites, Deique amicos, addit: Ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν περιέναι. καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταυταῖς ποιεῖσθαι. *Vnde tumulos eorum frequentare, & circum eoſdem vota illis nuncupare ſolemus.* Verùm quia vocabulum τὰς εὐχὰς pro *precibus* poſitum quibuſdam videri poſſet, ſine quæſo me verbi huius rationem explicare, vt palam fiat apud Græcos Patres propriè εὐχὴν pro *voto*, προσευχὴν verò pro *oratione*, aut *prece* vſurpari. Henricus Stephanus in Theſ. Græcæ linguæ id pluribus exemplis probat, & ego duobus clariſſimis roborabo teſtimonijs. Gregorius Nyſſ. Orat. 2. de Orat. Domin. ad illud Matthæi 6. *Cum Oratis &c.* inquit: *Non dixit*, ὅταν εὔχησθε, *ideſt cum vota facitis, ſed* ὅταν προσεύχησθε, *ideſt cum oratis &c.*

Sed

Sed quænam eſt horum nominum differentia? εὐχὴ, ideſt votum quidem promiſſio eſt alicuius rei, quæ pietatis nomine dedicetur, & ſacris deſtinetur; προσευχὴ autem ideſt oratio eſt petitio bonorum, quæ Deo cum ſupplicatione offertur &c. tum ſubdit: *Multis in locis Scripturæ eiuſmodi τῆς εὐχῆς, ideſt voti ſignificationem videre licet &c.* Non minùs apertè loquitur S. Auguſtinus in Epiſt. 59. ad Paulinum noſtrum ſcriptâ, vbi hæc habet. *Nam eam, quam dicunt εὐχὴν, raro ita Scriptura ponit, vt intelligatur oratio, ſed plerumque & multò vſitatiùs votum appellat εὐχὴν; προσευχὴν verò ſemper orationem vocat.* Et infra: *Porrò ſi vſitatiùs, vt dixi, in Scripturis votum appellatur εὐχὴ, excepto nomine generali orationis ea propriè intelligenda eſt oratio, quam facimus ad votum, ideſt πρὸς εὐχήν. Vouentur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maximè Sancti Altaris oblatio &c.* Sed redeamus ad noſtra, iterumque vota Sanctis nuncupata prodamus. Concilium Namnetenſe Can. 20. ita fatur: *Omnibus interdicatur, vt nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro ſanitate ſuâ rogaturus alibi deferat, niſi ad Eccleſiam Domino Deo ſuo.* Ego planè aſſentiri non poſſum Clariſſimo Du Freſnio, qui in Gloſſ. med. & inf. Latin. hîc *votorum* nomine dies Paganorum Feſtos ſignificari cenſet. Candelæ enim, aliaque munera pro recuperandâ valetudine æterno Numini oblata, quæ hîc memorantur, ſatis docent *vota* huiuſmodi pro *tabellis votiuis* eſſe intelligenda. Scilicet antiquis non minùs quam noſtris temporibus has Deo, Beatiſque viris ſuſpendere tabellas in vſu fuit. Audi præclariſſimum hac de re teſtimonium Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi, qui, vt optimè noſti, medio ferè ſeculo quinto ſcribebat. Hæc autem eius ſunt verba in Serm. 8. de Martyribus ad Græcos: ὅτι δὲ τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν, οἱ πιςῶς ἐπαγγέλλοντες ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθήματα τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα. Οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα, καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. Quæ ita vertit Zenobius Acciaiolus: *Piè verò fideliterque precatos ea maximè conſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorum rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento auroue confecta.* Plura addit laudatus Theodoritus, quæ breuitatis ergò nunc ſileo. Sed & videre eſt illuſtrem huiuſmodi votorum memoriam apud Paulinum in Natali III. inter illos verſus, quos ex Codice noſtro vetuſtiſſimo præteritæ nunc reſtituimus, aut addimus editioni. Sunt autem hi:

Alma dies magnis celebratur cœtibus, omnes
Vota dicant ſacris rata poſtibus, omnia gaudent &c.

Hîc profectò votiuæ memorantur tabellæ, quæ ſacris ſuſpendebantur Baſilicarum poſtibus; *dicare* enim *vota* idem eſt ac *ſuſpendere vota*. Vota autem appellantur *rata*, hoc eſt *exaudita* ad inſtar Ouidiani verſus lib. 1. Faſt.

Effi-

Efficiatque ratas vtraque Diua preces.

In memoriam igitur munerum à S. Felice receptorum, atque ad teſtandum exauditi voti pignus tabulæ ad ſacras templorum fores deferebantur. Ad hæc vtique ſi reſpexiſſet Eraſmus, fortaſsè dicacitati peperciſſet, neque votiuarum erga Sanctos oblationum, aut tabellarum vſum hactenus Catholicâ ab Eccleſiâ probatum tam mordacibus ſarcaſmis inuaſiſſet. Ceterùm ſi mos huiuſmodi nuperis Nouatoribus non benè accommodatur, litem etiam vetuſtiſſimis Patribus ij intentent oportet, à quibus quum ſanctitate vincantur, & eruditione, ita & pietatis rationibus facilè ſuperabuntur. Vale.

Ad S. PAVLINI Natal. XIII. verſ. 87. De Sanctorum Martyrum Natalibus.

DISSERTATIO XIX.

Ad Clar. Virum ANTONIUM FELICEM MARSILIUM Bononienſis Cathedralis Archidiaconum.

IAmpridem, Marſili Clariſſime, vnà cum Eminentiſſimo Annalium parente Baronio, alijſque multis credideram, quotquot in Eccleſiaſticis Faſtis Sanctorum Natales proponuntur, eoſdem ſi non perpetuò, at ſæpiſſimè diem eorumdem emortualem deſignare. In hanc autem ſententiam eò faciliùs ibam, quò accuratiùs animaduerteram ab ipsâ nos nonnunquam moneri Eccleſiâ, quum in alium, quam in obitus diem, Sanctorum ſolemnia caderent; Tunc enim Hymnis, precibuſue paulùm mutatis ſibi ab antiquâ conſuetudine declinatum omnium Eccleſiarum magiſtra prodebat. Verùm celeberrimi Scriptores P. Papebrocius primùm, deinde P. Pagius me diutiùs in errore verſatum præteritis annis commonuere; ille enim in Conatu Chronico-Hiſt. ad Catalogum Roman. Pontif. pag. 25. ait: *Itaque in hodiernum tempus, exceptis paucis, veteres ferè omnes Romani Epiſcopi alio coluntur die, quam dicendi ſunt obijſſe:* Pagius verò in Criticâ Baronianâ ad Ann. Ch. 67. num. 18. hæc habet Papebrocij veſtigijs inhærens: *Dies quibus Sancti Pontifices coluntur, aut quos eorum morti, vel ſepulturæ Martyrologi, alijque attribuunt, nihil plerumque cum die obitus, aut ſepulturæ commune habent.* Quin longiùs procedit num. ſequ., dum reliquos Sanctos eidem regulæ ſubeſſe pronunciat; inquit enim: *Sancti itaque plerumque alijs diebus, quam quibus ad cæleſtem patriam migrarint culti.* Et infra: *Hinc pauci Sancti, quibus obierunt diebus coluntur.* Vix verò

nouam hanc & ego opinionem indueram, tantoſque viros omninò ſe-quebar, quum antiquam à Paulino magis firmari animaduerti, reque ad examen reuocatâ, infirmis nuperam hanc niti fundamentis intellexi. Quæ igitur ſuper hiſce per otium diſſerere licuit, en oculis tuis ſubiecta prodeunt obſequij potiùs meritum, quam eruditionis laudem mihi allatura. Primùm verò de Sanctorum Feſtis diebus quædam adnotabo, vt eorum inſtitutionem continuò nobis fauere perſpicuum fiat. Quæcumque enim antiquitùs in Eccleſiam Dei inducebantur ſolemnia, eum ipſum diem reſpiciebant, quo SS. Martyres vitæ ſuæ conſummarant curſum, cæloque redditi toleratæ mortis fructum primò perceperant. Celebris eſt S. Cypriani locus in Epiſt. 37. ad Presb. & Diac., vbi ſedulò illos hortatur, vt dies, quibus Martyrum quilibet è viuis exceſſerat, adnotent. *Denique*, ait, *& dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus; quamquam Tertullus ſcripſerit, & ſcribat, ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalem vitam glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiſcum Deo protegente celebrabimus &c.* Epiſt. quoque 34. idem Cyprianus: *Sacrificia pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies anniuerſariâ commemoratione celebramus*. Antiquius etiam hac de re teſtimonium proferamus, nempe Epiſtolam Smyrnenſis Eccleſiæ de S. Polycarpi Martyrio, quæ inter ſacros fætus antiquitatis ad noſtra vſque tempora peruenit. Inquiunt autem pijſſimi viri: *Sancti Martyris oſſa gemmis auroque pretioſiora tumulo mandauimus*, ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον *&c. vbi ſanè nobis in vnum aliquandò coactis Dominus præſtabit, vt cum exultatione, & gaudio eius Martyrij diem inſtar Natalis feſti celebremus*. Igitur Apoſtolicis etiam temporibus Natalis appellabatur hic dies Martyrum commemorationi dicatus, illudque vocabulum apud veteres diem tantummodò Sanctorum emortualem deſignabat. Primùm audiamus Paulinum Nat. XIII. ita loquentem:

Et meritò Sanctis iſte Natalis dies
Notatur, in quo lege functi carneâ
Mortalitatis exuuntur vinculis,
Et in ſuperna Regna naſcuntur Deo.

Quia tum Cælo SS. Martyres naſcebantur, Natalis nomen eorum obitus diei inditum. S. Petrus Chryſol. Serm. 129. *Natalem*, ait, *Sanctorum cum auditis chariſſimi nolite putare illum dici, quo naſcuntur in terram de carne, ſed de terrâ in Cælum, de labore ad requiem &c.* Euſeb. Gallicanus, ſiue Cæſarius Homil. 50. de S. Geneſio: *Beatorum Martyrum paſſiones Natales vocamus dies, quandò eos martyrij vita, & gloriæ fides dum ingerit morti, genuit æternitati*. Eâdem in ſententiâ ſunt S. Auguſt. Serm. 1. de Sanct., Nicolaus PP. in Reſp. ad conſulta Bulgar. cap. 5.,

Rhaban.

Rhaban. lib. 2. de Inſtit. Cler. cap. 43. Radulphus Flaui. lib. 7. cap. 2. in Leuit., Amalar. lib. 4. de Eccleſ. Offic. cap. 35., Belet. de Diu. Off. cap. 4. & alij. Ex horum autem Auctorum conſenſu patet eos tantùm antiquis temporibus dies ſolemni honore fuiſſe inſignitos, Sanctorumque memorijs ſacratos, quibus ijdem toleratæ mortis beneficio ſupernæ redditi fuerant quieti. In hanc rem teſtis luculentiſſimus accedit Paulinus, ſiquidem Nat. XIII. inquit:

Hinc ergò Sanctis, ſiue Confeſſoribus
Dies ſacratos, in quibus functi diem
Mortalis æui morte vitali ſuum
De labe mundi tranſierunt ad Deum,
Populi fideles gaudijs ſolemnibus
Honore Chriſti gratulantes excolunt.

Quoties igitur ſeu in vetuſtis Martyrologijs, ſeu apud Chriſtianos Patres *Natalis* vocem comperimus, continuò Feſtum diem intelligamus oportet, quo Sancti alicuius obitus, ſeu ſepultura annuis recolitur votis. Hinc Martyrologia originem, hinc Faſti Eccleſiaſtici primordia ſua cognoſcunt. Et profectò conſtanter affirmandum reor, non niſi ſeris Eccleſiæ ſeculis factum, vt alius dies Sanctorum commemorationi dicatus haberetur, quam qui eorum obitus memoriam quotannis renouaret. Auctor eſt Gregorius Turon. lib. 2. de Mir. Martyr. cap. 29. S. Germani temporibus, hoc eſt ſeculo Chriſti quinto, inſtitutum fuiſſe S. Iuliani Martyris ſolemnem diem. Ignorabatur quo die deceſſiſſet B. Martyr; hinc populus anxius, incertuſq; dies pijs eorum votis obſtabat. Diuinitùs tandem ſubſidium ignaris præſtitum, & quæſitus dies cælo ipſo reuelante innotuit. Inquit laudatus Auctor: *Huius feſtiuitatis temporis ignara plebs mæſta pendebat, neſciens diem, in quo Martyr beatus deberet pro virtutis, ac paſſionis gloriâ honorari, & hæc ignorantia vſque ad B. Germanum Antiſiodorenſem Antiſtitem eſt protracta &c. Tunc ille, Oremus, inquit, & fortaſſe nobis hæc Domini potentia reuelabit. Quod cum feciſſent, mane orto ait, V. Kal. menſis ſeptimi celebrandam eſſe feſtiuitatem.* Si liberum olim fuiſſet, quoto magis placeret die Sanctorum commemorationem celebrare, vtique non adeo ſegnes in S. Iuliani ſolemnijs inſtituendis ij fuiſſent populi, neque tanto ſtudio tempus, quo recolenda *eius paſſionis gloria* foret, inueſtigaſſent. Quamobrem animaduertas quotquot ſcriptores Martyrologia publicis conſignauere tabulis id potiſſimùm præ oculis habuiſſe, vt emortuales Sanctorum dies quantò certiùs poſſet exprimerentur. S. Gregor. M. ad Eulogium Alexandr. Epiſt. 29. lib. 7. *Nos autem*, inquit, *penè omnium Martyrum diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus collecta in vno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolennia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter ſit paſſus indicatur, ſed tantummodò nomen, locus, & dies paſſionis ponitur.* In hanc rem Ado Vienn. Archiep. ſcribit in Præf. ad ſuum Martyrologium: *Huic operi vt dies Martyrum*

veriſ-

veriſſimè notarentur, qui confuſi in Kalendis inueniri ſolent, adiuuit Martyrologium ab Vrbe Româ Aquileiam tranſmiſſum. Beda quoque Adone antiquior in ſuorum operum Catalogo: *Martyrologium*, ait, *de Natalitijs SS. Martyrum diebus, in quo quos inuenire potui non ſolùm quâ die, verùm etiam quo genere certaminis, vel ſub quo Iudice mundum vicerint, diligenter annotare ſtudui.* Eò autem hæc omnia ſpectant, vt vnum Pagij fundamentum deijciamus; inquit enim: *Sanctos plerumque alijs diebus, quam quibus ad cæleſtem patriam migrarint, cultos, ſiue quia perſecutionis tempore minus exquiſitè notatio haberi potuerit dierum, quibus paſſi ſunt &c.* Quantopere verò in hiſce diebus notandis ſeduli Chriſticolæ forent ex relatis ſcriptorum ſuffragijs patebit. Audiatur prætereа Chryſoſt. Hom. 26. in Epiſt. 2. ad Corinth. *At verò*, ait, *ſeruorum Chriſti vel monumenta ipſa ſunt illuſtria, quæ regiam, & dominam omnium Ciuitatem obtinuerunt; tum mortis illorum dies noti ſunt omnibus qui feſti per totum orbem aguntur.* Quapropter hoc pro certo habeamus nullos olim feſtos dies in Eccleſiâ Dei fuiſſe inſtitutos, niſi eos quibus Sanctorum è vitâ deceſſio quotannis recolebatur. Sed iam quærentes audio, cur nonnunquam vetuſta inter ſe Martyrologia diſſideant, nec cum ipſis Martyrologijs Sanctorum Acta non rarò conueniant? Si vnum tantùm obitus diem ſacri repræſentarent Faſti, aut Acta illa fidem non haberent, aut ipſa inter ſe Martyrologia de veritate certarent. Ego primùm varias ediſſeram huiuſce diſcrepantiæ cauſas, deinde ne ipſam quidem tantam eſſe demonſtrare, pergam vt (quod Pagius ſenſit) nullus fermè Sanctorum emortualis dies nunc obſeruetur. Neque enim inficias imus quorumdam Feſta non ipſis Martyrij diebus coli, ſed id ſolummodò præſtamus, vt ea rarò contingere, vt ferè ſemper Martyrologio monente oſtendamus. Hæc quoque, & non alia eſt Florentinij ſententia in Adnot. XI. ad Martyrol. Hieronymianum, & Petri Damiani in Opuſc., cui tit. *Dominus vobiſcum.* Itaque primam rationem, cur quorumdam Sanctorum alio die, quam quo obierint, memoria celebretur, eam aſſignari poſſe puto, quod olim Quadrageſimali tempore aut nullæ, aut paucæ Feriæ Sanctorum commemorationem admittebant, eorumque propterea honores in alios extra Quadrageſimam protrahere neceſſe erat. Sic Feſtum Annunciationis è die 25. Martij in 18. Decemb. à Concilio Toletano X. Can. 1. reiectum eſt, neque alia interceſſit cauſa. Synodus Laodicena Can. 51. ſtatuit, *Quod non oporteat in Quadrageſimâ Martyrum Natales peragere, ſed eorum in Sabbato, & Dominicâ tantùm memoriam fieri.* Idem habetur in Capitulis Martini Bracarenſ. cap. 48. *Non liceat in Quadrageſimâ Natales Martyrum celebrare, ſed tantùm Sabbato, & Dominico die pro commemoratione eorum oblationes offerri.* Si igitur in Sabbatum, Dominicumue diem Sanctorum Natales Quadrageſimali tempore incidebant, eorum commemoratio vtique permittebatur, alijs verò diebus id interdictum. Hinc diuerſis diebus, quam quibus è viuis exceſſere, quidam coluntur Beati, quod nempè annuus

illo-

illorum obitus Quadrageſimæ causâ coli non poſſet. Sanè vbique locorum huiuſmodi conſuetudinem inualuiſſe minimè crediderim; in Eccleſiâ tamen Ambroſianâ adeò conſtans fuit, vt nullius Sancti Feſtum durante Aduentus, aut Quadrageſimæ ieiunio, etiam nunc celebretur, & in alios referantur dies quæ alioqui iiſdem temporibus celebranda forent. De hoc idem legit Carolus Guyet. è Soc. Ieſ. in Neortolog. lib. 1. cap. 1. 3. Secundò quia Sancti alicuius Natalis dies à digniore Feſto occupabatur. Sic S. Baſilij Feſtum è die primâ Ianu. in 14. Iun., & S. Remigij è die 15. eiuſdem menſis in primum Octobr. coniecta fuere. Sanctorum deinde Translatio efficere potuit, vt diuerſus ab emortuali dies ipſorum commemorationi fuerit dicatus. Nonnulla quæſo quæ ad id, quo de agimus, pertinent, conſideremus. Sacras Martyrum Reliquias ſub Conſtantino tantùm transferri cæpiſſe Paulinus Auctor eſt diſertiſſimus. Natali XI. inquit ille:

Vt Conſtantino primùm ſub Cæſare factum eſt
Tunc famulis retegente ſuis, vt ſede priori
Martyres accitos transferrent in noua terræ
Hoſpitia &c. ——————————

Quod tam ſerò pretioſæ Sanctorum exuuiæ in varias transferri partes cæperint, Ethnicorum Imperium in cauſâ fuiſſe videtur; conſtat enim antiquo Romanorum iure extinctorum corporum translationem fuiſſe interdictam, vt L. 39. ff. de Religioſ., & Plinius Epiſt. 73. lib. 10. docent. Vix autem ſub Conſtantino Chriſti Fides extulit caput, quum hinc inde triumphales Martyrum Reliquiæ ad populorum opem tranſuehi cæpere. Iterum Paulinus ait.

Ex illo ſacri cineres quaſi ſemina vitæ
Diuerſis ſunt ſparſa locis, quâque oſſe minuto
De modicâ ſacri ſtipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes
Et fluuios vitæ generauit gutta fauillæ.

Em. Baronius ad diem 15. Iun. in Martyrol., & Azor. tom. 1. Inſtit. Mor. lib. 9. cap. 8. quæſt. 11. ex eo tantùm tempore in Gallias, & per Occidentem cæpiſſe Beatorum corpora transferri cenſent, quo Franci Romanâ Eccleſiâ à Longobardis, alijſque tyrannis vindicatâ liberum fecere piorum commercium. Sed multis ante ſeculis hunc obtinuiſſe morem cum Paulinus tum innumera ſuadere poſſunt exempla, vt mirum ſit viros doctiſſimos in hanc opinionem conceſſiſſe. Vnus legatur Gregorius Turonenſis, & res palam fiet. *Translationis* verò nomen non ad quamcumque Reliquiarum tranſuectionem refertur, ſed eam ſolummodò reſpicit, quandò ab aliquo iuſtæ ſepulturæ loco ad alium ſacra pignora aſportantur. Nam quod S. Ignatij Martyris ſtatim poſt eius cædem corpus Antiochiam Syrorum hominum ſtudio delatum fuerit Anno Ch., vt Baronius arbitratur 110. eius Reliquiæ translatæ minus aptè dici potuere. Tam celebres dein huiuſmodi translationes ſunt factæ, vt earum quotannis

nis memoria ſolemniter recoli in Eccleſiâ cæperit, earumq; mentio nonnumquam in Martyrologijs fit obuia. Quocirca poſt Florentinium doctiſſimus Pagius ſuſpicatus eſt pro diebus Sanctorum emortualibus ſubſtitutos quandoque Translationum dies fuiſſe. Mihi huiuſmodi rem examini ſubijcere non vacat; ea tamen non præteribo, quæ erudit. Guyetus in eamdem quæſtionem lib. 2. cap. 2. quæſt. 3. Heortolog. ait: *Verùm quantùm fas eſt conijcere, ideò fortaſſe celebritas maior præfatis diebus indicta eſt, quod Natalis Sanctorum illorum Quadrageſimæ tempore eueniat, quo tempore à celebratione Feſtorum fuiſſe olim abſtentum obſeruauimus*. Sed iam ad controuerſiæ caput aggrediamur, & in eius arcem inuadamus. Et quæſo, Marſili ſapientiſſime, confeſtimne Pagium veritatis vnius rationem habuiſſe arbitraberis, quum in ſeueram illam, abſolutamque ſententiam diſceſſit, quâ nullorum penè Sanctorum Natales, ſeu obitus dies, nunc obſeruari pronunciauit? Ego nequaquam reor. Hanc ideo opinionem ſequutus eſt ille, vt in Romanorum Pontificum Chronologiâ calculis ſuis robur pararetur. Quam benè tamen illi res ceſſerit, ex quibuſdam cognoſcamus exemplis, & in eoſdem Romanos Antiſtites tantummodò inquiramus. Neque enim mihi ſuadere vnquam potui, tam incautè Romanum Martyrologium falli, aut fallere poſſe, vt quos nobis tamquam dies mortis in Sanctorum Feſtis plerumque proponit, ij ſint à nobis diuerſi omninò cenſendi. Quandoquidem quænam adeò graues crebræque cauſæ intercedere potuerunt, ob quas priorum ſeculorum vſus in Sanctorum Natalibus colendis ab Eccleſiâ Romanâ penitus eliminaretur, & Martyrologij fides paſſim turbata iaceret? Iam verò ipſius Pagij calculos in examen vocemus. S. Linus An. Ch. 67., duobus videlicet poſt Petri Paulique obitum annis, è viuis ſublatus eſt, eiuſque mors cum in Romano, alijſque Martyrologijs, tum in Chronico veterum Pontificum ad diem 23. Septembr. refertur. Quid ad hæc Pagius? *Sed non exiſtimandum*, ait, *Linum eo die ad ſuperos transijſſe, cum dies quibus in Martyrologijs veteres Pontifices coluntur, & in auctiori Chronico veterum Pontificum dicuntur ſepulti, ad aliquam eorum Translationem vt plurimum pertineant*. Coluntur præterea S. Cletus die 26. Apr., S. Anacletus die 13. Iul., S. Euariſtus die 26. Octobr., S. Teleſphorus die 5. Ianuar., S. Soter. die 22. Apr., & in hoc die aſſignando Martyrologia omnia cum veteri Pontificum Chronico conſentiunt, & eamdem nihilò ſeciùs cantilenam Pagius repetit, videlicet ijs diebus non credendum horum Sanctorum mortem, ſed aliquam potiùs Translationem contigiſſe. Sed parcat Vir Clar., ſi expreſſo lubentiùs Eccleſiæ Romanæ, aliorumque ſcriptorum teſtimonio, quam nudæ illius opinioni fidem habendam eſſe apertè pronunciamus. Enim verò cuinam magis, dum emortualem ſummorum Pontificum diem perquirimus, quam Eccleſiæ Romanæ auſcultandum eſt, quæ præſens olim eorum agones inſpexit, adnotauit, atque ad poſteros in Martyrologijs relata tranſmiſit? Placet ſanè Philoſophis, pluris eſſe vnius, non modò multorum, aſſer-

tio.

tionem, quam vnius tantùm & quidem ſine aliquo argumento inficiantis opinionem. Ecquid enim ille vincet, qui id ipſum quod in quæſtione verſatur pro ratione argumentoque profert? Reliqua videamus. SS. Petrus, ac Paulus die 29. Iunij, S. Clemens die 25. Nouembr., S. Alexander die 3. Maij, S. Hyginus die 11. Ianuar., S. Pius die 11. Iul., S. Anicetus die 17. April., S. Calliſtus die 14. Octobr., S. Vrbanus die 25. Maij, S. Fabianus 20. Ianuar., S. Lucius 4. Martij, S. Stephanus die 2. Auguſti, S. Sixtus II. die 6. eiuſdem menſis, S. Dionyſius 26. Decembr., S. Eutychianus 8. eiuſdem menſis, & S. Caius die 22. April. in publicis tabulis coluntur, iſtiſque diebus eorum Martyrium, ſepulturamue contigiſſe non Romanum modò Martyrologium, ſed Hieronymianum, vt vocant, Ado, Beda, Notkerus, Vuandelbertus, Chronicon veterum Pontificum, Anaſtaſius, & alij explorate teſtantur. Quare tot antiquorum conſenſui in horum Pontificum Natali die aſſignando victas manus dare coactus eſt Pagius. Quâ igitur fronte in illam ſententiam ire vir doctiſſimus potuit, vt adeò paucos Beatos ipſo obitus die ſolemniter coli aſſereret, ſi ex ipſis tantùm Romanis Pontificibus tot eodem die recoluntur? Quin & ille hiſce moneri exemplis debuit, vt ſi de aliquibus diebus Feſtis non temere dubitari poſſe ſibi videbatur, eos potiùs ex comperto Martyrologij more, non leui ductus opinione explicaret. Sed & attingere non pigebit, quæ ipſi planè difficultatem peperere. S. Sixti obitus in Martyrologijs Romano, Hieronymiano, Vſuardi, Adonis, Roſuueydi, Vuandelberti, aliorumque multorum ad diem 6. Aprilis refertur; ab Anaſtaſio tamen, à Floro, alijſque paucis infimæ notæ Scriptoribus die 3. eiuſdem menſis memoratur. Pagius verò neutrum diem ad Sixti mortem ſpectare ait, quippe in diem 3. Iulij, ſi annos Pontificatus numeraueris, eius Martyrium cadere animaduertit. Sed quam lubricis ille nitatur fundamentis, quantumue eius regulæ in Pontificum Chronologiâ nutent, mei non eſt inſtituti perpendere. Pauca tamen, vt quod ad Sixtum pertinet abſoluatur, producam. Chronicon, vt vocant, Damaſi hæc de illo habet: *Sixtus annis decem, menſibus tribus, diebus viginti vno. Fuit temporibus Hadriani à Conſulatu Nigri, & Aproniani vſq; Vero III. & Ambibulo.* Ad hæc Pagius: *Sed error irrepſit in numeros, legendumque* menſibus duobus die vno, *vt habetur in auctiori Chronico veterum Pontificum, in Catalogo Palatino; & in duobus Catalogis Corbeienſibus.* Quum verò teſte eodem Damaſi Chronico die 3. Maij Anno Ch. 116. Martyrium ſubierit S. Alexander, qui Sixto in Pontificatu præceſſit, hinc Pagius ad diem 3. Iulij Anni 126. trahendum Sixti obitum cenſet. Sed primùm in producendis veterum teſtimonijs maior in Pagio diligentia deſideratur, nam Catalogi Corbeienſes, quos ille pro ſuâ correctione citat, quique apud Papebrocium in Conatu Chronico hiſtorico poſt S. Felicis IV. vitam inueniuntur, aliter ſe habent, Sixtumque his produnt verbis: *Sixtus An. X. m. 3. d. 22. VIII. Id. Apr.* En vt ij etiam in aſſignando emortuali die S. Sixti Romano Martyrologio conſentiunt.

Deinde an inter S. Alexandri mortem, Sixtique electionem nullum (vt vocant) Interpontificium fuit? Sanè Anaſtaſio alijſque teſtibus 27. dies interceſſere. Et cur hos quoque in cenſum Pagius non refert? Si demum A. Ch. 116. ipſo die 3. Maij, quo S. Alexander ad Superos euolauit, Sixtus Pontificatu eſt auctus, cur in Damaſi Chronico non ab A. 316., ſed à Conſulatu Nigri, & Aproniani, qui in Annum Ch. 117. cadit, eius numerantnr Anni? Dicam confidenter quæ ſentio: Chronicon Damaſi omnium conſenſu Auctorem incertum habet, pluribuſque erroribus ſcatet, quos ipſe Pagius alijque identidem emendent oportet, vt inde quid referant emolumenti. Quænam igitur toties peccanti fides habenda? Oleum facilè operamque perdere arbitror, quoſcumque huic vni fidere Scriptori in Pontificiâ Chronologiâ conſpicio. Ipſius etiam Pagij confeſſione ad A. Ch. 130. num. 3. patet, Interpontificiorum tempus omninò nobis ignotum. *Annotatur quidem*, vt ait idem, *illud tam in libro Pontificali, quam in Chronico auctiori veterum Pontificum, ſed præterquam quod inter horum librorum Auctores non conuenit, vacatio Sedis non ex certis monumentis, ſed ex proprio calculo ab illis deſcripta.* Cur ergò tantum Pagio laboratur, vt electionum obituſque dies ex ipſis Auctoribus hauriantur? Cur tam promptè aduersùs Romani Martyrologij fidem fertur? Itaque S. Sixtum die 6. Apr. aut obijſſe, aut ſepulturæ traditum mihi ſuadeo, & ab huiuſmodi die S. Pontificis tempora ſunt retrò numeranda. Ad Eleutherum Papam tranſeo. Hunc Pagius die 26. Maij, quo à Romanâ Eccleſiâ colitur, ſepultum non negat, licet quorumdam teſtimonia in aliam ſententiam vergant. Quod ad S. Victorem Pagius eum obijſſe diem non diffitetur die 28. Iul., quo eodem die Martyrologium Romanum, Chronicon auctius veterum Pontificum, antiqui Catalogi, Anaſtaſius, alia Martyrologia, & Henſchenius eum coli teſtantur. Non audiatur ergò Hieronymianum Martyrologium, Papebrocius in Conatu Chronico-hiſt., & nonnulli pauci, qui in alium diem referunt Sancti huius obitum. Zephyrinus eius ſucceſſor Martyrij palmam inueniſſe die 26. Aug. in Martyrologijs præter Pſeudohieronymianum vniuerſis, & reliquorum Scriptorum documentis dicitur. Verùm ex fluxis incertiſque Pontificatus annis illum die 12. Iul. vitâ defunctum Pagius arbitratur. Nil tamen vir doctiſſimus contra tot monumentorum conſenſum euincet, ni priùs certum aliquem proferat Auctorem, qui tum Pontificatuum, tum Interpontificiorum tempora ſecurus erroris ſignet. Certè hoc ab illo præſtari non poterit, dum interim certi, ac ij quidem numero, & auctoritate præcipui Scriptores pro nobis pugnent. Quum in Sardiniâ exul obierit S. Pontianus, mirum non eſt, ſi eius obitus ad varios dies hinc inde trahatur. S. Cornelium vnà cum S. Cypriano die 14. Septembr. inter viuos eſſe deſijſſe, quo eodem die in ſingulis Martyrologijs mortem oppetijſſe dicuntur, Pagius quoque contra Papebrocium eruditè probat. S. Felix die 29. Maij ab omnibus penè refertur, ſed ſuorum calculorum, ac Hieronymiani Martyrologij teſtimonio fretus

die

die 22. Dec. extinctum affirmat. Quum nihilominus inter ſe Chronica, & Catalogi longè in aſſignandâ Pontificatus continuatione diſſideant, neſcio quam multum fidei ſibi queat conciliare. Hucuſque igitur, Marſili doctiſſime, per tria Epochæ noſtræ priora ſecula quamplurimos vidimus SS. Pontifices ex Pagij conſenſu ipſis diebus, queis coluntur, Martyrij coronâ donatos; dum verò paucorum admodùm, qui ſuperſunt, mortem alijs contigiſſe diebus, quam quibus coluntur, nullis probare ſolidis argumentis queat, proximum eſt vt nos omnem Romano potiùs Martyrologio, quam leuiſſimis aliorum rationibus fidem habeamus. Quamobrem tactam ante querelam nunc repeto: cur Papebrocius, & Pagius adeò paucos Beatos die eorum emortuali nunc in Eccleſiâ Dei honorari pronunciarunt, ſi tot ex ipſis dumtaxat Pontificibus contra horum opinionem ita recoluntur? Quamquam & hanc nuperam ſententiam exemplis pluribus profligare arduum non foret, ſi per otium liceret. Nunc vnum animaduertiſſe ſufficiat, nempe Euſebium in lib. de Martyr. Paleſtinæ, qui libro 8. Hiſt. ſubijci ſolet, plurium Martyria, diemque etiam Martirij memoriæ tradidiſſe. Hi autem dies prorsùs cum Romani Martyrologij fide conueniunt. Coluntur die 17. Nou. SS. Alphæus, & Zachæus; Euſebius verò hæc de illis habet: *Δίυ μηνὸς ἑπτὰ, καὶ δεκάτῃ αὐτῇ παρὰ Ῥωμαίοις ἡ πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν Δεκεμβρίων τὰς κεφαλὰς ἀποτέμνονται. 17. die Menſis, qui vocatur Dius, hoc eſt apud Romanos ad 15. Kal. Decemb. capite priuantur*. S. Procopij memoria in diem 8. Iulij cadit, quo ſepulturam B. Martyr eſt nactus, appoſitè videlicet ad ea, quæ tradit Euſebius, dum *Δεσίε μηνὸς ὀγδόῃ πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ἰελίων Deſij menſis octauâ die, quæ eſt apud Romanos VII. Id. Iulij* illum aſſerit è viuis exceſſiſſe. Sic Sanctorum Dionyſij, Timolai, Agapij, Apphiani, Theodoſiæ, Syluani, Hadriani, Euboli; aliorumque plurium emortuales dies ab Euſebio traditi cum hodiernis eorum Feſtis concordant, vti Romanum docet Martyrologium. Quod ſi germana etiamnum extarent Martyrum Acta, eamque fidem, quam Euſebius Scriptor celeberrimus, mererentur, vtique in Martyrologio Sanctorum Natales rectè conſignatos ferè ſemper legeremus; nam quis ignorat eadem Martyrum Acta ſeculorum ſæpè poſteriorum fœtus fide non rarò infirma eſſe, atque iccircò cum Martyrologijs certiſſimis minimè componenda? Ac vereor ne plus æquo auribus tuis, Marſili Clariſſime, moleſtiam creauerim, quum ea ad te pertulerim documenta, quæ tibi eximiæ eruditionis viro leuia videri poſſunt, aut quod ſummum eſt, ignota non erunt. Scilicet ad hoc vnum doctiſſimam in ædibus tuis Academiam inſtituiſti, vt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Sacrorumque Canonum, & rituum ſecretiora illuſtrares, illudque opus adeò feliciter ſapienterque à te præſtitum fuit, vt te Felſina noſtra venerari, tota verò literatorum Reſpublica demirari nequeat ſatis. Et vtinam aliquando nobis liceret publicis typis commendatas intueri præſtantiſſimas illas diſſertationes, quibus præcipuæ per te dirimuntur Eccleſiaſticæ controuerſiæ;

tunc enim non tam ſibi de lucro ſuo gauderet Eccleſia, quam tibi de tantâ doctrinarum vbertate gratularetur. Et quamdiu quæſo eruditorum deſideria morâ tuâ patiere torqueri? Modeſtiæ tuæ conſilijs vt tandem renuncies votis poſcimus iteratis, & ego interim, vt humanitate, quâ ſoles, hanc diſſertationem excipias, te ſedulò rogare non deſinam.

Ad S. PAVLINI Poëma poſtremum.

DISSERTATIO XX.

Vbi eius de Elementis ſententia perpenditur. Ad præclariſſimum, doctiſſimumque virum IOSEPHUM FERRARIUM Em. Cardinalis FEDERICI CACCIÆ Archiepiſcopi Mediolanenſis Generalem Vicarium.

MAlè de Paulino, Ferrari Muſarum omnium decus, meritus mihi viderer, ſi ſingularem eiuſdem de Elementis opinionem inſalutatam præterirem, eòque grauiùs in præſentiarum mei me ſilentij pæniteret, ſi tempus omninò accommodatum ad meum erga te tuaſque virtutes prodendum obſequium, paterer tam facilè mihi elabi. Nimirum ad S. Antiſtitis gloriam, meamque in te obſeruantiam plurimùm conducere ſentio, ſi illum & in Philoſophicis diſciplinis non vltimas tuliſſe demonſtrem: & viro tum Philoſophiæ, tum aliarum artium, quæ animum noſtrum informare queunt, laude præſtanti hanc quoque Paulini virtutem proponam. Et quidem, vt aiebat Boyle in Dub. & Paradox. Chymico-Phyſ. part. 1. Dial. *Opiniones de Elementis tanti ſunt inter Phyſiologiæ dogmata momenti, quanti elementa ipſa ſunt inter corpora vniuerſi*. Cur igitur Paulinum, quem in reliquis ſequutus ſum, nunc de Elementis proloquentum in concione deſtituam? Pulcherrimam planè in poſtremo eiuſdem Poemate quæſtionem animaduertas, ſiquidem ibi non ignem, ſed Cælum S. Doctor inter elementa componit. Hoc vbi Philoſophorum vulgus audierit, ita me ament Superi, ſibi vix à riſu, certè ab admiratione non temperabunt. Vulgaria illi ſolùm quatuor Elementa agnoſcunt, Terram videlicet, Aquam, Aerem, & Ignem: quicquid ab his diuerſum occurrit, præoccupatis eorum ingenijs aut crucem figit, aut aſſertum monſtro potiùs quam vero ſimillimum videtur. Quamobrem operæ pretium duxi non obuiam cuicumque Paulini opinionem illuſtrare, ne tanti Patris eruditio minùs à quibuſdam intellecta aut malè audiat, aut etiam exſibiletur. Eius verba primùm intueamur;

Diſtri-

Diſtribuitque locis mare, terras, aera, COELVM,
Quatuor hæc hauſit varijs exordia rebus.
Sunt homines terris, ſunt addita ſidera COELO,
Aere pendet auis, liquido natat æquore piſcis:
Sic ELEMENTA ſuis decorauit ſingula formis.

Elementorum compaginem, ſitumque infrà deſcribit:

Claudit enim Oceanus terram, mare clauditur, ipſe
Axe ſub aethereo medius concluditur aer.

Hæc profectò, & non alia Paulini ſententia. Cælum is, non verò ignem inter Elementa recenſet. Quin & imaginariam illam ignis ſphæram, quam Ariſtoteles ſupra aeris regionem commentus eſt, quamque omnes diſcimus, nemo ex eruditis nunc credit, ſibi nequaquam arriſiſſe tum Paulinus palam facit, quum de illâ ne verbum quidem. Sed quibus calculis fretus in huiuſmodi opinionem Paulinus conceſſit? Ego ſubinde pro virili inueſtigabo, & in primis, dum de Elementis diſceptationem inſtituo, me nolle aduersùs aliorum ſententias, multòque minùs aduersùs Paripateticos in arenam deſcendere lubens fateor, quum & breuitatis ſit mihi ratio habenda, eorumque dogmata ſatis eruditè in examen adduxerint diſertiſſimi temporum noſtrorum Philoſophi, ac inter illos potiſſimùm emineant Helmontius, Gaſſendus, & Boyle diuina, ſi fas eſt dicere, ingenia. Vnam iccircò Paulini ſententiam proſequemur, & illam, ni mea me fallit opinio, ſacrarum Scripturarum auctoritate niti planè affirmo, earum enim teſtimonio ignis in Elementorum cenſum haudquaquam refertur. S. Petrus in Epiſt. 2. cap. 3. *Expectantes*, inquit, *& properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes ſoluentur, & Elementa ignis ardore tabeſcent.* Ecce ab igne Elementa diſtinguit Apoſtolus, quum per illum hæc aut conſumenda, aut in melius reformanda nos docet. Sed & Cœlum, vrgebis, ab Elementis ibi diuerſum dignoſcitur. Ego non video. Supra namque ita loquebatur Petrus: *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu tranſient, Elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipsâ ſunt, exuretur.* Vidiſtin & hìc ab Elementorum ſerie diſtinctam terram? Quum verò hinc terram Elementum non eſſe argui nequeat, idem quoque de Cælis affirmare abſurdum non erit; Cæli enim, terræque vices, quæ ſupremum Iudicij diem inſtare docebunt, ita S. Petrus memorat, vt non ab Elementis diſtinguere, ſed ſingillatim clarioris explicationis ergò deſcribere videatur. Quid quod & alios Chriſtianæ Fidei ſectatores à Paulini mei ſententiâ minimè abhorruiſſe compertum habeo? Gennadius Maſſilienſis Presbyter in libello de Eccleſ. dogmat. cap. 69. hæc habet: *Elementa, ideſt Cœlum, & terram, non credamus abolenda per ignem, ſed in melius commutanda.* Philaſtrius Epiſcopus Brix., vir ſanctitate, ac eruditione inter veteres Patres notus lib. de Hæreſ. cap. 46. Cælum inter Elementa numerauit. *Scriptura*, inquit ille, *in primo die Cælum, & terram facta declarat duo hæc elementa.* Eloquentiſſimus

quo-

quoque Scriptor Theodoritus Serm. 3. ad Græc. Infid. de Angel. aper-tiſſimè hanc ſibi opinionem inhæſiſſe demonſtrat; ait enim de Deo: πάθη τινα συνεκλήρωσε τοῖς στοιχείοις, ἱνὰ τὸ ἐν κάλλος αὐτῶν, καὶ τὸ μέγεθος θαυμάζεσθαι παρασκευάσῃ τὸν ποιητὴν: τὰ δέ γε συνεζευγμένα παθήματα κωλύῃ τὴν θείαν αὐτοῖς προσφέρειν προσκύνησιν. *Nonnullas affe-ctiones Elementis adiunxit, vt illorum quidem ſpecies, & magnitudinem intuentes homines ad opificem demirandum attollerentur, ipſaque viciſ-ſim labes, ac affectiones ſimul iunctæ eoſdem cobiberent, quo minùs ea tamquam Deos adoranda cenſerent.* Tum addit non de igne exempla, ſed de Cœlis, in quibus Sol, & Luna quandoque deficiant. His adijcit aeris, terræ, aquarumque infirmitates, vt rectè ſingulis Elementis ſua ineſſe vitia probet. Sed & idem Auctor Serm. 4. de Mater. & Mundo. eamdem ſententiam confirmauit. Ibi enim inquit: τούτους δὲ τοὺς ὅρους ἔστιν ἰδεῖν τὰ ἄψυχα στοιχεῖα φυλάττοντα: *hos autem fines videre eſt ab ipſis Elementis inanimis cuſtodiri.* Multa in probationem congerit, & hæc in primis concludendo profert: διά τοι τοῦτο, καὶ ἡ γῆ μεμένηκεν οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς ἐγεγόνει. Καὶ ὁ ἀὴρ, ἣν ἐξ ἀρχῆς ἔλαχε φύσιν, ἄσυλον διετήρησε. Καὶ ἡ θάλαττα οὔτε σμικρύνεται, οὔτε αὔξεται. Καὶ ὁ ἥλιος τήκειν οὐ δύναται, καὶ διαλύειν ὃ θέει στερέωμα &c. *Ex quo factum eſt, vt tellus hodieque ita permaneat, ſicut ab initio fuit conſtituta, & aer quam ab initio naturam ſortitus eſt, inuiolatam conſeruet, neque item mare augeſcat, neque decreſcat, vtque Sol firmiſſimum illud cælum, per quod currit, eliquare, aut diſſoluere non poſſit.* Cælum igitur Theodo-ritus in Elementis numerauit, quodque etiam animaduertendum eſt, nullam de iiſdem agens ignis mentionem iniecit. Sanè apud veteres qui-dam extitere, qui ita cælum Elementi nomine appellandum putarunt, vt ignem non excluderent, atque iccircò quintum Elementum excogita-runt. Audi L. Apuleium lib. de Mundo. *Elementorum inter ſe mutui nexus arctis affinitatibus implicantur, & quinque coniuges copula his ordinatæ vicibus attinentur, vt adhæreant etiam grauioribus leuiora. Aquam in ſe habet tellus, & aqua (vt alij putant) vehit terram. Aer ex aquâ gignitur, ignis ex aereâ denſitate conflatur, aether viciſſim, igneſque illi immortales Dei viuacitate flammantur.* Quinque Elementa apertè facit Apuleius quinque nexibus inter ſe colligata. Iſtis autem verbis maximam afferunt lucem, quæ ſupra diſſeruerat: *Cælum ipſum, ſtellæque caligeræ, omniſque ſiderea compago Æther vocatur, non (vt quidam putant) quod igneus ſit, & incenſus, ſed quod curſibus rapidis ſemper rotetur. Elementum verò non vnum ex quatuor, quæ nota ſunt cunctis, ſed longè aliud numero quintum, ordine primum, genere diui-num, & inuiolabile.* Nil euidentius vtique proferri poterat, ex quo præ-ſtantiſſimum Elementorum Æthera fuiſſe diſceremus. Hinc eſt, quod Ioui Æthera aſſignarunt nonnulli, quos arguit S. Auguſtinus lib. 4. cap. 10. de Ciu. Dei. hiſce verbis: *Iouem, inquiunt, in Æthere accipimus, in aere Iunonem. Et hæc duo Elementa coniuncta ſunt. Mare Neptuno*

tri-

tribuitur, terra Plutoni. Tum ridet magnus Doctor, quod Iuno Ioui, Neptuno Salacia, Plutoni Proſerpina coniunctæ dicantur: *Si enim*, ait, *hæc ita eſſent, tria potius Elementa mundi eſſe, non quatuor eorum veteres proderent, vt ſingula Deorum coniugia ſingulis diuiderentur Elementis*. Ludouicus Viues vir eruditiſſimus in notis ad hunc locum pro quatuor Elementis Auguſtinum intellexiſſe cenſet terram, aquam, aerem, & ignem. Alia tamen eſt Auguſtini mens. Nil de igne ibi, ſed de Ethere tantùm is verba facit, quem Iouis nomine deſignatum, atque inter Elementa numeratum ab antiquis aſſeruerat. Recentes porrò Ethnicos addit ab iiſdem diſſidere, quum Iouem Iunoni, hoc eſt aerem Ætheri copularent, vnoque propterea ex illis Elemento conflato, tria tantummodò ex eorum ſententiâ Elementa conſtituerentur. Senſim aperuimus quænam de Elementis veterum placita forent, nunc rem clariùs illuſtrabimus, & Gaſſendum virum ceteròqui doctiſſimum ſuis interpretationibus ab eorum opinione diſceſſiſſe identidem oſtendemus. Empedocles apud Plutarch. lib. 1. cap 3. de Placit. Philoſoph. inquit:

> Τέσσαρα γὰρ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
> Ζεὺς αἴθηρ, ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεύς.
> Νῆστις θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.
> *Radices primùm rerum tibi quatuor edam.*
> *Iupiter æthereus, Iuno vitalis, ad hos Dis,*
> *Et Neſtis lacrymis humanos quæ rigat alueos.*

Gaſſendus lib. 3. ſect. 1. cap. 2. Phyſ. hîc *non obſcurè Iouis nomine intelligi ignem* inquit, Plutarchum fortaſsè ſequutus hæc ad ea carmina dicentem: Δία μὲν γὰρ λέγει τὴν ζέσιν, καὶ τὸν αἰθέρα. *Iouis enim nomine calorem intelligit, atque ætherem*. Sed vnà cum Plutarcho minùs rectè ſentit vir doctiſſimus. *Æther* ab Empedocle *Iouis* nomine inſignitus longè ab ignis Elemento differt, idem enim ipſum eſt Cælum, de quo Apuleium differentem nuper audiuimus, & alios inſuper differentes inducemus. Orpheus (ſeu Onomacritus ille ſit) in Hymno ad Rheam Elementa quatuor recenſet:

> Ἐκ σοῦ γὰρ καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
> Καὶ πόντος, πνοιαί τε ——————
> *Ex te nam tellus, cælumque, & pontus, & auræ*
> *Emerſere* ——————

Vides hîc οὐρανὸν, hoc eſt *Cælum* idem eſſe Orpheo, ac Empedocli *Æthera*. Quid igitur Cælum pro igne capi, rurſus Æthera pro igne capi Gaſſendus cenſet? Et qùidem lib. eod. ad hoc verſus ait: *Nimirum cæli nomine ob ignes in eo apparentes ignem intellexit*. Sed ingenio ſuis iam præoccupato opinionibus omnia, diuerſa licet, fauere videntur, quemadmodum oculorum vitio nonnumquam fit, vt quæ nuſquam apparent intueamur, quæ verò extant, falsâ imaginis colorumue varietate aciei intentæ obuerſentur. Etenim an adeò verborum inopiâ veteres laborauere, vt quum Elementum ignis deſcribere vellent, Cæli vocabulo abuti

coge-

cogerentur? Euripides apud Empiricum lib. 2. aduerſ. Phyſ. vniuerſa ex Æthere, & terrâ gigni arbitratus eſt:

Αἰθέρα, καὶ γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω.

Ætheraque, & Terram rerum decanto parentem.

Gaſſendus ibidem addit: *Nomine Ætheris intelligendum eſſe ignem vel ex ipsâ Ariſtotelis interpretatione intelligi poteſt 1. de Cælo. 3. & 4. Phyſ. 5.* Sed falſum eſt Euripidi Æthera idem eſſe ac ignem, & Stagyritæ hanc interpretationem in animum vſpiam incidiſſe. Nil profectò hac de re habet Ariſtoteles 4. Phyſ. cap. 5. Libro verò 1. de Cælo. cap. 3., tantùmque abeſt, vt aethera pro igne accipiat, vt etiam ab illo penitùs diuerſum conſtituat. Sunt eius verba: *διόπερ ὡς ἑτέρου τινὸς ὄντος τοῦ πρώτου σώματος παρὰ γῆν, καὶ πῦρ, καὶ ἀέρα, καὶ ὕδωρ, αἰθέρα προσωνόμασαν τὸν ἀνωτάτω τόπον ἀπὸ τοῦ θεῖν ἀεὶ τὸν ἀΐδιον χρόνον, θέμενοι τὴν ἐπωνυμίαν αὐτῷ. Ἀναξαγόρας δὲ καταχέχρηται τῷ ὀνόματι τούτῳ οὐ καλῶς, ὀνομάζει γὰρ αἰθέρα ἀντὶ πυρός. Quapropter quia primum corpus diuerſum quiddam eſt à terrâ, igne, aere, atque aquâ, Ætherem ſuperum locum appellauerunt à ſemper currendo perpetuo tempore poſitâ appellatione. Anaxagoras verò hoc nomen non rectè adhibet, pro igne enim Ætherem dixit.* Iam Gaſſendum ſuo telo iugulaui. Ætherem illum, quem Elementis annumerari audiebamus, Ariſtotele teſte non aliud quam ignem eſſe vir diſertiſſimus pronuntiabat. Sed quam rectè, quam accurate iam nemo non videt. Nil minùs reuera quam huiuſmodi dogma Philoſophus excogitauit. Verùm euidentiùs perſpiciamus, quænam hac de re ſit eiuſdem ſententia, vt ipſum Gaſſendum à memoratâ opinione validiùs deiſpiciamus. Audi perſpicua verba in lib. de Mund. cap. 2. *Οὐρανοῦ δὲ, καὶ ἄστρων οὐσίαν μὲν αἰθέρα καλοῦμεν, οὐχ ὥς τινες διὰ τὸ πυρώδη οὖσαν αἴθεσθαι, πλημμελοῦντες περὶ τὴν πλεῖστον πυρὸς ἀπηλλαγμένην δύναμιν· ἀλλὰ διὰ τὸ ἀεὶ θεῖν κυκλοφορουμένην στοιχεῖον οὖσαν ἕτερον τῶν τεσσάρων, ἀκήρατόν τε, καὶ θεῖον. Cæli porrò ſiderumq; ſubſtantiam appellamus Ætherem, non quidem ideo quod ignita flagret ipſa, vt aliqui cenſuerunt, valdè errantes circa potentiam illam maximè ab igneâ naturâ abhorrentem, origine verò huius vocabuli inde ductâ, quod ſemper Æther currat motu circumductili, quum ſit illud Elementum à quatuor illis diuerſum, tum interitus expers, tum diuinum.* Præterea idem Ariſtoteles lib. 2. de Gen. Anim. cap. 3. animalium ſemini calidam quamdam ſubſtantiam ineſſe inquit, quæ reſpondeat *τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ*, *ipſi ſiderum Elemento.* Hinc igitur, Ferrari eloquentiſſime, ſatis mirari nequeo, cur tanta Philoſophorum turba, quæ vnum Ariſtotelem præceptorem ſequitur, Elementum hoc ita contempſerit, vt ne illius quidem mentionem in ſuos inferre libros ſint dignati. Quæ enim clarior Ariſtotelis opinio proferri quam iſta poteſt? Plutarchus ipſe lib. 1. de Placit. Philoſoph. ab Ariſtotele aſſerit fuiſſe tradita *στοιχεῖα τέτταρα, πέμπτον δέ τι σῶμα αἰθέριον ἀμετάβλητον quatuor Elementa, & quintum quoddam corpus immutabile.* Itaque ſi in poſterum quis quærat, quomodo Cælum, ſeu Æther

Ele-

Elementi nomine deſignetur, quidue Paulinus noſter hac ſententiâ ſignificauerit, parata reſponſio erit, nempe Ætherem ſubſtantiam quamdam ſubtiliſſimam eſſe, motuque perpetuo præditam, quæ ad rerum generationem, corporumque conſtitutionem confluit, quemadmodum terra & aqua. Hinc, vt arbitror, Lucretius lib. 5. *Ætherem liquidiſſimum, ac diffuſilem* vocat. Item Orpheus, ſeu Onomacritus ab Æthere omnia nutriri ſenſit, dum vniuerſum mundum conſtitutum ait:

Ἐκ πυρὸς, ἐξ ὕδατος, καὶ γῆς, καὶ παντοτρόφ' αἴθρης.

Ex igne, ex aquâ, & terrâ, & omnia nutriente Æthere. Idem Auctor in hymno ad Amorem quatuor Elementa recenſuit:

Αἰθέρος οὐρανίου, πόντου, χθονὸς, ἠδ' ὅσα θνητοῖς
Πνεύματα. ——————————

Ætheris, & ponti, terræ, & ſpirabilis auræ.

Et hîc Gaſſendi interpretationem haud probo, Ætheris enim nomine ignem intelligendum putat, quum ſubſtantia illa hîc referatur, quæ in alio ſupralaudato carmine omnia nutrire dicitur, & expreſsè ab igne diſtinguitur. Quod enim vir doctiſſimus Franciſcus Patritius lib. 7. Panaug. ait: *Æther vniuerſus ex veterum Græcorum ſapientiâ ignis eſt*, tam longè ab eorum ſententiâ diſcedit, vt iam confutatione non egeat. Quibus animaduerſis lux quædam Virgilio affulgebit ita lib. 2. Georg. canenti:

Tum pater omnipotens fæcundis imbribus Æther
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fætus.

Quin & Pacuuiùs in Chryſe hoc idem apertiſſimis tradidit verbis:

Quod noſtri Cælum memorant, Graij perhibent Æthera,
Quicquid eſt hoc, omnia is animat, format, auget, alit, ſerit;
Sepelit, recipitque in ſe omnia, omniumque idem eſt Pater.

Vides ergò apud veteres Cælum, ſiue Ætherem, ſeu ſubſtantiam illam, quam Empiricus lib. 2. aduerſus Phyſ., & alibi κυκλοφορητικὸν σῶμα *mobile in orbem corpus* appellat, pro Elemento habitam, atque iccircò quum ab illis Æthera vnà cum terrâ, aquâ, & aere recenſeri audies, non ignem continuò, vt Gaſſendus cenſuit, ſed Elementum ab igne diuerſum inibi deſignatum intelliges. Plura verò ad hanc ſpectantia quæſtionem breuitatis memor ommitto, vnumque pro dictorum coronide animaduerto. Materia illa ſubtilis, quam Carteſius vir ſummi ingenij primus omnium excogitaſſe eſt viſus, ita Paripateticos nouitate percellit, vt tamquam audaciſſimum figmentum è ſcholis eliminandum exclament. At nonne mutato paululùm nomine idem eſt ac antiquorum Æther, eademque *diffuſilis* ſubſtantia, vnde omnia formantur, atque nutriuntur? Miretur quidem ætas noſtra, aut damnet Carteſium; communem ille cum antiquis ſortem ſubeat oportet, quandò ingenioſam ab illis audacemue ſententiam mutuatus ex imitatione potiùs, quam ex inuentione ſibi nomen quæſiuit. Sed & ſubſtantia illaætherea, quam Robertus Fluddus

præclariſs. Medicus inter prima rerum principia ſtatuit, nonne ab Auctoribus per me laudatis tradita primùm fuit, & inde in acutiſſimi viri libros transfuſa? Ita verum eſt, quod Eccleſiaſtes cap. 1. ait: *Nil ſub Sole nouum*, & in Scientiarum culturâ nil ferè excogitari poſſe, quod in veterum ſcholis procuſum aliquando non fuerit. Hæc ſunt, Ferrari erudítiſſime, quæ ad Paulini verſus adiungenda cenſui, quæque tandem ab eruditione tuâ ſuffragium præſtolantur. Enimuerò non poſtremum eſt decus tuum Philoſophiæ exquiſitiori nomen dediſſe, interque ſeriem reliquarum ſcientiarum, quibus ornaris, hanc quoque tuam ita fuiſſe factam, vt non Phyſiologus minùs quam diuini humanique iuris peritiſſimus videare. Huiuſmodi igitur ornamentis diſceptationi meæ, vt ad te accederet, animum addidiſti, nunc humanitate præſtabis, vt accedentis obſequium ſuâ non careat felicitate. Vale.

De Cruce Nolana.

DISSERTATIO XXI.

NE nimiùm in notis immorarer, placuit huc ea omnia conijcere, quæ de Cruce à Paulino deſcriptâ diſſerere non alienum videbatur. Duplex Crucis olim figura componi ſolebat. *Commiſſa* vna vocabatur, quum nempe ligno erecto alterum breuius ſupra, & in ipſo vertice tranſuerſum committebatur, ita vt nil ex eodem ligno erecto ſupra extaret. *Immiſſa* altera fuit, videlicet quum ligno erecto tranſuerſum iniungebatur, ita vt ipſum ſecaret. Prioris exemplum litera T. exhibet, alterius paſſim occurrit in Templis, alijſque Chriſtianorum monumentis. Vtri Chriſtus affixus fuerit, incertum; quamquam eruditiſſimi viri Lipſius cap. 10. lib. 1. de Cruce, & Gretſerus lib. 1. cap. 3. de S. Cruce, decus hoc *immiſſæ* Cruci contigiſſe firmis nixi argumentis contendant. Ego omni quæſtione dimiſsâ Crucis à Paulino memoratæ figuram proſequar, & cuiuſnam generis fuerit, breuibus inquirere pergam. Generatim Crucis effigiem deſcribit S. Vates Nat. XI., aitque.

Forma Crucis geminâ ſpecie componitur, & nunc
Antemnæ ſpeciem nau alis imagine mali,
Siue notam Græcis ſolitam ſignare trecentos
Explicat exiſtens, cum ſtipite figitur vno,
Quáque cacumen habet tranſuerſo vecte iugatur.

En vtriuſque Crucis diſtinctam imaginem. *Immiſſa* ex antemnæ, ſeu mali naualis ſpecie intelligitur, de quâ Gretſerus luculentum, dignumque cedro Opus promulgauit, Boſius lib. 1. cap. 5. de Cruce Triumph., & Lipſius lib. 1. cap. 9. de Cruce, alijque non pauci egere. *Commiſſa* verò

Crux

Crux per *notam Græcis ſolitam ſignare trecentos*, videlicet per Tau delineatur. Hoc exemplo non ſemel Paulinus eſt vſus, quippe qui in Ep. 2. ad Sulpic. Seuer. ita loquitur: *Chriſtus non multitudine, nec virtute legionum, ſed iam tunc in Sacramento Crucis, euius figuram per literam Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, aduerſarios Principes debellauit*. S. quoque Auguſtinus Serm. 1. de Tem. Fer. 2. poſt Dominicam Paſſionis: *Preuidit ergò*, ait, *myſterium Sanctus Gedeon: denique elegit trecentos viros ad prælium, vt oſtenderet non in numero multitudinis, ſed in Sacramento Crucis mundum ab incurſu grauium hoſtium liberandum; trecenti enim in Græcâ Tau ſimilitudinem Crucis oſtendit*. Tertull. lib. 1. aduersùs Marcionem: *Ipſa enim litera Græcorum Tau, noſtra autem T. ſpecies Crucis*. Dirutum Serapidis templum fuit Theodoſio M. imperante, ibique, vt Rufinus lib. 11. cap. 29. Hiſt., Sozomenus lib. 7. cap. 15., Socrates, ac Suidas teſtantur, literæ Ægyptiorum Hieroglyphicæ inuentæ fuerunt, quæ Crucis imaginem præ ſe ferebant. Earumdem typum profert Kircherus in Interpr. Obeliſci Ægypt. Hierogl. 5., ſignis prorsùs cum noſtro T. conuenientibus. Crucem etiam huiuſmodi, ni fallor, deformare videtur. I. Firmicus vetuſtiſſimus Auctor lib. de profanâ Relig., quum ait: *Cornua nil aliud niſi venerandum Crucis ſignum monſtrant. Huius ſigni vno extenſo, ac directo cornu mundus ſuſtentatur, terra conſtringitur, & è duorum, quæ per latus vadunt, compagine Oriens tangitur, Occidens ſubleuatur, vt ſic totus Orbis tripartitâ ſtabilitate firmatus &c.* Propterea *Crucem baculo ſtante bicornem* ſupra nuncupauit Paulinus, eiſque verbis vnam Crucem *commiſſam* expreſſit, quæ, vt is infra addit,

——————ſtipite figitur vno,
Quàque cacumen habet, tranſuerſo vecte iugatur.

His de Cruce *commiſſâ* animaduerſis, Crucis illius, quam è Nolanâ Baſilicâ perditiſſimus latro amouit, ſeu monili orbauit, deſcriptionem à Paulino petamus. Sunt eius verba:

Ergò eadem ſpecies formam Crucis exerit illam,
Quæ trutinam æquato libratam ſtamine ſignat,
Subrectoque iugum concors temone figurat,
Siue ſuperciliis à fronte iugantia vultum
Lumina tranſuerſis imitatur cornibus arbor &c.

Hinc porrò Crucem Nolanam *commiſſæ* conſimilem elaboratam fuiſſe colligo. Singula diſpiciamus. Si ſtipitem erigas, eiuſque cacumini trutinam æquis hinc inde lancibus pendentem imponas, vtique Crucis memoratæ formam fueris nactus; nam ſtipes rectus, trutinæque brachia literàm T. intuentibus exhibent. Rurſus ſi rectum currus alicuius temonem iugo vertici impoſito conſideres, eamdem itidem Crucis effigiem literæ T. ſimillimam ab illo deſignari videbis. Denique ſi vultus humanos inſpicias, & ſupercilia, naſique & oris diſpoſitionem contemplemur, nonne eiuſdem Crucis figura noſtris occurrit oculis? Fateor nihilominùs,

non ita pro certo ſtatui poſſe, quænam ſit Paulini mens hocce in loco; quandoquidem temonum cum iugo ſuperaddito forma Crucem potiùs *immiſſam*, quam *commiſſam* noſtrâ hac tempeſtate repræſentat. Contrà facies humana huius potiùs quam illius figuram præfert, etenim ſupra oculorum ſupercilia nullum attollitur in fronte læui, ac planâ ſignum, quo tertium Crucis cornu eminere videatur. Sit hac de re aliorum iudicium, mea nunc eſt ſententia Nolanam Crucem *commiſſæ* conſimilem fuiſſe efformatam, & fortaſſis ad Labari ſimilitudinem, cuius effigiem exhibet præter Baronium Boſius lib. 7. cap. 13. de Cruce Triumph. Sed accuratiorem aliorum ſententiam opperiri præſtat.

Spicilegium ex operibus S. PAVLINI deperditis.

DISSERTATIO XXII.

GEnnadius de Scriptor. Eccleſ. S. Paulini opera his verbis recenſet: *Paulinus Nolæ Campaniæ Epiſcopus compoſuit verſu breuia, ſed multa, & ad Celſum quemdam Epitaphij vice conſolatorium libellum ſuper morte Chriſtiani, & baptizati infantis ſpe Chriſtianâ munitum. Et ad Seuerum plures Epiſtolas. Ad Theodoſium Imperatorem ante Epiſcopatum proſâ Panegyricum ſuper victoriâ Tyrannorum eo maximè, quod Fide, & oratione plus quam armis vicerit.* Eſt hic ille Panegyricus, de quo Hieronymus ad Paulinum ipſum ſcribens Ep. 13. incredibilia in laudem eius protulit, nobiſque proptetea intolerabile illius deſiderium inicit. Sequitur Gennadius: *Fecit & Sacramentarium, & Hymnarium. Ad Sororem quoque Epiſtolas multas de contemptu mundi dedit, & de diuerſis cauſis diſputatione diuersâ Tractatus edidit. Præcipuum tamen opuſculorum eius eſt Liber de Pænitentiâ, & de laude generali omnium Martyrum.* O iacturam non ſatis deplorandam! Poſtrema hæc amiſimus, & neſcio an vnquam reparare licebit. Extat in Ambroſianâ Bibliothecâ vetuſtiſſimus Codex, quem ſeculo octauo, atque etiam ſeptimo exaratum crediderim. Caractere ad ſeculi Merouingici Scripturam accedunt, & non nihil Saxonicæ præferunt, cuiuſmodi exempla nobis exhibuit Mabillonius V. C. in laudatiſſimo Opere *de Re Diplomaticâ*. Continentur autem iſto in Codice veterum Patrum ſententiæ, & explicationes in quædam Scripturæ loca. Auguſtinus, Hieronymus, & Gregorius maiorem implent partem, ac omnium recentiſſimus Auctor inter eos venit Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus. Quædam S. Paulini fragmenta *ibi* nobis occurrerunt, quæ nunc publici iuris facere congruum videtur. Inter ea potiſſimùm, quæ

inibi

inibi animaduerſione digna ſum ratus, illa ſunt verba: *Chriſtus poſt Paſſionem, & Aſcenſionem ad Cælos, ſicut Heliſeus aſcendit in Bethel, ideſt in domum Dei, conuerſus maledixit Iudæis poſt XLII. annos Aſcenſionis ſuæ, & immiſit duos vrſos, ideſt duos Reges horrendos Veſpaſianum, & Titum, qui de Syluis Gentium prodeuntes crudeli eos ſtrage inſtauerunt*. Petauius Chronologorum Princeps lib. 11. cap. 17. de Doctr. Temp., & alibi euerſam à Tito Hieroſolymam euincit Anno Epochæ noſtræ 70., cui conſentiunt Scriptores reliqui. Si igitur ab hoc anno retrò numeres 42. annos, quos Paulinus inter Hieroſolymæ excidium, & Aſcenſionem Dominicam interceſſiſſe affirmat, venies ad annum Epochæ eiuſdem 28., aut 29. ſi vtrumq; terminum ſimul numeres. Vnde anno 29. Dionyſiano ſecundùm Paulinum Chriſtus Dominus Paſſione conſummatâ in Cælum aſcendit. Euſebius Cæſarienſis in Chronico Vrbem hanc aſſerit captam anno 42. ab anno 15. Tiberij, & rectè; reuera enim annus 29. Æræ vulgaris incidit in 15. Tiberij, quo anno Conſules proceſſere duo Gemini. Quum tamen Euſebius cenſuerit Chriſtum anno 18. Tiberij paſſum, hinc eſt quod lib. 3. Hiſt. Eccl. Hieroſolymam à Tito captam aſſerit *quadraginta ſolidis annis expletis poſt facinus in Chriſtum admiſſum*, quâ in opinione Paulinus eumdem non ſequitur, quum ex eius verbis Chriſtus anno 15. Tiberij crucifixus, & in cælos delatus euidenter appareat. Ceterùm Paulino in hac ſententiâ concordes deprehenduntur omnes ferè vetuſti Patres, qui Chriſtum duobus Geminis Coſſ. paſſum, anno ſcilicet 15. Tiberij ſtatuerunt. Clemens Alex. lib. 1. Strom., Tertullianus aduerſ. Iudæos cap. 8., Lactantius lib. 4. diu. Inſt. cap. 10., Sulpicius Seuerus lib. 2. Sacr. Hiſt., S. Auguſtinus lib. 18. cap. vlt. de Ciu Dei (quamquam ipſe ibidem ſibi contradicere videatur) Paulus Oroſius lib. 7. Hiſt., Africanus apud S. Hieronymum in cap. 9. Danielis, & alij quamplurimi, quibus accedunt etiam recentiores nonnulli. Singulariter verò 42. annos à Paſſione Chriſti ad Hieroſolymæ excidium effluxiſſe docuit Clemens Alex. lib. 1. Stromat., vbi ſic habet: *A paſſione Chriſti ad euerſionem Hieroſolymorum anni ſunt 42. menſes 3.* Sanctus quoque Hieronymus in cap. 1. Sophon. verſ. 17. hæc ait: *Poſt annos 42. Dominicæ Paſſionis circumdata eſt ab exercitu Hieruſalem, & conſummatio illius facta eſt cum feſtinatione.* Quod repetit in Ep. 150. ad Helbiam quæſt. 8. Hæc quidem opinio de Chriſti Paſſione anno 15. Tiberij, & 29. Epochæ noſtræ peractâ paucos nunc habet ſectatores, celebris tamen ita olim fuit, vt illi Paulinum ſubſcripſiſſe mirum non ſit. Illud quidem mirum videbitur, nempe Scriptorem quendam Gallicum, cui criticum in S. Auguſtini opera examen debemus, hanc opinionem ita diſſimulaſſe, aut ignoraſſe, vt eam Auguſtino in mentem nunquam obuenire potuiſſe pronunciarit. Eſt inter opera huius magni Doctoris Sermo 204. ita inſcriptus: *De eo quod ſcriptum eſt de S. Heliſeo Aſcende calue &c.* Ibi præter alia dicitur: *Quid eſt: Aſcende calue, aſcende calue, niſi aſcende Crucem in loco Caluariæ? Et hoc attendite Fratres, quia ſicut*

ſub

ſub Heliſeo 42. pueri lacerati ſunt, ita & poſt 42. annos Paſſionis Dominicæ venerunt duo vrſi Veſpaſianus, & Titus. Tum ſubijcit Hieroſolymæ vaſtationem per Romanos factam, additque *Poſt 42. annos à duobus vrſis Veſpaſiano, & Tito gens illa ſacrilega quod merebatur excepit.* Hinc memoratus Auctor occaſionem arripit hunc Sermonem exſibilandi, eumque Auguſtino abiudicandi. Inquit ille inſulſum planè videri hoc effatum, quum non 42., ſed 36., aut 37. annos poſt Chriſti Paſſionem ſubuerſa fuerit Hieroſolyma; eſſe hoc enorme in Chronologiam peccatum, ac propterea Auguſtino Sermonem indignum. Errat ille, ac in veterum Patrum lectione hoſpes videri poſſet, quandoquidem vti ſuperiùs animaduerſum eſt, eorum plerique Chriſtum paſſum duobus Geminis Coſſ., hoc eſt anno Tiberij 15. cenſuere, ac inter eos potiſſimùm S. Auguſtinus. Ab eo autem anno ad Vrbis Sanctæ euerſionem 42. annos colligere neceſſarium fuit. Quod ſi Chronologorum recentium doctiſſimis placitis ſententia hæc aduerſatur, neque Auguſtino, neque Paulino id vitio vertendum, qui communi celebrique opinioni fauebant. Non igitur iſtam ob cauſam Auguſtinum ille ſermo dedecet, quamuis & ego certiſſimum arbitrer ab eius calamo non prodijſſe, ſed potiùs à Paulini operibus deperditis expreſſum fuiſſe, quod hæc fragmenta legenti confeſtim patebit. Vt autem ad eadem fragmenta redeamus, tria vltima procul dubio ex libro de Pænitentiá, quem ſupra omnes laudari à Gennadio audiuimus, ſunt hauſta; reliqua verò ex Epiſtolis deperditis, aut ex alio Paulini opere deſumpta crediderim. Mihi etiam temperare non potui, quin lepidam omninò, atque apocrypham citarem Epiſtolam, quæ in ornatiſſimo Ambroſianæ Bibliothecæ MS. inter Hieronymianas ſexageſima quinta dicitur, & hunc titulum præfert: *Item Hieronymus de duodecim Doctoribus.* Eius initium ita ſe habet: *Vis nunc acriter, mi frater, vt tibi quaſi de luminaribus, quæ in toto firmamento mundi reſulgent, pauca de Scriptoribus, qui nobis multa de obſcuritatibus, quæ propter carnalem mentem intelligentiam impediunt, ad ſplendorem conſiderationis ſpiritualem proferre potuerunt, manifeſtiſſimè dicam.* Tot verborum ſalebræ, ac circumloquutiones fœtum hunc Hieronymi haudquaquam eſſe continuò nos monent. Ibi verò cenſura profertur in Auguſtinum, Hilarium, Origenem, Ambroſium, Euſebium Cæſarienſem, Heliodorum, & Dardanum. Tum hæc de Paulino noſtro maleferiatus Auctor eructat: *Paulino viſum eſt Magiſter fieri, & non erat ante diſcipulus, & fructum ſine radice oriri, fierique temptauit; ideò eius conſcriptiones Scriptore, & chartâ non indigent.* De Pelagio deinde, Iouiniano, Iulio Africano, & Fannonio Scriptore ignoto ſententiam profert. Verùm tam longè abeſt, vt hæc Epiſtola Hieronymo ſit adſcribenda, quin ab eius ſtylo, opinione, ac ſanctitate omninò abhorrere dignoſcatur. Huic inſulſo figmento ſubijciendas duximus caſtigationes, ac additamenta ad reliquos Paulini Natales. Quum enim exemplaria typis hucuſque commiſſa, & præcipuè editionem Plantin. Antuerp. ann. 1622. cum præſtantiſſimo

Codi-

Codice noſtro contulerimus, quædam deeſſe carmina, quædam in melius reſtituenda perſpeximus. Itaque has animaduerſiones alicui fortè Paulini opera impreſſuro non modicum profuturas exhibemus, vt quantum in nobis eſt tanti Scriptoris maieſtatem promoueamus.

Ex Operibus S. PAVLINI deperditis excerpta.

PRæcepit Dominus coruis, vt paſcerent Heliam in torrente Choreb ſedentem. Mira profectò res eſt, vt viro Sancto auis immunda vitæ ſubſidia miniſtraret. Vndè ſi & nos contemnentes etiam propria imitemur paupertatem Heliæ, credite dicenti, quod immunda animalia, ideſt homines peccatores deuoto nobis obſequio miniſtrabunt.

Cur Heliſeus manſuetus, ac mitis paruulos legimus beſtijs tradidiſſe? Heliſeus Propheta figuram Chriſti gerebat. Deniq; vocabulum iſtud *Salus Dei* interpretatur. Salus autem Dei quid aliud eſt, niſi Filius eius, qui & Saluator eſt mundi? Paruuli verò inludentes ſaluti Dei in Heliſeo Iudæorum habuere perſonam, qui clamabant dicentes: *Aſcende calue, aſcende.* Quod in Caluariæ loco Chriſtus aſcenſurus erat in Crucem. *Et conuerſus*, ait Scriptura, *maledixit eis in nomine Domini*. Et exierunt duo vrſi de ſyluà, & interfecerunt XLII. infantes. Et Chriſtus poſt Paſſionem, & Aſcenſionem ad Cælos, ſicut Heliſeus aſcendit in Bethel, ideſt in domum Dei, conuerſus maledixit Iudæis poſt XLII. annos Aſcenſionis ſuæ, & immiſit duos vrſos, ideſt duos Reges horrendos Veſpaſianum, & Titum, qui de ſyluis gentium prodeuntes crudeli eos ſtrage iactauerunt.

Iuſtus ſepties cadit in die, & reſurgit. Qui ſemel cadit & iterum, quomodo iuſtus vocari poſſit? Ideo iuſtus dicitur, quia cadens erigitur. Septimus autem numerus requiem docet. Qui in ſeptimo ceciderit cauere debet, ne vlteriùs cadat. Iam oportuerat poſt vnum lapſum cauere de reliquo; ſed quia miſericors Deus eſt, patienter ſuffert huiuſmodi lapſus, vt quis vel in ſeptimo reſipiſcat. Si autem negligentior quis effectus reſurrectionis tranſierit numerum, non poteſt dici iuſtus, ſed propter multitudinem delictorum in peccatorum numero deputatur. Duobus modis homo delinquit; propoſito, & caſu, vt alius peccare velit, & alius præueniatur peccato. Sed caſus duplici diui-

diuiditur modo, ignorantiá, & infirmitate. Iudas propoſitò peccauit dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradam?* Hic quod propoſuit volens impleuit, & ideo iuſtam ſceleratiſſimæ voluntatis mercedem recepit. Petrus verò infirmitate Dominum negauit mortem timens, qui ſe mortem pro Chriſto paſſurum eſſe promiſerat. Sed quia de repente victus fuerat, ideo velocem lapſi veniam promeretur. Paulus verò ignorans perſecutor effectus celeri veniá ſanatur, ipſo etiam adteſtante: *Perſecutus ſum Eccleſiam Dei, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quod ignorans feci*. Vides ergò alios nolentes cadere, alios elidi propriá voluntate. Duo etiam quædam in homine ſunt, obliuio, & ignorantia. Obliuiſcitur homo Deum, cum peccare proponit; ignorat autem, cum præuentione delinquit, vt puta fornicatus eſt quis volens, alius verò repugnans fornicationi infirmitate victus eſt. Vnum quidem eſt amborum peccatum, ſed non erit æqualis pænitentia, quia ille volens, hic verò nolens in certamine victus ſuccubuit. Vides, quæ ſit peccati diſtantia? Ecce quomodo cadit iuſtus, & Domino manum ſupponente ſaluatur &c.

Dei voluntati noſtrá poteſtate adiuuemus, vt ipſe ſuá virtute noſtræ faueat voluntati, quia ſcriptum eſt: *Neque volentis, neq. currentis, ſed Dei miſerantis eſt*. Velle enim, & currere noſtrum eſt, Dei autem miſereri, ipſá etiam Veritate Apoſtolis adteſtante: *Sine me nihil poteſtis facere*. Et Paulus: *Quid habes*, inquit, *quod non accepiſti? Si accepiſti, cur gloriaris, quaſi non acceperis?* &c.

Itaq; ſi quis exacerbauerit Deum, Moyſi imitetur exemplum, qui dubitationis culpam pænitentiæ, & humilitatis ſatisfactione deleuit. Si ſacrilegij quis crimen incurrit, imitetur Aaron, qui confeſſionis, & humilitatis per medelam tranſgreſſionis expiatus crimine Sacerdotij meruit principatum. Si quis adulterium, & homicidium fecerit, conſideret Dauid, & agat pænitentiam, atq; medicamine ſanus effectus in timore Dei permaneat. Si quis in confeſſione fuerit victus, & tormentis cedens Fidei extiterit proditor, Petri, qui negauit imitator exiſtat. Egreſſus foras, ideſt egreſſus à perfidiá, fleat amariter, & recurrat ad Fidem. In magnis peccatis magnorum virorum delicta monſtrantur, vt ſimili modo ſi infirmus quis, aut humilis errauerit, reſpiciens ad exemplum magnorum virorum facilis vitæ aditum inueniat, & ad Fidem, pænitentiamq; conuertatur &c.

NATAL. I.

Iuxtà edit. Plantin. ann. MDCXXII. Antuerpiæ, cum MS. noſtro collatus.

V. 3. *Conſtanti voce profeſſus*. MS. *Non victâ voce profeſſus*.
V. 20. *Qui nos procul æquore*. MS. *Qui nos tanto æquore*.

NATAL. II.

Pag. 537. poſt verſum 17. *Semper eo, & terris te propter tutus, & vndis.*
Sequitur: *Ecce vias vario plebs diſcolor &c.* Sed in MS. hæc etiam carmina interponuntur.
Semper eo, & terris te propter tutus, & vndis.
Hunc, precor, æternâ pietate, & pace ſerenum
Poſce tuis, cuius magno ſtas nomine Felix.
Nunc iuuat effuſas in gaudia ſoluere mentes;
Cara dies tandem, quoniam hic præſentibus orta eſt,
Semper & externum nobis celebrata per orbem,
Quæ te ſacrauit terris, & contulit aſtris.
Ecce vias vario plebs &c.

NATAL. III.

Pag. 538. V. 10. *Martyrium ſine cæde placet, paſſura voluntas &c.*
MS. *Martyrium ſine cæde placet, ſi prompta ferendi*
Menſque, fideſque Deo caleant, paſſura voluntas &c.
V. 12. *Quæ munere rettulit alto*. MS. *quæ munere condidit alto*.
Pag. 539. V. 15. *Alma dies magnis celebratur cœtibus, oræ*
Gaudent terrarum, & ridere videtur opertis &c.
MS. *Alma dies magnis celebratur cœtibus, omnes*
Vota dicant ſacris rata poſtibus, omnia gaudent
Terrarum, & Cœli. Ridere videtur apertis &c.
V. 28. *Et qua bis ternas Campania &c.*
MS. *Et bis terdenas Campania &c.*
Pag. 540. poſt verſum 21. *Hoſpitibus &c.* Sequuntur verſus tres: *Tu quoque poſt Vrbem titulos &c.* Sed in MS. non apparent, & quidem iuſtè, quum ſint ipſimet verſus Natalis ſecundi heic, infulsè repetiti.

NATAL. IV.

Pag. 543. V. vlt. *Mutauit patrias externo ceſpite terras.*
Myſtica Felicem &c.
MS. *Mutauit patrias externo ceſpite terras,*
Depoſuitque ſacrum Chananæis ſemen in aruis,
Vnde peregrinas abeunte propagine terras
Myſtica Felicem &c.
Pag. 545. V. 16. *Sed ne ſola viro ſacrum caput infula velet,*
MS. *Sed ne ſola ſacrum caput infula comeret illi.*

NATAL. V.

Pag. 553. V. 5. *Felici libata meo*. MS. *Felici libare meo*.
Pag. 555. V. 30. *Defixoque gradu ſimul & dixere*. MS. *Sibimet dixere &c.*
V. vlt. *Non penetraſſe virum præcluſa*. MS. *Virum per clauſa &c.*
Pag. 556. V. 25. *Opprimit, aduerſiſque expugnat montibus vrbes.*
MS. *Obprimit, aduerſæ quæ opponunt mortibus vrbes.*
Pag. 558. V. 14. *Non fera monſtra fides quia vicerat alma Leones.*
MS. *Non fera iam feritas, ſæuos quia fida Leones*
Pag. 559. V. 20. *Maximus, & numerus ductu &c.*
MS. *Maximus, & pecudes &c.*
Pag. 561. V. 6. *Hunc retinens animum tria macri &c.* MS. *Modici tria &c.*

NATAL. VI.

Pag. 562. V. 3. *Non gaudere hodie? & vacuum procedere voti?*
Cælicolas Chriſti &c.
MS. *Non gaudere hodie? & vacuum procedere voti*
Quâ quis poſſit ope ingenij, linguæque, reique?
Cælicolas &c.
Pag. 563. V. 1. *Fercula opima cibis, ceruis aulæa feriſque &c.*
MS. *Fercula opima cibis, ceras, aulæa, lucernas &c.*
Pag. 564. V. 16. *Et tacitum obtento ſeruari marmore corpus.*
Membra latent &c.
MS. *Et tacitum obtento ſeruari marmore corpus.*
Nemo oculi hominum, quæ corpore cernimus, extat,
Membra latent &c.
V. vlt. *Vrbs deuota pium, ſed ſpe ſolatur &c.*
MS. *Sed ſolabatur &c.*
Pag. 566. V. 11. *Illicò ſed poſitis ex oſſibus ecce micat lux.*
MS. *Illicò ſed poſitis ex oſſibus emicuit lux.*

NATAL. VII.

Pag. 575. V. 5. *Ducat, concreto terris canentibus anno.*
MS. *Ducat concretum terris canentibus annum.*
Pag. 576. V. 20. *Inchoat, & ſicut præcidens &c.*
MS. *Et ſubitò præcidens &c.*
V. 24. *Donetur variare modis, & iam mihi pacta*
MS. *Donetur variare modos, & pacta quotannis.*
V. 32. *Occultâque manu communes &c.* MS. *Manu clamoſos.*
Pag. 577. V. 5. *Plenius omne luant decreto*. MS. *Omne luant dilato &c.*
V. 24. *Liber agit, quia non hominis &c.*
MS. *Liber agit, ſpecies pœnarum in corpore tantùm eſt,*
Senſus abeſt, quia non hominis &c.
Pag. 578. V. 27. *Noſtis eum morem, vt ieiunare*. MS. *Morem quo &c.*
Pag. 579. V. 7. *Nutabat ſolitus lignum ſuſpendere funis.*
MS. *Nutabat ſolitus lychnum ſuſpendere funis.*
Pag. 582. V. 18. *Et peccatorem luſeum, fateor, decet eſſe,*

Sed

Sed recole , vt dudum &c.

MS. *Et peccatorem luſcum , fateor , decet eſſe .*
Si deceat talem eſſe tuum , quocumque ligatus
Crimine , ſit dignus veniâ iam , ſi tuus eſſe
Cæperit , vt dudum cæpi &c.

NATAL. VIII.

Pag. 588. V. 7. *Quam populo Domini &c.* MS. *Quam famulo Domini .*
Pag. 590. V. 3. *Terrentemque manu latè &c.* MS. *Terrentem magnos latè.*
Pag. 592. V. 32. *Ceu quandoque feræ .* MS. *Ceu aliquando feræ .*
Pag. 593. V. 4. *Innocuos cantare reos &c.* MS. *Atque ſuos cantare reos .*
V. 27. *Gloria par , quoniam Sanctis fons omnibus vnus ,*
Martyribuſque ſacris , opera & diuerſa fuerunt .
MS. *Gloria par , quoniam ſanctis fons omnibus vnus ,*
Et regnum commune Deus , non vna Prophetis ,
Martyribuſque ſacris opera , & diuerſa fuerunt
Pag. 594. V. 30. *Qui vitijs animas , & morbis corpora frangunt ,*
Peccatiſque vorant &c.
MS. *Qui vitijs animas , & morbis corpora frangunt ,*
Qui deſiderijs hominem flammantibus vrunt ,
Peccatiſque vorant &c.
Pag. 595. V. 16. *Quaſi triſtia myrrhæ .* MS. *Quaſi triſtia merræ .*
Pag. 596. V. 21. *Petere , ac ambire &c.* MS. *Petere , ac ſentire &c.*

NATAL. IX.

Pag. 598. V. 6. *Totis mihi prælucere .* MS. *Totis mihi te lucere &c.*
Pag. 599. V. 28. *Tamen hoc magnæ pietatis in omnes .*
MS. *Hunc magnæ pietatis honorem .*
Pag. 600. V. 17. *Currens Aeolio .* MS. *Currens æreo &c.*
V. 30. *Dexter & in ſeruos .* MS. *Dexter , & inde ſuis .*
Pag. 602. V. pen. *Iunctus adeſt Domini .* MS. *Vnctus adeſt Domini .*
Pag. 603. V. 4. *Et aromata verna .* MS. *Et aromata Chriſti .*
V. 16. *Nicetam redijſſe .* MS. *Nicetam ridere &c.*
V. 20. *Ergò conſpiciens .* MS. *Hunc ego conſpiciens &c.*
Pag. 606. V. 26. *Quo te mea dextra .* MS. *Quo me tua dextra &c.*
Pag. 608. V. 19. *Gemino quoque iure .* MS. *Gemino qui iure &c.*
V. pen. *Male caſto ceſpite .* MS. *Male culto ceſpite .*
Pag. 609. *Populis rumpentibus .* MS. *Populis gaudentibus .*
Pag. 610. V. 14. *Adiacet . Hunc Chriſtus pauidæ cunctamine mentis*
Viuere poſt mortem , vt vero &c.
MS. *Adiacet . Hunc Chriſtus pauidæ cunctamine mentis*
Pro noſtrâ dubitare fide permiſit , vt & nos
Hoc duce firmati Dominumque Deumque trementes
Viuere poſt mortem vero fateamur Ieſum
Corpore , viua ſuæ referentem vulnera carnis ,
Vt veniente die &c.

V.30. *Proque ſalutiferis* . MS. *Parque ſalutiferis*.

Pag.611. V.19. *Faſſus enim eſt vnum trino ſub nomine regnum;*
Et quod contextæ iunctis ſibi molibus ædes
Fine pio ſignant &c.

MS. *Faſſus enim eſt vnum Trino ſub Numine regnum;*
Et quod contextæ iunctis ſibi manibus ædes
Iure pio ſignant &c.

Pag.614. V.31. *Diuendant vina tabernis*. MS. *Diſcedant vina &c.*

NATAL. X.

Pag.618. V.21. *Aſpectare iocos*. MS. *Aſpectare lacus*.

Pag. 620. V. 5. *Et multo terrebant igne vapores*.

MS. *Et magno terrebant rura vapore*.

Pag.621. V.22. *Quam vicerat illic*. MS. *Quam liquerat illic*.

V.27. *Gurguſtia dictis*. MS. *Gurguſtia tectis*.

APPENDIX
AD PRIMVM TOMVM ANECDOTORVM

AVCTORE

LUDOVICO ANTONIO MURATORIO
Collegij Ambroſiani Doctore.

Propempticon eruditiſſimo æquè, & amiciſſimo P. EVSTACHIO à S. VBALDO ex Congreg. Excalc. S. AVGVSTINI, Sanctæque Mediol. Inquiſ. Conſultori, V. C.

De antiquo Iure Metropolitæ Mediolanenſis in Epiſcopum Ticinenſem.

SIgnificaſti mihi non ſemel, Vir Ornatiſſime; tibi iam conſtitutum fuiſſe res patrias, eaſque potiſſimùm, quæ ad Metropolis Mediolanenſis dignitatem ſpectant, in bono lumine collocare. Conſilium, fateor, occupaſti, quod animo meo duos ab hinc annos obuerſari cæpit, & cui iam multa deſtinaram. Nihilominùs de ſpe meâ decidere mihi adeò gratum fuit, vt potiùs meditationibus tuis fuerim gratulatus, quam de interruptâ ſtudiorum meorum lineâ doluerim. Quum enim & ingenij acumine, & eruditionis vbertate longè mihi præſtes, inuidiæ ſuſpicione fortaſſis non caruiſſem, ſi inſtitutum tuum terrarum orbi procul dubio feliciùs, quam de me ſperare queam, profuturum obuijs non excepiſſem vlnis, debitoque plauſu non fuiſſem proſequutus. Quin quanti ego conſilium hoc tuum fecerim, non tibi tantùm in aurem inſuſurrare, ſed etiam publico patefacere laudum teſtimonio in animum induxi, vt in dies conſtet magis, quâ obſeruantiâ te ſimul, tuamque doctrinam ſuſpiciam. Vbi igitur audiui in manibus tibi eſſe Diſquiſitionem de antiquo Iure Metropolitæ Mediolanenſis in Epiſcopum Ticinenſem, continuò quædam in medium afferenda duxi, quæ tum obſequij mei fidem facerent, tum etiam in huiuſmodi labore quicquam fortaſsè ſubſidij tibi ſuppeditarent. Præterea mantiſſa hæc Paulino meo adiuncta, velut fax quædam præuia, clariori luci præludet, quam à te literaria Reſpublica non tam expoſcit, quam ſperat. Quan-

tùm

tùm autem hocce tuum opus Metropoli huic prȩſtantiſſimæ ſit allaturum ſplendoris, ſatis explicari non poteſt. Ea enim quorumdam animos inuaſit opinio, nempe nullis vnquam temporibus Mediolanenſi Antiſtiti in Ticinenſem Eccleſiam ius Metropoliticum fuiſſe, illamque ab ipſis Fidei Chriſtianæ incunabulis vnicè Romano Pontifici paruiſſe. Quod & à veritate alienum eſt, & Mediolanenſem Metropolitam offendit, cuius antiquum decus, ſplendorque imminuitur, & ad huius Sanctæ Eccleſiæ dignitatem tuendam veritatis amantes impellit. Enimuerò hanc vnam crebrò cantilenam Ticinenſes Scriptores canunt, inter quos Antonius Maria Spelta in Oratione de Regiæ, ac antiquiſs. Papiæ præſt. *Eſt*, inquit, *naturalis, & innata Eccleſiæ Ticinenſis libertas &c.* Bernardus verò Saccus lib. 6. cap. 13. Ticin. Hiſtor. ita Epiſcopum quemdam ſuum loquentem inducit: *Ticinenſes Romanam Eccleſiam ab origine Religionis ſuæ pro capite, & principe habuerunt, ſolo Ciuitatis ſuæ Epiſcopo intermediato.* Poſtremò Hieronymus Boſſius in Diptycis Epiſcoporum Ticinenſium eamdem Eccleſiam vocat *A S. Petro Apoſtolo inſtitutam, & à Metropolitanis perpetuò liberam.* Quin ſibi Clypeum quemdam, ſeu Apologeticum hac in re Ticinenſes quæſiuerunt, quo iuſtam exciperent Mediolanenſium opinionem; vt enim teſtatur Doctiſſ. Boſca in Martyr. Ambr. die 11. Martij, mihique etiam fidem facit Lazarus Auguſtinus Cotta I. V. D., bonarumque literarum vir amantiſſimus, pro Epiſcopi ſui ſplendore multa conſcripſit Octauius Ballada Ticinenſis, quæ tamen hactenus luce, ac publico caruere. Parum autem foret, ſi Ticinenſibus tantùm, quos patriæ ſuæ amor in tranſuerſum rapere potuit, eadem ſententia ſediſſet; verùm quum & Ferdinando Vghello Florentino, magni inter literatos nominis viro, & de literis optimè merito, hæc opinio inſederit, vetuſtam Mediolanenſis Eccleſiæ dignitatem imminui, aut labefactari diutiùs ferendum non videtur. Inquit enim laudatus Auctor tom. 1. Ital. Sacræ in Ep. Papienſ. *Iam inde à ſuæ inſtitutionis initio nullius Metropolitani arbitrio paruit, ſed vnam tantum Apoſtolicam ſedem immediatè vſque ad hæc noſtra tempora venerata eſt.* Et nos quidem præſenti æuo nullum à Ticinenſibus erga hanc præclariſſimam Metropolim obſequium exigimus; Atqui veteri etiam renunciaſſe gloriæ non tam prodigi animi quam vecordis foret. Itaque tuum eſt, vir doctiſſime, eruditionem tuam Mediolanenſis Eccleſiæ patrocinio commodare, eiuſque iura ab iniuriâ temporum, Scriptorumque, vindicare. Quod quum præſtiteris (hoc autem te facturum certò ſcio) & amantiſſimi erga tuam Eccleſiam filij, & præclari inter eruditos viri famam nomenque nullus dubito quin ſis adepturus. Hæc pauca interim accipe, quæ non omnibus obuia, & in abditis Ambroſianæ Bibliothecæ ſcrinijs per me obſeruata, alicui fortaſſis vſui tibi eſſe poterunt, quæque *Anecdotis* meis aptiſſimè addenda videntur.

CAP. I.

Metropolis Mediolanenſis olim ampliſſima. Ex Ambroſio, alijſque probatur. Ticinenſis Epiſcopus inter Prouinciales huius numeratus.

VT autem ad rem aggrediamur, iam tibi perſuaſum arbitror, per quatuor priora Chriſtianæ Fidei ſecula Italicis Prouincijs duos ſolùm præfuiſſe Metropolitas, Romanum videlicet, ac Mediolanenſem. Illi decem Prouinciæ parebant, quæ *ſuburbicariæ* appellatæ à Vicario Vrbis regebantur; Huic verò ſeptem aliæ ſuberant, quas ſub præcipuo *Italiæ* nomine Vicarius Italiæ Mediolani ſedens moderabatur, eæque fuerunt, vt ex Notitiâ Vtriuſque Imperij patet, Venetia, cum Hiſtria, Æmilia, Liguria, Flaminia cum Piceno Annonario, Alpes Cottiæ, Rhetia prima, & Rhetia ſecunda. Fuit hæc ſententia Sirmondi V. C. è Soc. Ieſu, quam ille in Propemptico contra Salmaſium lib. 1. cap. 8. pluribus confirmat, & quam poſtea celeberrimus vir Petrus de Marca lib. 1. cap. 3. de Concord. Sac. & Imp., alijque ſapientiſſimi viri ſequuti ſunt. Porrò Card. Baronius ad A. Ch. 380. non has dumtaxat Prouincias, ſed & Illyricum Occidentale Mediolanenſi Epiſcopo aſſignauit, quum à S. Ambroſio perſpicuum ſit Sirmienſem Epiſcopum fuiſſe conſecratum, vti fidem facit in eius Vitâ Paulinus. Hæc quoque Philippo Berterio in Pithan. Diatribâ 2. cap. 4. ſententia placuit, eique ſubſcripſere non pauci. Sed ne quis fortè opinionem hanc præſenti ſolùm, aut proximè præterito ſeculo inualuiſſe arbitretur, quædam carmina producere liceat, barbara illa quidem, & quod ad phraſim metrumque attinet inculta, & aſpera, ſed antiquitatis maieſtate decora. Habentur illa apud Gualuaneum Flammam ex Illuſtriſs. Prædic. Ordine, qui, vt optimè noſti, circiter A. Ch. 1330. ſcribebat, & cuius Opera MS. in Ambroſianâ Bibliothecâ aſſeruantur. Cap. 118. Chron. Extrauag. ita is loquitur: *B. Barnabas priuilegium conceſſit, quod Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtes ſuper ceteros Epiſcopos præſentes, & futuros, non ſolùm Liguriæ, ſed Æmiliæ, Venetiæ, Alpis Cottiæ, Rhetiæ primæ, & Rhetiæ ſecundæ, vſque in Baueriam poſt Romanum Pontificem Metropolitanus haberetur. Vnde Actor:*

Vrbs ſecunda Roma infulis laureata ſupremis
Imperij, ſedeſque Iouis, miris exarata Structuris,
Prima Metropolis Vrbes Liguriæ regis,
Rhetias vtraſque, Baueria, Coria, Cumæ,
Corſica, Sardinia, Rauenna, Ianua, Piſa,
Gradus, Aquilegia, TICINVM, Placentia, Sena;
Auguſta cum Secundiâ ſubſunt. Et tu Subria Romæ.

Vides

Vides hîc, vir religioſiſſime, quam latè olim proferrentur Mediolanenſis Metropolis fines, antiquiſque etiam temporibus propoſitam nuper ſententiam Scriptorum calculo fuiſſe firmatam. Equidem non arbitror in Corſicam, Sardiniam, ac Bauariam Mediolanenſi Epiſcopo ius patuiſſe, ſed illud tantùm mihi conſtat, Prouincias olim Vicario Italiæ ſubiectas noſtro quoque Metropolitæ paruiſſe. Aquileiam quoque, & Rauennam antiquitùs Metropolitico honore carentes, Cathedræque Mediolanenſi ſubditas penè exploratum habeo, quicquid contra nos aſſerat Salmaſius in Euchariſtico ad Sirmond. pag. 137., & (ſi licet poſt Salmaſium virum heterodoxum producere) Emin., & Clar. Card. Noriſius in Diſſ. Hiſt. de Synodo quintâ cap. 10 pag. 135. Quâ in quæſtione, ſi Deus aliquando annuerit, vires meas, tenuiſſimas licet, experiri iam propoſitum eſt mihi, vt quam amplè Mediolanenſis Metropolita dominaretur, palam fiat. Nunc ad rem noſtram confirmandam animaduertiſſe ſufficiat celeberrima S. Ambroſij verba in Ep. 25. ad Vercellenſes, qui in demortui Euſebij locum Epiſcopum alium ſubſtituere cunctabantur. *Conficior*, inquit magnus Doctor, *dolore, quia Eccleſia Domini, quæ eſt in vobis, Sacerdotem adhuc non habet, ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel ceteris finitimis Italiæ partibus huiuſmodi eget officio*. En quam apertè nonnullos Diœceſis ſuæ fines Ambroſius ipſe definit. Liguria nempè, Venetiæ (quâ in Prouincia ſita olim Aquileia) ceteræque finitimæ Italiæ regiones à Mediolanenſi Epiſcopo ſuorum Antiſtitum conſecrationem expoſcebant, quod idem eſt ac Metropolici honoris primas illi deferre. Nunc igitur à Ticinenſibus peto, an illis probrum olim foret eidem ſubeſſe Cathedræ, cui tot illuſtriores (abſit verbo inuidia) Vrbes parêre ſummum decus arbitrabantur? An fortaſſis extra Liguriæ fines Ticinum ſedebat, ideòque in ditionem Epiſcopi Mediolanenſis redigi non poterat? Benè tamen res ceſſit, quod apertè Ambroſius Sedi ſuæ ſubiectas OMNES Liguriæ Eccleſias affirmauit. Certè non video, quamnam rationem, & conſilium inituri ſint Ticinenſes, vt ſe ab *omnibus Liguriæ Eccleſijs* ſecernant. Primum hoc eſt ſententiæ noſtræ argumentum, cui conſentire etiam videas prælaudati apud Gualuaneum Scriptoris carmina, in queis TICINVM infulis Mediolanenſibus ſubeſſe dicitur. Et compertum quidem habemus vniuerſos antiquitùs Epiſcopos, qui ſub vnâ Prouinciâ numerabantur, alium non cognouiſſe Metropolitam, quam Prouinciæ ſuæ caput. Ticinum autem in Mediolanenſi Prouinciâ perpetuò fuit. Conſule Prouinciale Romanum, & ex eo ſtatim intelliges Papiam quoque inter huius Prouinciæ Vrbes recenſeri, & quamquam noſtrâ hac ætate quò minùs in hunc cenſum veniat recuſet, olim tamen nullo ſe titulo ab hac Prouinciâ eximere potuit. Antiquum memorati Prouincialis exemplar MS. in Ambroſianâ Bibliothecâ habemus, vbi inter Mediolanenſis Archiepiſcopi Suffraganeos (vt vocant) Papienſis quoque connumeratur ita tamen vt lineâ appoſitâ *exemptus* appelletur, quo etiam verbo editi libri vtuntur. Sed

hinc

hinc patet, quid æuum vetuſtum, & quid noſtra tempora de Ticinenſi exiſtiment; neque enim *exemptus* ille appellari poteſt, qui numquam ſubiectus fuit. Hnc verò reſpexiſſe Landulphum, qui ſub Datij nomine MS. cum in noſtrâ, tum in Metropolitani Capituli Bibliothecâ ſeruatur, mihi ſuadeo, ſiquidem Benedicti Archiepiſcopi operam referens pro iuribus ſuis in Ticinenſem Eccleſiam recuperandis hæc ait: *Quam verò ſine rationis causâ iure hoc Eccleſia noſtra fuerit ſpoliata, in Pontificali Romanorum* (legendum reor *Prouinciali*) *ſi legeris Lector benigne, reperies*. Hinc porrò eſt quod à Gualuaneo Flammâ Scriptore, vt dicebam, non vulgato in Chron. Maiori cap. 224. Papienſis Epiſcopus inter Mediolanenſis Eccleſiæ Suffraganeos refertur: *Abſtractis*, inquit ille, *ab Eccleſiâ Mediolanenſi pro maiori parte Suffraganeis, remanſerunt tantùm XVIII., prout habetur ex libro Beroldi. Itaque ordinabantur per Choros, vt IX. eſſent in quolibet Choro &c.* Tum Epiſcopos ſingillatim ex ordine recenſet, quem in Prouinciali Synodo tenebant, eiſque Ticinenſem meritò adiungit. Quin & hoc vetera monumenta teſtantur, quæ ad noſtra vſque tempora ſeruantur. Huiuſmodi eſt antiquiſſimum illud opus depictum, quod in Ambroſianæ Mediolanenſis Baſilicæ Odeo, ſeu Choro extat, & à doctiſſimo Puricello graphicè in Monum. Baſ. Ambr. n. 20., & 99. deſcribitur. Decem, & octo ibi conſpiciuntur Epiſcopi, qui Metropolitæ Mediolanenſis Suffraganei per aliquot ſecula fuere, & ad Prouincialem Synodum conueniebant, & quamuis temporum iniuriâ penè obliterati characteres fuerint, nihilò ſeciùs inter illos Ticinenſem quoque referendum accuratiſſimus Puricellus arbitratur. Neque prætereo egregium viri doctiſſimi teſtimonium, nempe Caroli à S. Paulo, qui in Geogr. Sac. antiquâ Prouincialibus huiuſce Metropolis Epiſcopis Ticinenſem quoque accenſet.

CAP. II.

Epiſcopus Ticin. à S. Ambroſio conſecratus. Idem Synodo Aquileienſi ſub Ambroſio, & Mediolanenſi ſub Euſebio interfuit. S. Epiphanius itidem eius Vrbis Epiſcopus conſecratus. Ennodij verba explicantur. Anaſtaſius, ac Damianus Ticin. Epiſcopi inter Prouinciales Epiſcopos huius Metropolis recenſiti.

NE tamen longè nimis coniecturas petamus, aliud argumentum affero, quo Ticinenſium opinio prorſùs iugulabitur, victaſque omninò dare manus aduerſarij cogentur. Inquit Paulinus Presbyter in S. Ambroſij vitâ: *Sed poſt dies hos ordinato Sacerdote Eccleſia Ticinenſi incidit in infirmitatem*, Sacerdotis vox, vt

optimè noſti, & ego animaduerti ad Paulini mei Nat. XIII., priori Eccleſiæ æuo, atque adeò Ambroſij temporibus, quibus Paulinus iſta ſcribebat, Epiſcopis tantùm communis erat. Iccircò Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopum à Mediolanenſi ſacram olim conſecrationem accepiſſe hinc patet. Quid autem hoc fuit, niſi ius Metropoliticum, quo in Ticinenſem Eccleſiam Mediolanenſis vtebatur? Certum quippe eſt Suffraganeorum Epiſcoporum conſecrationem ad vnùm olim pertinuiſſe Metropolitam, vti fidem faciunt Concilij Nic. Primi Can. 4. & 6., Laodiceni Can. 12., Antiocheni Can. 19. Chalcedonenſis Can. 25. & 28., Innocentius I. Ep. ad Vict. Rothom. cap. 1., ſexcentaque alia documenta, & innumeri Scriptores teſtantur. Quid igitur ad hæc reponere Ticinenſes queant, planè non video. Anno Æræ vulgaris 381. Synodus Aquileienſis eſt celebrata, quò conuenere præter Legatos Galliarum, & Africæ, Epiſcopi ferè omnes ex ſeptem Prouincijs, quæ ſub præcipuo *Italiæ* nomine continebantur, & nonnulli etiam ex Illyrico. Primas ibi Ambroſius vir Sanctiſſimus tenuit. Porrò inter eos ſubſcriptus legitur *Euentius Epiſcopus Ticinenſis*, vti ex Regio Codice, & Chiffletio probant Clariſſimi Patres Benedictini ex Congregatione S. Mauri in egregiâ editione Operum S. Ambroſij pag. 801., non *Cenetenſis*, vt Romana editio habet. Illuc autem ſe Ticinenſem Epiſcopum contuliſſe tamquam Mediolanenſi Metropolitæ ſubiectum nemo diffitebitur. Certè nullus Antiſtes ex ijs, qui Romanæ Metropoli accenſebantur, laudato Concilio interfuit. Aliud verò non minùs apertum hac in re teſtimonium petamus ab Epiſtolâ Euſebij Mediolanenſis ad Leonem M. ſcriptâ, quæ inter huius S. Pontificis opera legi ſolet. Hanc Euſebius in Mediolanenſi Synodo, quò omnes fermè illius temporis Suffraganeos ſuos coegerat, exarauit, eique ſubſcriptiones ipſorum addidit. Inter eas verò iſta quoque deprehenditur: *Ego Criſpinus Epiſcopus Eccleſiæ Ticinenſis in omnia ſupraſcripta conſenſi, & ſubſcripſi*. Nemo ſanè eſt in Eccleſiaſticâ eruditione adeò peregrinus, aut infans, qui neſciat Metropolitis ius amplum fuiſſe Epiſcopos Suffraganeos ad Concilium vocandi, &, ſi opus etiam foret, compellendi. Id nunc quoq; ex Concilij Tridentini decreto ſeruatur, idemque ſemper in Eccleſiâ ſeruatum fuit, quemadmodum diſcimus ex Can. 31. Apoſtol., ex Can. S. Synodi Nicænæ primæ, ex Conc. Antioch. Can. 20., & ex alijs documentis, quæ laudat Hallier de Hierarch. Eccleſ. lib. 4. ſect. 4. cap. 1. art. 2. Ergò ſi ad Mediolanenſem Synodum Ticinenſis Epiſcopus conuocabatur, certè huius Vrbis Metropolitæ ſuberat. Quocirca Em. Baronius ad A. Ch. 451. hoc Mediolanenſe Concilium referens omnes Epiſcopos Synodicæ Epiſtolæ ſubſcribentes *Mediolanenſi Eccleſiæ ſubiectos* appellat. Ad alia propero, & ipſos quidem Ticinenſes Scriptores à partibus noſtris pugnare planè oſtendam. Ennodius vir ſanctiſſimus iuxta ac celeberrimus tum propter eius Scripta, tum etiam propter Epiſcopalem in Ticinenſi Eccleſiâ dignitatem, in S. Epiphanij vitâ, qui ſub ſeculi quinti finem Ticinenſis itidem Epiſcopus fuit, hæc

ſcri-

ſcribit: *Circa finem vitæ, quem ſpiritu prænidebat S. Antiſtes* (videlicet Criſpinus Ticin. Ep.) *Mediolanum vicinam expetijt Ciuitatem, vbi Nobilium germina meſſe quâdam mundæ ingenuitatis excreuerant. Quos viſitationis gratiâ requiſitos talibus vir Dei ſermonibus appellauit: Ecce filij, iam me ætas compellit ad tranſitum, iam origenariam ad ius ſuum reuocat terra particulam. Commendo Ciuitatem, commendo Eccleſiam, commendo hunc &c.* ſcilicet Epiphanium. Quum verò ad ſuperos piiſſimus Pontifex migraſſet Criſpinus, *extemplò* (addit Ennodius) *in Epiphanium bonorum omnium conſenſus adducitur &c. ducitur Mediolanum adhuc reluctans, & magna, ſi dimitteretur, præmia promittens, qui, vt fieret, noluit ſpondere vel minima. Conſecratur cum omni celebritate cunctorum &c. exacto ergò Dedicationis ſuæ die Ticinum redijt.* Anno igitur Epochæ noſtræ 466., quo rerum Ticinenſium Scriptores conſecrationem iſtam fuiſſe peractam affirmant, adhuc Metropoliticum ius Mediolanenſis Epiſcopus in Ticinenſem exercebat. Vt enim ſupra animaduerti ad Metropolitas tantùm Epiſcopos Suffraganeorum conſecratio pertinebat. Vnum hoc argumentum tanti ponderis eſt, vt alijs producendis ſuperſedere poſſemus, & nihilominus victoriâ potiri. Certè Carolus à Baſilica Petri in aureo libello de Metrop. Mediol. num. 12., & Puricellus vir eruditiſs. in S. Laurentij Mediol. Archiep. vitâ cap. 13. ità vrgent, vt aſſerant nemini dubium eſſe debere, quin tum etiam Mediolanenſi Epiſcopo ſubiectus eſſet Ticinenſis. Antequam tamen hinc digrediamur, ne quæſo pigeat quædam Ennodij verba mecum perpendere. Conſecratum Mediolani Epiphanium Scriptor laudatus commemorat, deinde ita loquitur: *Aliquos tamen magnarum Vrbium incolas edax conſumebat inuidia, quod tantum oppidi Ticinenſis anguſtia habere meruiſſet Antiſtitem, cum apud ipſos ſola Pontifices Metropolitanæ iactantiæ vocabula tuerentur.* Hîc, ni mea me fallit opinio, ſub magnarum Vrbium nomine Mediolanum modeſtè deſignari arbitror. Fortaſſis etiam ſcriptum erat *magnæ Vrbis*, aut, quod veri mihi videtur ſimilius, plurali numero Ennodius eſt vſus, ne apertè nimis Mediolanenſium quorumdam præſtringeretur inuidia. Scilicet iſtos vrebat, quod virum tantis virtutibus ornatum Ciuitas parua Epiſcopum ſortita fuiſſet, quum ſui Pontifices Metropolitani honoris vocabula potiùs, quam Sanctitatis famam quærerent, aut tuerentur. Mediolanum verò in cenſum *magnarum Vrbium* veniſſe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, & vnus Auſonius in luculentiſſimo Epigrammate cuicumque obuio fidem facit; quare hinc colligere licet, Metropoliticum ius ſupra Ticinenſem Epiſcopum Mediolanenſi fuiſſe, idemque ab ipſiſmet Ticinenſibus affirmari. Animaduertas etiam velim, quibus vocabulis ab Ennodio Ticinum appelletur, quum ait: *Ticinenſis Oppidi anguſtia*, quo nomine itidem Vrbem illam ſuperiùs expreſſerat. Ticinum profectò ante Gothorum, Longobardorumue Imperium vrbs quidem, ſed è minorum numero fuit, licet aliter iudicent eruditi illius Vrbis incolæ, vt par ſit credere ipſam Vrbis magni-

licentiam in causâ non fuiſſe, vt ex Mediolanenſis Antiſtitis ditione Epiſcopus ille eximeretur.

C A P. III.

Gemini Ticinenſes Epiſcopi inter ſuffraganeos Mediolanenſis Eccleſiæ numerati.

SEculo Chriſti VII., vt animaduertit quoque doctiſſimus Carolus à Baſil. Petri in libello de Metrop. Med. num. 14. alia ſuppetunt Metropolitani iuris in Ticinenſem exempla; Anno ſiquidem Chriſti 679. Romana Synodus ſub Agathone Pontifice contra Monothelitas coacta eſt, ibique etiam Epiſtola, ſeu inſtitutio exarata, quæ Legatis ad Synodum ſextam Oecumenicam mittendis inſeruire poſſet. Huic autem Epiſcopi 125. ſubſcripſere, interque illos Manſuetus Mediolanenſis Epiſcopus vnà cum Suffraganeis ſuis. Aderat & Anaſtaſius Ticinenſis Epiſcopus, qui poſt Laudenſem, & ante Aquenſem Epiſcopos ſubſcriptus inuenitur. Si igitur etiam tum inter Mediolanenſis Prouinciæ Epiſcopos Papienſis recenſebatur, quis non videt antiqua adhuc viguiſſe Metropolitæ Mediolanenſis in eumdem iura? Sanè ſi ab vnius Romani Pontificis auctoritate pependiſſet, inter Epiſcopos Romanæ Metropoli vnicè ſubiectos illi ſubſcribendum fuerat. Et, ni fallor, hoc telum animaduertit Antonius Maria Spelta Hiſtoriç Papienſis Scriptor, illudque vt declinaret, in eam adductus eſt opinionem, vt diceret non *Anaſtaſium*, ſed *Magnum* Ticinenſem Epiſcopum laudatæ Epiſtolæ ſubſcripſiſſe; in editione enim Concil. Binij Act. 4. Conc. VI. Oecum., vbi hæc refertur Epiſtola, vltimo loco ſubſcribit *Magnus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Papienſis*. Sed pro *Papienſis* Eccleſiæ legendum eſſe *Popilienſis* (eſt hæc vrbs Forum Popilij in Exarchatu) Carolus à Baſil. Petri primò ſuſpicatus fuerat, melioreſque deindè editiones, & ipſa Concilij Acta in Ambroſ. Bibliothecâ eleganter MS. dubitationi locum nullum reliquêre. In his enim ita legitur: *Μάγνος Ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας Πυπιλίας &c. Magnus Epiſcopus S. Eccleſiæ Popilienſis*; Superiùs verò ſubſcripſerat *Ἀναστάσιος Ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας Τικίνου. Anaſtaſius Epiſcopus S. Eccleſiæ Ticinenſis*. Huiuſmodi mendum ſuſtulit etiam Vghellus tom. 1. Ital. Sac. in Ep. Papienſ. & tom. 2. in Ep. Foropopil. ad Magni huius vitam. Quare nemini dubium ſuboriri poteſt, quin reuera inter Prouinciales Mediolanenſis Metropolitæ Epiſcopos Ticinenſis eâ tempeſtate numeraretur. Anno ſequenti 680., quum Manſuetus Archiepiſcopus Mediolani Concilium Prouinciale aduersùs Monothelitas coegiſſet, Epiſtolam ad Conſtantinum Imperatorem ſuorum Suffraganeorum calculo firmatam conſcripſit, quæ inter Prolegomena ſextæ Synodi legi ſolet, & his incipit verbis; *Domino Sereniſſimo*,

atque

atque tranquilliſſimo, & à Deo coronato religioſiſſimo Conſtantino Imperatori Manſuetus Mediolanenſis Metropolitanæ Eccleſiæ indignus Epiſcopus &c. eam porrò Epiſtolam à Damiano Ticinenſi Epiſcopo elucubratam teſtis eſt luculentus Paulus Diaconus lib.6. cap.4. *Eo tempore*, inquit, *Damianus Ticinenſis Epiſcopus ſub nomine Manſueti Mediolanenſis Archiepiſcopi hac de cauſâ ſatis vtilem, rectaque Fidei conſonam Epiſtolam compoſuit, quæ in præfatâ Synodo* (Oecumenicâ ſextâ) *non mediocre ſuffragium tulit*. Quapropter Synodo illi Mediolanenſi Ticinenſem quoque Epiſcopum adfuiſſe nemo inficias ibit; quî enim literas illas Manſuetus Damiano conſcribendas tradidiſſet, ſi inter ſuos Prouinciales Epiſcopos is connumeratus non fuiſſet? An alij deerant Suffraganei Epiſcopi doctrinâ moribuſque præcellentes, quibus hæc prouincia demandaretur? Neque eſt quod Vghellus ſuſpicetur Damianum, antequam Epiſcopus eligeretur, hanc operam nauaſſe; quandoquidem expreſſa ſunt Pauli Diaconi verba, neque in horum explicatione vllâ coniecturâ eſt opus. Hæc potiùs nos inducunt credere Anno ſuperiori 679. Anaſtaſium Ticinenſem è viuis exceſſiſſe, eodemque propterea Anno Romanam Synodum congregatam, Anno verò 680. alterum Mediolani Concilium inſtitutum fuiſſe. Sed hæc ſubtiliùs tibi examinanda relinquo, ne præſcriptæ mihi breuitatis limites tranſiliam.

CAP. IV.

Lis à S. Benedicto Med. Archiepiſcopo in Ticinenſem Romæ excitata proponitur. Gualuanei, & Anonymi hac de re ſententia. Eorumdem verba non omninò certa.

HActenus per ſeptem à Chriſto nato ſecula præclariſſimæ huic Metropoli ſubiectam fuiſſe Ticinenſem Eccleſiam vidimus. Quamquam tamen hic rerum ſtatus foret, ſenſim Ticinenſes Epiſcopi à Romanis Pontificibus conſecrationem expoſcere, & Mediolanenſium iura peſſum dari etiam ante Manſueti æuum non leuiter cæperant. Noſtri verò in hac re conniuere non dubitarunt, donec ad Archiepiſcopatum tantæ Vrbis euectus eſt Benedictus, vir ſummè cordatus; magnoque virtutum conſenſu ita ornatus, vt Paulus Diaconus loco infrà citando dicat: *Fuit autem iſdem venerabilis Benedictus Archiepiſcopus vir egregiæ Sanctitatis, de quo per vniuerſam Italiam bonæ opinionis fama fragrauit.* Tum ille iura ſua tueri, & Epiſcopum Ticinenſem ad eum obſequij modulum compellere, quo Maiores vſi. Lis ad Romanum Pontificem totius orbis arbitrum delata, ſed infelici euentu; ſiquidem plurium annorum conſuetudo tantum roboris Ticinenſi com-

pa-

parauerat, vt cauſâ Benedictus ceciderit. Hæc autem in diſceptationem, & controuerſiam vocata eſt ſub Conſtantino Papâ A. Ch., vt Baronius arbitratur, 711., deque illâ Paulus Diaconus, qui eodem ſeculo floruit, in lib. 6. cap. 29. Hiſt. Longob. hæc habet: *Tunc quoque venit Benedictus Archiepiſcopus Mediolanenſis Romam, & cauſam egit pro Eccleſiâ Ticinenſi, ſed victus eſt, eo quod à priſcis temporibus Ticinenſes Epiſcopi à Romanâ Eccleſiâ fuerant conſecrati.* Anaſtaſius quoque Bibliothecarius ſequentis ſeculi Scriptor in Conſtantini PP. vitâ rem à Paulo mutuatus ijsverbis deſcribit: *Venit autem & Benedictus Archiepiſcopus Mediolanenſis Romam orationis voto & ſuo ſe Pontifici præſentare: Altercatus verò eſt pro Eccleſiâ Ticinenſi, ſed victus eſt, eo quod à priſcis temporibus Sedi Apoſtolicæ eiuſdem Ticinenſis Eccleſiæ Antiſtes ad conſecrandum pertinebat & pertinet.* Idem alij aſſeruere Auctores, paucis dumtaxat mutatis. Itaque quum tanti hæc res momenti fuerit, in illam inquirere accuratiùs iuuat, tum quia hîc totius quęſtionis cardo vertitur, tum etiam quod egregia & nemini hucuſque inſpecta occurrêre mihi eruditionis huius documenta: Primùm quid de illa ferat Gualuaneus Flamma, qui, vt ſupra dixi, *circiter* A Ch. 1330. ſcribebat, audiamus. Scribit iſte in Chronico Maiori MS. cap. 550. *Chriſti Anno DCLXXXVII. eminente in Româ Sergio Papâ, imperante Iuſtiniano ſecundo, Benedictus Archiepiſcopus Mediolani ſedit XLVII. Et dicit Cronica Archiepiſcoporum, quod iſte Archiepiſcopus conſecrauit Epiſcopum Papienſem, & ex hoc dixit, quod Epiſcopus Papienſis erat ſuus Suffraganeus, & deuoluta eſt quæſtio ad Curiam Romanam, & ſuccubuit Archiepiſcopus, quia plures Epiſcopi fuerant Papienſes per Papam ſucceſſiuè conſecrati. Cronica Datij ſic dicit: Quod vnus Epiſcopus Papienſis nuper electus iuit Romam tempore Conſtantini Papæ pro ſuâ conſecratione. Quo audito Archiepiſcopus Benedictus ſcripſit Papæ, quod non ad Papam, ſed ad Archiepiſcopum pertinebat conſecratio Epiſcopi Papienſis quatuor de cauſis. Primò quia B. Barnabas Apoſtolus Spiritu Sancto plenus Archiepiſcopum Mediolanenſem inſtituit Metropolitanum, ſubiciens ei Eccleſiam Papienſem. Secundò quia B. Criſpinus Epiſcopus Papienſis miſit Epiphanium ſucceſſorem ſuum ad B. Protaſium Archiepiſcopum Mediolanenſem, vt ipſum conſecraret Epiſcopum Papienſem. Tertiò quia decem Pontificum Priuilegia declarant Epiſcopum Papienſem eſſe ſubiectum Metropolitano Mediolanenſi, & anathematis mucrone percutiunt contrarium facientes. Quartò quia iura nolunt, quod vnus Antiſtes ſe intromittat de Parochiâ alterius. Ex his Pater Reuerende, qui in Româ ſedetis, ſciatis quod ſi Epiſcopum Papienſem conſecraueritis, tam accipientis quam ordinantis irrita erit conſecratio. Hoc non obſtante Conſtantinus Papa Epiſcopum Papienſem conſecrauit, nec eius conſecratio irrita fuit, imò fuit optima ſecundùm iura.* Tum pergit Gualuaneus oſtendere rem apud Catholicos certam, videlicet conſecrationem à Pontifice peractam maximè ratam fuiſſe. Hoc profectò & nos ambabus, vt aiunt, vlnis excipimus, ità tamen vt nobiſcum

ad-

aduerſarij ſentientes affirment Archiepiſcopi Mediolanenſis petitionem iuſtitiâ nequaquam caruiſſe, ſummumque Pontificem per ſupremam illam, quâ pollet, auctoritatem huiuſmodi ius ſibi vendicaſſe. Vidimus porrò Chronicon quoddam Mediolanenſium Archiepiſcoporum à Gualuaneo citari, eiuſque iccircò verba hîc nobis ſunt proferenda. MS. extat in Ambroſianâ Bibliothecâ Hiſtoria quædam *de Situ, & vocabulo Vrbis Mediolanenſis &c.* vbi Mediolanenſium Antiſtitum vitæ, ac geſta memorantur. Auctor eſt Michael Pizolpaſſus, qui (vt etiam animaduertit C. V. Puricellus cap. 2. Diſſ. Naz.) A. Ch. 1438. eamdem à *veternoſis* (ita is loquitur) *Codicibus, qui apud illuſtriſſimi Pontificis Ambroſij Bibliothecam* (Significat Monaſterij Ambroſiani Bibliothecam) *puluerulenti, & tineati iacebant*, collegit ille, & Franciſco Pizolpaſſo Mediolanenſi eo tempore Archiepiſcopo, patruoque ſuo inſcripſit. Non ignotum illi fuerat memoratum nuper Chronicon, atque ideò hæc de Benedicto habet: *Benedictus Mediolanenſis Archiepiſcopus quadrageſimus ſecundus A. Domini 688. ſedit Annis 47., & conſecrauit Epiſcopum Papienſem, quem poſtea dicens ſuum Suffraganeum in Romanâ Curiâ cauſam iſtam egit, ſed ſuccubuit, quia plures Epiſcopi Papienſes ſucceſſiuè fuerant à Papâ conſecrati.* Ego tamen libenter fateor me vix illius Chronici verbis adhibere fidem, dum à Mediolanenſi Præſule conſecratum Ticinenſem aſſerit; non enim facilè induci poſſum, vt credam ſecurè adeò à Ticinenſibus conſecrationem illam admiſſam, quæ antiquis Mediolanenſium iuribus valdè fauebat. Siquidem etiamſi Romani Pontificis delegatio interceſſiſſet, non ex iſtius, ſed ex priſtinæ auctoritatis vi id à ſe præſtitum Mediolanenſis affirmaſſet, & infirma cauſa vel plumbeo telo iugulatur. Vt vt ſe res habeat, ex Gualuaneo didicimus exortam litem ante Romanum tribunal diſceptatam, ſimulque à Benedicto Archiepiſcopo literas ad Conſtantinum Papam fuiſſe datas, quibus vetuſta iura propugnarentur. Si hæc Epiſtola ad noſtra vſque tempora incolumis perueniſſet, minimè dubito, quin inde maxima lux propoſitæ quæſtioni, Hiſtoriæque affulgere poſſet. At reapſe, doctiſſime, eamdem adhuc ſartam tectamque contra temporum iniurias haberi, quin integram mihi nunc eſſe proferendam ſcias. Antequam tamen fidem meam liberem, animaduertamus velim non ſatis accuratè loquutum fuiſſe Gualuaneum, dum Epiſtolæ nomine Orationem deſignauit, quam verè ante Pontificem Maximum, Conciliumque Romanum Benedictus habuit. Profectò Benedictum ad Vrbem ſe contuliſſe, vt iura ſua tueretur, cum Paulus Diaconus, tum Anaſtaſius, ceterique teſtantur. Ipſa verò Orationis verba Benedictum produnt Romano in Concilio concionantem, dum ipſe ita loquitur: *Dei & veſtri, Pater venerande, atque huius S. Concilij coadiutus PRÆSENTIA &c.* Datius autem, ſeu Landulphus, de quo mihi infrà ſermo recurret, haudquaquam ſub Epiſtolæ nomine refert, ſed his tantummodò verbis: *Querimonia B. Benedicti Archiepiſcopi Mediolanenſis in Synodo, eo quod Papa Conſtantinus ipſum Archiepiſcopum priua-*

nerat conſecratione Epiſcopi Papienſis contra antiquam conſuetudinem. In alio autem Codice ita ſcribitur: *Querimonia B. Benedicti Archiepiſcopi Mediolanenſis ſuper Papienſis Epiſcopi conſecratione, quam ſui Anteceſſores vſque ad ſui tempus quietè, ac caritatiuè celebrauerant, reſidente in Cathedrâ Romanâ Conſtantino Pontifice &c.* Titulum igitur aptiorem documento huic propoſitum volui.

C A P. V.

Oratio à Benedicto Mediolanenſi Archiepiſcopo habita in Romanâ Synodo ante Conſtantinum Pontificem Maximum pro Eccleſiæ ſuæ in Ticinenſem Metropolitico iure.

SVmmo Cælorum conditori, terrarumque vniuerſarum factori, gentiumque cunctarum auctori, Creaturarum vniuerſarum genitori, qui Cæli terræque ſtabilimentum eſt, Angelorum, & hominum, ac Fidei Catholicæ, & Sedis Apoſtolicæ vnicum munimentum, orphanorum, & viduarum, Eccleſiarumque vniuerſarum ſolidum ſtabilimentum, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui gratias refero immenſas, Pontificem quod talem Sanctæ Sedi Apoſtolicæ virum clementer eligere, ac miſericorditer ordinare ſuâ ineffabili pietate diſpoſuit. Vnde Chorus vniuerſus Epiſcoporum, ac Sacerdotum Collegium ſedulè reminiſcatur generi vniuerſo humano benignè, ac miſericorditer prouidere, cum huic Sanctæ Sedi virum huiuſmodi diſcretum, illuſtrem, Orthodoxum & præeſſe, & præordinare ſummâ cum pietate diſpoſuit, qui operibus bonis, admonitionibus ſanctis orbem ſibi commiſſum confortare, & errantes docere non deſinit. De quo Veritas ait: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quamobrem Dei, & veſtri, Pater venerande, atque huius Sancti Concilij coadiutus præſentiâ, & confortatus clementiâ Ego Benedictus Mediolanenſis Archiepiſcopus cauſam noſtræ Eccleſiæ, quæ Dei diſpoſitionibus, & B. Barnabæ Apoſtoli doctrinis, & miraculis refloruit, nuncque glorioſiſſimi Confeſſoris Ambroſij ornata diſciplinis, ac honoranda virtutibus præfulget, cuius reuerentiâ, & caritate, veſtro ductus conſpectui, & huic Sancto Conuentui, me ex longo repræſentare diſpoſui, & voce, quâ poſſum, longo confectus ſenio, pandere, & reſerare curabo. Igitur Mediolanenſis Eccleſia Dei, & B. Ambroſij factis, & virtutibus exaltata, ac multis Epiſcopis per multa iam tempora antecedentia ſublimata, nunc conſecratione Eccleſiæ Papienſis iniuſtè expoliata vobis humiliter, ac deuotè conqueritur. Quæ inter ceteros noſtræ Eccleſiæ Suffraganeos B. Syri meritis Primicerij Pri-

ui-

uilegium nunc vſque noſtræ cauſæ iudicium ſummo vigore tenuit, ac nunc Romanæ Sedis dignitatibus, & maiorum honoribus ambitioſa, ſuâ, & propriâ Metropoli illicitè derelictâ, & iniuſtè deſtitutâ, vt conſecrationem furtiuè acciperet, Romanum adijt Pontificem. Quam noſtra Eccleſia per tempora iam multa annorum longo curriculo antecedentia à tempore S. Barnabæ Apoſtoli vſque mei præſentiam, qui per annos quadraginta Sedem reſideo Mediolanenſem, atque inibi Epiſcopum Gregorium humiliter conſecrauit, habuit, & caritatiuè Deo opitulante tenuit. Nunc itaque veſtrâ ſuccurrente clementiâ, ſanctiſque collaudantibus Canonibus, vt quod iniuſtè noſtra Eccleſia amiſit, adipiſci valeat, fideliter & deuotè exoramus. Proſit nobis veſtra ſapientia omnibus præferenda diſciplinis. Qui enim omnibus præeſt, omnibus prodeſſe debitâ paternitate condecet, nulli nocere, neminique inuidere, nulli Eccleſiæ honorem, ac dignitatis prærogatiuam vſurpare. Diſcretus, & iuſtus Iudex ſummâ iuſtitiæ lance ponderat vniuerſa, inferentes iniurias alicui iniuſtè condemnans, ac illicitè ſufferentes à malis miſericordiâ, dexterâ, legiſque cæremonijs defendendo benignè ſuſtentat. At Iudex iniquitatis cuncta pretio ſubuertens negotia, quæ legis ſunt obſcurat, ac quæ temporaliter arrident criminoſè exaltat. A quibus iuſtitiæ amator ſe quotidie Dei protegente dexterâ cuſtodit. Iuſtitiam diſcamus, vnde Eſayas Propheta Spiritu Sancto repletus dicit: *Iuſtitiam diſcite, qui habitatis terram*. Venerande Pater, poteſtatem culminis Romani ratio vincat diuina. Vnde S. Magiſter Ambroſius ait: *Decet, vt ratio vincat poteſtatem*. Iudicium cauſarum querimoniæ noſtræ iuſtum vindicate. Vnde omnes Dominus per Zachariam alloquitur dicens: *Iuſtum iudicium, & pacificum iudicate, & nolite retinere malitiam fratris veſtri in cordibus veſtris*. Et Dauid: *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi mei videant æquitatem*. At vt noſtræ Eccleſiæ, noſtræque querimoniæ veritatem enucleatiùs, ac veriſſimè aperiam, decem Romanorum Pontificum priuilegia, hæc omnia, quæ de conſecratione Ticinenſis Eccleſiæ dico aſſerentia, atque ſub anathematis mucrone rigidè ab vniuerſis Epiſcopis interdicentia ſolitâ pietate cognoſce. Quin etiam noſtra Ciuitas qualiter ab ipſis primordijs inculta, & exaltata curâ diligenti maiorum permanſit per Romanos Imperatores, ac Conſules Patritios eiuſdem Vrbis accolas, cum orbis vno regeretur Imperio, attentè cognoſcite. Quam tamen, vt in annoſo libro de ſitu deſcriptionis eiuſdem comperi, poſtmodum Romani Reges, & Principes expulſis Senonum populis longè meliùs ſublimantes opere mirifico auxerunt, locantes in eâ more patrio eximium Auguſtorum dignitati Palatium Imperiale, Theatrum Aumatium, Thermas, viridarium amœnum floribus diuerſis, & odoribus varijs delectabile, Arenam lapidibus, & magiſterijs admirandam, in quâ Italiæ Ciues vniuerſi conſidere, & ab vno Oratore concionari poſſent competenter. Ob quam ſæpiſſimè cauſam ab eiſdem poſtmodum Auguſtis frequentari, & incoli, ac honorari ſuper cunctas

Italiæ Ciuitates adorſa eſt, maximè quod eſſet inibi ſaluberrimi aeris aptiſſima temperies, locuſque aduersùs inimicos inrefragabiliter paratiſſimus. Exinde, Pater Venerande, Sanctâ Chriſtianitate orbi apparente vniuerſo, ſicut audiuit, illicò Deo credidit, S. Barnabâ Apoſtolo à Spiritu Sancto inibi deſtinato, & Fidem Orthodoxam fideliter prædicante, à quo noſtra Eccleſia ab ipſis primordijs Caput Eccleſiæ per Sedem Metropolitanam Dei diſpenſante clementiâ tenuit, & Deo largiente in æternum tenebit. Quamobrem Cathedra Mediolanenſis ab ipſo Apoſtolo exaltata decenter, & ſublimata competenter Dei dexterâ, & B. Petri remigio refloruit. Quod enim veriſſimè reperimus in noſtris Annalibus, & eius deſcriptione aduentus, & S. Anatalon vitâ, de Diſcipulis Domini vnus diſcipulus fideliſſimus fideliſſimè, & certiſſimè dicit: *Quæ poſt Romanam arcem famoſiſſimam iam tunc habebatur Ciuitas ſæpè dicta Mediolanum, quippe quæ pari ditione ſnblimis ſecunda poſt ipſam, vt præfatus ſum, Auguſtales Occidui Imperij infulas tenebat.* Itaque Sanctus Dei diſpenſante clementiâ ſanxit Barnabas Apoſtolus, vt Mediolanenſis Vrbs, quam Imperatores nouerat ſuper cunctas Italiæ Ciuitates ſublimaſſe, & quam ipſe ſanctis prædicationibus primitùs fundauerat, principalis Eccleſiaſtici culminis Sedes, aliarumque in eâ Prouinciâ Eccleſiarum Metropolis perpetualitèr haberetur. Cui profectò Vrbi, vt in Vitâ S. Anatalon, quem inibi conſecrauerat Hieroſolymas proceſſurus, inueni, tantum priuilegij munus S. Anatalon à ſuo nouerat Magiſtro conceſſum, vt ſicut inter reliquas Italicarum Prouinciarum Vrbes, earum dumtaxat, quæ Occidentalem versùs marginem ab Italiæ finibus protenduntur, poſt Romanam arcem ſubſellij eminentiâ, atque populorum conuentu frequentiſſimo principalis videbatur, ita Eccleſiaſticæ ditionis prærogatiuâ poſt Romuleam ſedem cunctas excelleret. In hunc modum & ipſe præfatus Antiſtes nil à ſuo Inſtitutore diſcrepans Metropolitanam Cathedram pro futuris temporibus Chriſti ſtatuit eſſe Fidelibus, quatenùs omnium populorum Antiſtites, hoc eſt Venetiæ, Liguriæ, Æmiliæ, Rhetiæ, Alpis Cottiæ, quotquot fuerunt in Sanctâ Matre Eccleſiâ futuri per has ſupradictas Prouincias, caput quoddam, & decus inſigne poſt Romanum Pontificem habere deberent Mediolanenſis ſedis Præſulem Metropolitanum. Itaque Eccleſia Mediolanenſis his, & alijs multis fulta, & ornata remigijs ferè cum honoribus his omnibus vſque ad mei tempus Dei miſericordiâ, & B. Ambroſij meritis deuotè peruenit. Sed vt ex cauſis multis, quibus noſtræ querimoniæ cauſa munitur decenter, atque tuetur competenter, quorumdam SS. Epiſcoporum Papienſium teſtimonium Criſpini, & Epiphanij percipe; Sanctus enim Criſpinus, cum ſe videret morti accelerare, vt in S. Epiphanij certiſſimâ vitâ habetur, duxit S. Epiphanium Mediolanum, & dixit ad Epiſcopum Protaxium, & Ordines; quos inibi inuenit: *Ecce Filij iam mea ætas meæ vitæ curſum compleuit. Commendo Ciuitatem, commendo Eccleſiam, commendo hunc, cuius labori, & gratiæ debeo, quod vſque ad hoc tempus vixi grandæuus, & debilis,*

cuius

cuius corporea felicitas, & virtus animæ imbecillitatem meam portauit ſine faſtidio. Item in eâdem: *Ducitur B. Epiphanius Mediolanum adhuc reluctans, & magna, ſi dimitteretur, munera promittens, qui, vt fieret, noluit ſpondere vel minima. Conſecratur autem à B. Protaxio B. Ambroſij ſucceſſore, & Catholicæ Eccleſiæ propugnatore firmiſſimo ſummâ cum deuotione, ac celebritate cunctorum*. Præterea teſtimonium, Pater Venerande, cape certiſſimum, cui dubitare, aut refragare periculoſum SS. Patres decreuere; Legitur enim in Vitâ S. Ambroſij Patroni noſtri, & Eccleſiarum vniuerſarum tutoris: *Ordinato Sacerdote Eccleſiæ Ticinenſis incidit in infirmitatem. Cura eſt itaque*, ſicut S. Fabianus Papa ſuo in Decreto aſſerit, *veſtræ ſollicitudini adhibenda, vt ea, quæ ſunt ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus ordinata, ac S. Spiritus gratiâ conſtituta, nec diſſimulatione negligere, nec aliqua præſumptio valeat perturbare; ſed ſicut hoc, quod rationis exigebat vtilitas, oportuit definire*. Itaque vt definitum eſt non debere violari, præcipuè Pater Reuerende, veſtræ ſanctæ Paternitatis reuerentiam, atque huius S. Concilij caritatem vicariam caritatiuè exoro, ac obnixè à parte Dei, & S. Ambroſij contendo, vt nullus Epiſcopus noſtræ Eccleſiæ Suffraganeum, maximè hunc Papienſem, de quo huius S. Concilij clementiæ conqueror, retinere, ac ordinare Fraternitatis veſtræ perturbator præſumat. Quod ſi euenerit, accipientis, & ordinantis irrita, & vacua ſit in perpetuum ordinatio. Vnde S. Sixtus Papa ſuo in Decreto Diuino admonitus magiſterio dicit: *Nullus Epiſcopus præſumat alterius Parochianum retinere, aut ordinare, vel iudicare abſque eius voluntate, quia, ſicut irrita erit eius ordinatio, ita & dijudicatio; nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare nullatenùs poterit*. Pater Venerande, vnaquæque Metropolis, ac Sedes Apoſtolica, quæ vniuerſis præpollet dignitatibus, ſuos terminos à SS. Patribus conſtitutos ordinatiuè nunc vſque tenet, de quibus Papa Calliſtus ſuo in Decreto dicit: *Nemo alterius terminos præſumptione illicitâ vſurpet. Vnde Dominus loquitur dicens: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui*. Itaque vnaquæque Eccleſia, quæ Sanctis fidem Maioribus ſeruare deſiderat, & hæc Sanctorum decreta honorare contendit, noſtræ querimoniæ fideliter, & caritatiuè, vt ſibi, ne ſimilia patiatur, prouideat.

CAP. VI.

Codicis, qui *Chronicon Datij* inſcribitur, Landulphus eſt Auctor, non verò Datius Mediolanenſis Archiep. Tempus, quo exaratus Codex. Datium hunc Hiſtoriæ alicuius Auctorem aſſerere vetamur. Certè huiuſmodi Hiſtoria non extat.

IAm verò tempus poſcit, vt vnde hæc hauſerim, palam fiat. Audiſti à Gualuaneo *Datij Chronicon* citari, eiuſque verba hac in re laudari. Illud verò idem eſt, cui propoſitam Orationem debeo. Geminum eiuſdem exemplar in Metropolitani Capituli Bibliothecâ extat, itidemque aliud in pluteis ſuis Ambroſiana ſeruat. At quoniam de hoc Datio, eiuſque Chronici Auctore tu quoque plura diſſeruiſti in Diſquiſ. 1. de Hymni *Te Deum laudamus* Auctoribus *ſ. 6. 7. 8.* &c. quod egregium opus tuum per eruditorum manus magnâ cum tui laude nunc fertur, & nuper à Cl. & Erud. P.D. Benedicto Bacchino in Diarium Liter. A.*1696.* relatum animaduerti, patiare quæſo, vt nonnulla & ego hîc proferam, quæ tibi, cui eorundem exemplarium copia non ſuppetebat, animaduertere minimè licuit. Certiſſima primò eſt ſententia tua, quâ memoratam Hiſtoriam non S. Datium Mediolanenſem Archiepiſcopum Auctorem habere aſſeruiſti; etenim Landulphus Mediolanenſis eiuſdem ſcriptor fuit, quemadmodum fidem faciunt hæc ad calcem libri appoſita verba: *Explicit liber Hiſtoriarum Landulphi Hiſtoriographi*. Hic autem ſcribebat circiter A. Ch. 1080. Porrò titulus ille, qui hiſce Landulphi Hiſtorijs impoſitus eſt, nempe: *Chronica Datij Archiepiſcopi Mediolani nuncupata*, nullam ſapit antiquitatem. Quin mihi attentiſſimè ſingula perpendenti certiſſimè viſus eſt à Franciſco Caſtello additus, quippe eiſdem planè characterum figuris in priori paginâ ſcriptum reperitur: *Chronica Datij Archiepiſcopi Mediolani mei Franciſci Caſtelli Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Ordinarij MDLXXIV.* Fuit hic vir planè doctiſſimus, eiuſque lucubrationes quaſdam luce adhuc carentes in Ambroſianâ ſeruamus; ſed quam accuratè hoc ab illo fuerit aſſertum, tute videas: Certè in eâdem paginâ hæc ab alio addita leguntur: *Primus Landulphus, ſecundus Arnulphus, tertius Landulphus; qui omnes ſcripſere inter Annum Domini* 1000., *&* 1100., *& ferè de rebus Schiſmaticis illius temporis, vt mirum ſit hunc bonum Caſtellium Datij titulum impoſuiſſe*. Secundò certum adeò non videtur, quod tamquam certiſſimum *ſ.* 10. affirmaſti, videlicet à S. Datio Chronicon quoddam fuiſſe conſcriptum. *Chronica* quidem *Datij* à Corio, Gualuaneo Flammâ, Auctore libri Flos Flor., & ab alijs rerum Mediolanenſium Scriptoribus citantur, quare ais: *à tot*

antiquis laudatum Datij Chronicon extitiſſe pervicacis tantummodò eſſet denegare. Verùm ſub Datij nomine vnum Landulphi Chronicon citari, non verè Datianam quampiam Hiſtoriam certiſſimum ſcito. Plurima ego loca, quæ tum à Gualuaneo, tum ab alijs ex Datij Chronico citantur, cum eodem libro contuli, & eadem omnia exactiſſimè ibidem legi. Quamobrem conſultum optimè tibi fuit, vti num. 471. laudatæ Diſquiſ. ſcripſiſti, ijs non habere fidem, qui *aliqua ex Datij Chronico per Gualuaneum deſumpta non legi in Landulphi Hiſtoriâ aſſeruere*. Neſcio igitur quam firmo fundamento tuum illud argumentum nitatur, quo Chronicon quoddam ideò extitiſſe contendis, quòd *Chronicon Datij* à pluribus ijſq; antiquis Scriptoribus citetur. Iſtis obſcura quędam opinio fucum fecit, tibi verò acutiſſimo ſimul doctiſſimoq; viro ſi ab his imponeretur, moleſtè omninò ferendum eſſet. At, inquis, ipſe Landulphus trium Capitum titulos ita proponit: *Expoſitio Ordinum S. Ambroſij edita à S. Memoriæ Datio Epiſcopo Mediolanenſi* Item: *De Chriſmon S. Ambroſij ſecundùm Datium Archiepiſcopum Mediolani*. Et poſtremò: *De Crucis Antiphonâ ſecundùm Datium Epiſcopum Mediolani*. Quis igitur neget ante Landulphi æuum Datianam aliquam extitiſſe Hiſtoriam? Hæc, fateor, omnium robuſtiſſima ratio eſt, ſed quæ nihilò feciùs quæſtioni definiendæ ſatis non eſt. Has Landulpho lacinias ab amanuenſi aliquo aſſutas Puricellus vir doctiſs. cap. 39. num 13. Diſs. Nazar. ſuſpicatus fuerat: Tu tamen Puricelli ſuſpicionem omninò nullam vocas, & hocce argumentò probare niteris. Ante Annum 1675. Antonius Maria Puſterla Capituli Metropolitani Bibliothecarius, quum à Mabillonio V. C., & cui innumera debet eruditorum Reſpublica, de hoc interrogaretur, reſpondit, vt idem V. C. tom. 1. pag. 4. Analect. teſtatur: *Landulphi Chronicum conſcriptum in pergamenâ eſſe annorum ſexcentorum, eiuſque notæ, qualem ætas illa ferebat Longobardorum dominatui proxima*. Ergò, tu inquis, *Landulphi Codex circa A. Ch. 1075 vel ab ipſo Landulpho conſcriptus eſt, vel ab alio eiſdem, vel valdè propè Landulphum temporibus*. Malè igitur Puricellus ea Capita S. Datio adſcripta fuiſſe ab amanuenſe poſt longa tempora Landulphi Hiſtorias exſcribente contendit. Equidem te hucuſque Landulphi exemplaria conſulere non potuiſſe valdè doleo, quum enim alienæ tantùm fidei fidere neceſſe tibi fuerit, diligentiâ illâ, quam ſoles adhibere, vti nequaquam potuiſti. Quum verò hac in re felicior ego fuerim, accipe quicquid in eodem Codice, dum Metropolitanam Bibliothecam non ſemel perluſtrarim, mihi fuerint obſeruata. Gemina ibidem ſunt Landulphi exemplaria. Ex ijs vnum, cui titulus Datij impoſitus, coniunctum habet Arnulphum & ipſum rerum Mediolanenſium Scriptorem. Horum verò Hiſtoriæ vnâ eâdemque manu ſunt ſcriptæ. Alterum exemplar Landulphum Seniorem, itemque Arnulphum complectitur, neque vlla ibidem Datij fit mentio. Additus huic catalogus Mediolanenſium Antiſtitum eodem planè charactere, & in Galdinum deſinit, quem A. Ch. 1176. obijſſe mortem affirmat. Quum

vero

verò vtriuſque Codicis vna penè, eademque ſit ſcriptura, & characterum forma, eoſdem circiter A. Ch. 1180. exaratos opinor. Huiuſce autem opinionis meæ fundamentum aliud exhibeo. Ipſemet amanuenſis, qui vetuſtiorem Landulphi Codicem exſcripſit, dum S. Arialdi Martyrium refertur, hæc in libri margine additamenta appoſuit: *Paſſus eſt B. Arialdus Martyr, & Leuita Anno Domini MLXVI. V. Kal. Iul., canonizatus per Alexandrum II. Nec mirandum, ſi iſte Hiſtoriographus, & ſequens* (ſcilicet Landulphus, & Arnulphus) *non laudent iſtum Arialdum, nam ipſi erant fautores Sacerdotum vxoratorum, concubinariorum, & Simoniacorum, à quibus B. Arialdus paſſus eſt. Anno autem Domini 1067. Alexander II. venit Mediolanum ob mortem Arialdi, dum ad Synodum pergeret, quem Mantua celebrauit, in quâ omnes Mediolanenſes Sacerdotes vxoratos Beneficijs priuauit, quod & de ceteris facere intendebat; ſed morte præuentus fuit. Sed Hildebrandus eius ſucceſſor facti Alexandri conſcius id expleuit*. Igitur vides etiam, poſt Gregorij VII., & Landulphi, ac Arnulphi æuum longè hunc amanuenſem ſcripſiſſe. Porrò addit ad S. Herlembaldi mortem hæc verba: *Verſus ſuper ſepulcro Herlembaldi in S. Dionyſio, quem SS. Martyrum Catalogo adnotauit Vrbanus II., qui cum Arnulpho Archiepiſcopo Mediolani corpus eius tumulauit MLXXXXI., quia ipſe Herlembaldus vexillifer Eccleſiæ, ac tutor ab aduerſarijs ratione Eccleſiæ occiſus eſt*. Tum ſubijcit verſus. Atqui hinc rursùs colligo, laudatum Amanuenſem multo poſt Vrbanum II. tempore vixiſſe. Siquidem teſtibus Bertholdo Conſtantienſi, Sigonio, Baronio, alijſque, Vrbanum II. ad Vrbem Mediolanenſem Anno tantùm 1095. veniſſe conſtat; quum verò hoc ille Scriptor Anno 1091. contigiſſe affirmet, vtique longè à tanti Pontificis ætate ſe in viuis fuiſſe prodit, cuius tempora minimè ſibi perſpecta erant. Quæ quum ego adnotaſſem, gauiſus ſum poſtea mihi à doctiſſimo Puricello lib. 1. cap. 2. num. 3. de SS. Mart. Arialdo, & Herlembaldo eaſdem lacinias obſeruatas, ſimulque *Amanuenſis illius, qui Codicem illum exſcripſit, additamenta marginalia* ab ipſo fuiſſe nuncupatas. Itaque vides Landulpho ſeniori titulos ſupra memoratos ab amanuenſe quodam affingi potuiſſe, deceptumque illum, qui ante ſexcentos annos ſcriptum Landulphi Codicem putarat. Sed etiamſi ipſius Landulphi fætus tituli memorati forent, an inde colliges Hiſtoriam à Datio Archiepiſcopo elucubratam? Quod ſummum eſt, Datium *Expoſitionis* cuiuſdam *Ordinum Eccleſiæ Mediolanenſis* Auctorem haberemus, non Chronici alicuius. Mihi tamen hæc ſtat ſententia, ne huiuſmodi quidem Opus, è Datio prodiſſe, ſed ex Landulphi iudicio, aut errore. Hoc ſæpè ab illo vſurpatum ſcimus, vt alijs appingeret, quæ ipſemet meditabatur, aut in votis habebat. Sic titulum *de Monogamis Sacerdotibus à B. Ambroſio* ſe hauſiſſe ait, quod quantùm Hiſtoriæ, Fideique Catholicæ aduerſetur, nemo neſcit. Alium profert titulum *de Frontone à Conſtantino Epiſcopo Mediolanenſi*, quem tamen alicuius libri Scriptorem nemo ſomniauit. In eiuſdem quoque Metrop. Capit. Biblio-

thecâ Codex alius antiquiſſimus extat MS., vbi legitur *Expoſitio Matutini Officij Mediolanenſis Eccleſia edita à Theodoro eiuſdem Eccleſiæ Pontifice*, quam eſt ego exſcripſi. At an eius libelli Theodorum Auctorem arbitraberis? Nequaquam; Siquidem ter, aut quater, ibidem Amalarius citatur, qui proximo poſt Theodorum Archiepiſcopum ſeculo floruit. Ceterùm ais num. 488. *Colligo ergò S. Datij Chronicon reuera extitiſſe, hoc tamen modo. A S. Datio quidem quo ad ea ſui temporis reuera compoſitum, nonnulla tamen ex ſubſequentibus ætatibus addita; complexum ſcilicet Datij Chronicon, & quæ à S. Datio conſcripta, & poſteriorum additamenta, & omnia ſub eodem Datij nomine partim propriè vt ab eo conſcripta, partim denominatiuè, quia illi adiuncta*. Sed plura huiuſmodi ſententiæ tuæ obſtare quiſpiam fatebitur. Primò quia, vt ipſemet §. 8. num. 465. fateris, *S. Datij Chronicon non reperitur*. Secundò quia idem ab exordio ad calcem Chronici memorati eſt ſtylus, eademque verborum barbaries. Tertiò in Epiſtolâ libro præfixâ, & à Landulpho ipſo conſcriptâ, idem Landulphus ſe omnia, quæ ſubſequuntur, enarraturum, nihilque de Datio, rebuſque eius Chronico addendis, profitetur. Quartò à voluminis vertice ad calcem maledicentiâ, & furore totus ſcatet Is Auctor, neque religioni habet ſacroſanctam Sedem Romanam paſſim inſectari. Nihil vtar circuitione: Vbique ſe Schiſmaticum prodit. An amabo hîc Datium virum Sanctiſſimum, Eccleſiæque Romanæ fautorem amantiſſimum latêre arbitraberis? Tandem Paulus Diaconus lib. 16. Hiſt., & ex illo Anaſtaſius Biblioth. in Silucrio, famem deſcribunt, quæ A. Ch. 539. Liguriam ità inuaſerat, vt, *ſicut vir Beatiſſimus Datius Mediolanenſis Antiſtes retulit, pleræque matres infelicium natorum comederent membra*. Atque hinc tibi alijſque viſus eſt Datius Chronicon quoddam elucubraſſe. Verùm quum huiuſce famis in Landulphi Codice nulla fiat mentio, omne vides argumentum ruere, quo probetur eumdem librum cum Datij Hiſtoriam, tum aliorum additamenta complecti. Quod ſi Datianum hoc Chronicon aliquandò extitiſſet, cur illud viri eruditi obliuione conſepeliri, atque obrui perpetuò voluiſſent? Nolo moroſior videri, atque iccircò vnum hoc ſtatuendum mihi videtur, volumen nempè illud, quod *Datij Chronicon* nuncupatur, ab vno Landulpho ſeniore compoſitum. Datium verò Hiſtoriæ alicuius Scriptorem fuiſſe ſuſpicari vix audeo.

CAP. VII.

Orationis laudatæ S. Benedictus Auctor non fuit, ſed Landulphus, aut quiſquam alius. Perſpicuè probatur. Sigonij de hac quæſtione minùs æqua ſententia. Pallium Ticinenſi collatum quandò.

SEd vt ad rem noſtram redeamus, quibus auctoritatibus ius Mediolanenſis Eccleſiæ in Ticinenſem niteretur, in laudatâ Oratione perſpeximus. Primò decem Summorum Pontificum Priuilegia Ticinenſis Conſecrationem Mediolanenſi Præſuli demandabant, & anathematis gladium cuicumque aliter agenti intentabant. Secundò Mediolanenſis Eccleſia ab Apoſtolo Barnabâ inſtituta Metropolis dignitatem in Prouincias, Vrbeſque varias, atque adeò in Ticinenſem ab ipſo ſui exordio conſequuta fuerat. Tertiò id exemplo S. Epiphanij probabatur, qui ab Antiſtite Mediolanenſi conſecrationem acceperat. Demùm ex Vitâ S. Ambroſij, qui Ticinenſem Epiſcopum conſecrarat, id abundè confirmabatur. Et planè vides, quot præſidijs Mediolanenſium cauſa fulciretur, & quam iuſtè Benedictus Archiepiſcopus coram Romano Pontifice ius ſuum experiretur. Verùm quia plures iam Epiſcopi Ticinenſes ab eiſdem Summis Pontificibus conſecrati fuerant, conſuetudo contra Mediolanenſium iura præſcriptionem induxerat, eaque tanti eſt habita, vt Benedictus cauſâ ceciderit. Ne tamen rem, quâ de agere inſtituimus, leuiter nimis attingere videamur, exponere placet, quæ ſit mea de huius Orationis Auctore ſententia. Illam enim ego non à Benedicto compoſitam, ſed ab ipſo Hiſtoriographo Landulpho excogitatam arbitror. Fuit iſti in moribus reliquorum Hiſtoricorum more viros loquentes inducere, eiſque orationes affingere, quas veri ſimile eſt ab ipſis dicendas, aut dictas iam fuiſſe. Hinc apud illum videas *Vuiberti Archidiaconi*, *Ambroſij Diaconi*, *& Andreæ Sacerdotis decumani* contra S. Arialdum Orationes, huiuſque in illos, aliaque multa, quæ vnius Landulphi fœtum eſſe ſtylus vbique ſimillimus ſuadet. Præterea non dixiſſet Benedictus ſe *per annos quadraginta in Mediolanenſi Cathedrâ ſediſſe*; quum enim ſit exploratum ſub Conſtantino Pontifice cauſam hanc fuiſſe agitatam, & Benedictus Anno tantùm 687. ad Archiepiſcopalem dignitatem euectus fuerit, longè poſt Conſtantini tempora quadrageſimus illi Archiepiſcopatus annus excurriſſet. Huius igitur erroris culpa ad Landulphum Orationis Auctorem eſt referenda. Alio autem inuictiſſimo argumento id probatur. Tres in hac Oratione citantur Epiſtolæ Decretales, nempe Fabiani, Sixti, & Caliſti Romanorum Pontificum. Hæ verò Epiſtolæ licet, vti nunc eruditi omnes fatentur, tantis Pontificibus ſuppoſitæ, affictæque fuerint, adhuc à multis ſeculis veluti germana eo-

rum

rum ſoboles ſunt habitæ, eximiamque fidem ab vniuerſis Catholicis non minùs quam noſtro æuo impetrauere. Iſidorus ſeu *Mercator*, ſeu *Peccator* (vti poſt Archipræſulem de Marca probat Cl. & Em. Card. de Aguirre Maximum Hiſpaniæ, purpureique Senatus ornamentum in luculentiſſimâ Hiſpanorum Conciliorum collectione T. 1. diſſ. 4.) hanc mercem aut collegit, aut elaborauit, ita vt viris etiam doctiſſimis impoſuerit, qui S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi opus illud fuiſſe crediderunt. Ceterùm quo tempore huiuſmodi Syllogus prodierit, ipſæ nos Epiſtolæ docent, ſiquidem inter eas quædam ſunt Gregorij II. ac III. & Zachariæ Summorum Pontificum nominibus inſignitæ. Quum verò hi Pontifices octauo ſeculo ſederint vſque ad A. Ch. 751. poſt illa tempora ſcripſiſſe Iſidorum iſtum dignoſcimus. Sed ne ſtatim quidem publici iuris factæ ſunt huiuſmodi Decretales; etenim primus omnium Riculphus Moguntinus Epiſcopus eas ex Hiſpaniâ, vbi cunas ſortitæ fuerant, in Gallias importauit. Hincmarus Rhemenſis in Opuſc. cap. 24. hæc habet: *De libro collectarum Epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpaniâ allatum Riculphus Epiſcopus Moguntinus obtinuit, & iſtas regiones ex illo repleri fecit*. Moguntiacam autem Eccleſiam rexit Riculphus iſte ab A. Ch. 787. vſque ad Annum 814. Quare affirmandum omninò eſt, Epiſtolas illas ſub finem tantùm ſeculi octaui inter eruditos verſari cæpiſſe. Quod ſi verum, vti prorsùs veriſſimum eſt, an illis Benedictus Archiepiſcopus, qui Ann. Ch. 711. Romæ peroraſſe dicitur, vti potuiſſet? Supereſt igitur, vt fateamur, aut à Landulpho ipſo memoratam Orationem fuiſſe elucubratam, aut ab alio quopiam, qui pluribus poſt Benedictum annis inter viuos numeraretur. Stylus quidem, vt hoc quoque exponam, à conſueto Landulphi ſtylo nonnihil diſſidere videtur, ita vt, quod ſummum eſt, ſuſpicari poſſimus, etiam ante Landulphum Orationem hanc extitiſſe. Quæ igitur Mediolanenſi Epiſcopo in Ticinenſem firmiſſimæ rationes forent, ni fallor, exploratè oſtendimus. Nunc verò videndum, quibus verbis à Sigonio magni nominis viro Hiſtoria hæc proponatur. Inquit is lib. 3. Hiſt. de Regno Ital. ad A. Ch. 715. *Lis inter Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Epiſcopum Papienſem exorta. Archiepiſcopus noui parandi iuris causâ Epiſcopi conſecrationem ad ſe traducere voluit. Quod ius ad eum non pertinere Epiſcopo contendente, ex communi ſententiâ res eſt Romam reiecta. Ibi causâ vtrinque apud Pontificem agitatâ Archiepiſcopus aduerſantibus omnibus vetuſtatis exemplis victus abſceſſit*. Verùm paratragædiat Sigonius; neque enim ius nouum Benedicto parabatur, neque illi omnia vetuſtatis exempla aduerſabantur. Vna plurium annorum præſcriptio fecit, vt ſecundùm Ticinenſem iudicaretur. In anno etiam huiuſce quæſtionis aſſignando Sigonium calculi defecere, quandoquidem Anno 715., quo rem peractam is arbitratur, Romanam Sedem Gregorius II. implebat, non verò Conſtantinus. Deceſſerat hic Anno ſuperiore, eodemque in Summum Pontificem electus fuerat Gregorius, vti Em. Annalium parens certis Anaſtaſij Biblioth., Theophanis,

Sigifredi, aliorumque teſtimonijs ductus liquidò oſtendit. Quum verò ſub Conſtantino tantùm huiuſmodi lis compoſita fuerit, annum eidem aut 711. cum Baronio, aut cum alijs 712. aſſignari debere patet. Porrò hac in re quantùm à Sigonij mente reliqui Scriptores diſcedant, multis probare poſſem, ſed omnium inſtar ſat erit Benuenutum (hunc Imolenſem fuiſſe arbitror) proferre, vetuſtum Scriptorem, qui ante Annos 300. & quod excurrit, ſcribebat, & cuius Chronicon MS. in Ambroſianâ Bibliothecâ extat. Cap. 137. *de Papiâ Vrbe* hæc ille habet: *Huius Ciuitatis Epiſcopus Suffraganeus fuiſſe aſſeritur Archiepiſcopi Mediolanenſis. Quod patet ex eo quod B. Protaſius Archiepiſcopus Mediolani conſecrauit B. Epiphanium Epiſcopum Papienſem S. Criſpini Succeſſorem. Sed quia tempore Longobardorum, qui erant infideles, timore eorum Archiepiſcopi Mediolanenſes apud Ianuam reſidebant, ſicut de Honorato legitur, Epiſcopi Papienſes conſecrari cæperunt à Papâ. Vnde cum Benedictus Archiepiſcopus Mediolani in Curiâ Romanâ citaret Epiſcopum Papienſem ſuum ab antiquo Suffraganeum, ſuccubuit. Vnde & hodie Papienſes, Placentini, & Ferrarienſes Epiſcopi ſubſunt immediatè Domino Papæ.* Reliqua videamus. Sic rebus compoſitis ad multum tempus Ticinenſes Epiſcopi Mediolanenſem ignorauere Metropolitam, & ab vno pendentes Romano Pontifice Pallij etiam dignitate ſunt aucti. Quo tempore hic honor eiſdem collatus, prorsùs definire non audemus. Illud tamen abſque hæſitatione affirmandum duco, Vghellum à veritate deſciſcere, dum ſine tabulis, & ſine teſtibus hæc de Papienſi Eccleſiâ aſſerit: *Cui Pontifex Hormiſda* (Romanam Sedem hic tenuit ab Anno 514. ad 523.) *Pallij vſum conceſſit, extenditque eam gratioſam indulgentiam ad Succeſſores.* Vſus enim Pallij per ea tempora aut pauciſſimis, aut nemini à Summis Pontificibus tribuebatur. *Æuo deinde D. Gregorij*, vt doctiſſimus de Marca animaduertit lib. 6. cap. 7. num. 3. de Concord. Sac. & Imp. *inualuit, vt Romanus Pontifex Pallio ornaret præcipuos Metropolitanos, qui ad eius conſecrationem pertinebant, aut eos, quibus vices ſuas in Prouincijs committebat.* Si igitur neque omnes Metropolitanos, ſed præcipuos dumtaxat Pontifex Pallij vſu decorabat, idque etiam ſeculo ſolùm Gregorij Magni vſurpari cæpit, quantò minùs Hormiſdæ æuo Pallium Ticinenſi concedendum fuit, qui non inter Metropolitas, ſed in Epiſcoporum ſolummodò vulgarium cenſu numerabatur? Plura in hanc rem non aggero, tum ne meſſem hanc tibi præripiam, tum vt eruditorum auribus parcam, qui à te vberiora præſtolantur. Velim tamen ſeriò perpendas, an ad Ioannem VIII. Papam prærogatiuæ huius primordia ſint referenda. Ille enim Pontifex nihil antiquius habuit, quam vt Ticinenſem extolleret Sedem, quò viuidum nimis, ac forte Mediolanenſis Epiſcopi ingenium retunderetur, qui de promptè præſtandâ tum temporis Eccleſiæ Romanæ obedientiâ recuſabat. Certè hic Summus Pontifex Epiſtolam dedit, quæ inter eius Opera eſt 139. illâque Mediolanenſem, ac Rauennatem Metropolitas ſtatuit ad Synodum conuocari à Ticinenſi

Epiſco-

Epiſcopo poſſe, quod (niſi eadem Epiſtola in Apocryphis ſit recenſenda) adeò mirum videtur, vt Baronius ad An. Ch. 878. pronunciare non dubitauerit: *Quod non crederem, niſi legiſſem*. Equidem hanc coniecturam facilè ſequor, à quâ tamen diſcedam, ſtatim vt meliora abs te, vt ſpero, proferantur.

CAP. VLTIMVM.

Synodus Mediolanenſis, cui interfuiſſe Ticinenſis Epiſcopus dicitur, omninò ficta eſt. Simillimi Diplomatis fides in examen vocatur. Ticinenſis Epiſcopi faſtus ab Heriberto Archiepiſcopo caſtigatus. Gualuanei, ac Landulphi teſtimonia. Cur à Mediolanenſi Metropoli Ticinum ſeiunctum.

Hîc quidem memoranda Synodus foret, quæ A. Ch. 945. Mediolani habita in quodam Diplomate dicitur. Extat hoc in Ambroſiani Cœnobij Archio, publicique iuris factum fuit ab ornatiſſimo viro, mihique amiciſſimo Patre D. Bartholomæo Areſio Ciſtercienſi Abbate in Lib. Priuileg. & Diplom. Monaſt. Ambroſ. pag. 36. Concilio autem huic in Ambroſianâ Baſilicâ coacto præter alios Epiſcopos ſubſcriptus legitur *Litifredus Papienſis Epiſcopus*. Verùm multa me abſterrent, ne huiuſmodi documento auſcultem. Nolo locum, vnde prodijt, in ſuſpicionem vocare, quamquam fortaſsè poſſit nonnihil furfuris ibidem inter gemmas eſſe commixtum. Pauca tamen commemorabo, quibus Diplomatis auctoritas infirmari videtur. *Olricus Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus* ibi appellatur, quum tamen vetuſta quæque monimenta *Ardericum* nuncupent. *Sigifredus Parmenſis Epiſcopus* Anno eodem 945. ſi Luitprando in Chron. lib. 5. cap. 9. Sigonio de Regno Ital. lib. 6. & Vghello in Ital. Sac. in Catal. Parm. Epiſc. fidem habemus ab Italiâ aberat, & Conſtantinopolim iuſſu Hugonis Regis ſe contulerat. *Ioannes* quoque *Maſſanenſis Epiſcopus* ſubſcriptus legitur. At Maſſæ Epiſcopus tum temporis non *Maſſanenſis*, ſed *Populoniæ Epiſcopus* appellabatur, vti Vghellus tom. 3. Ital. Sac. in horum Epiſcoporum ſerie eruditè animaduertit. Deinde non *Maſſanenſis*, ſed *Maſſenſis* ſcribendum fuit. Tandem Epiſcopum iſtum Mediolanenſi Metropoli ſubiectum minimè tunc fuiſſe extra dubitationis aleam poſitum eſt. Quod verò eidem Synodo interfuiſſe legitur *Bado Curienſis Epiſcopus*, licet Curiam Vrbem in Rhetiâ ſitam olim Mediolanenſi Eccleſiæ ſubiectam fuiſſe fatear, eâ tamen tempeſtate vix crediderim paruiſſe, quum inter illos decem & octo Epiſcopos, qui, vt ex Beroldo, & ex Ambroſianæ Baſilicæ picto, &

vetuſto opere mihi cap. 1. memorato obſeruaui, Curienſi Epiſcopo locus non eſſet. *Lotherius* item *Marianenſis Epiſcopus* ſubſcripſit. Hic Epiſcopatus in Corſicâ ſitus,& Mediolanenſi Epiſcopo nequaquam parebat. Poſtremò ſubſcriptos ibidem legimus *Sigifredum Parmenſem*, & *Vuidonem Mutinenſem Epiſcopos*, quos ante illa tempora à Mediolanenſi Metropoli ſeiunctos Rauennati obtemperaſſe adeò certum, vt nil certius. Idem fortaſsè de *Boſone Placentino Epiſcopo* dici poteſt. Atque hæc,opinor, ea ſunt, quæ Puricellum monuere, ne inter Ambroſianæ Baſilicæ Monumenta præclariſſimum iſtud (ſi verum foret) documentum referret. Alia quædam adferre poſſem, quæ omnia, vt ſincerè loquar in eam mentem me impulere,vt in Apocryphorum cenſum Diploma illud conijcerem. Tu accuratiùs inquires; mihi indicaſſe, leuique, vt aiunt, brachio rem tetigiſſe ſit ſatis. Aliud quoque documentum hac in re prætereundum non eſt, videlicet Dedicatio Eccleſiæ S. Sepulcri in Vrbe Mediolanenſi ab Anſelmo Archiepiſcopo Anno Dom. 1100. peracta, publiciſque tabulis conſignata, quas inſpexi in MS. Codice Franciſci Caſtelli, & olim protulit Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. 289. & poſt eum Vghellus tom. 4. Ital. Sac. pag. 170. Præter *Anſelmum* laudatum; *Groſulanum* Sauonenſem Epiſcopum, Clerum Nouarienſem, ac Vercellenſem, alioſque plures Abbates, & Presbyteros, ſubſcriptus ibidem legitur *Gulielmus Epiſcopus Ticinenſis Eccleſiæ*. Inquit autem Anſelmus: *Adunato Clericorum, Populorumque conuentu, communi conſilio omnium, ac frequenti hortatu, ſancitum eſt à nobis &c.* Igitur non immeritò hinc licet colligere, ita ab Antiſtitis Mediolanenſis imperio ſolutum non fuiſſe Ticinenſem, vt ad eius nutum Mediolanum accedere non deberet. Cur enim id officij ab iſto præſtitum fuiſſet, niſi etiam tunc aliqua in Ticinenſem Cathedram iura Archiepiſcopus ſeruaſſet? Verùm ſedulò perpendas velim, num hocce monumentum à ſuſpicione falſi omninò abſit. Archiepiſcopus ita ſubſcribit: *Ego Anſelmus quartus Dei gratiâ Archiepiſcopus firmaui, & ſubſcripſi*. Equidem huiuſmodi ſubſcriptionem à conſuetudine abhorrere certiſſimum reor, ecquis enim vnquam Epiſcopos animaduertit eâ formulâ *ſecundus, tertius, quartus &c.* vſos, vt ſe ab alijs nominis ſui Epiſcopis diſtinguerent? Hinc videas in alio Anſelmi huius diplomate, quod profert Puricellus cap. 9. num. 8. Diſs. Nazar. hanc ſubſcriptionem: *Ego Anſelmus Dei gratiâ Archiepiſcopus &c.* ſequitur deinde ſubſcriptio *Groſulani Epiſcopi*, qui poſt Anſelmi mortem ſimoniacè electus Mediolanenſem ſedem inuaſit. Illi verò non *Groſulanus* (quo nomine à vulgo appellabatur) ſed *Chryſolaus* nomen fuit, quemadmodum vetuſta documenta, & in primis Epigraphe eius tumulo impoſita, & à Baronio relata, fatentur. Tandem cur poſt longam Presbyterorum, ac Abbatum ſeriem Ticinenſis Epiſcopus ſubſcripſit? Nonne poſt Archiepiſcopum, quod poſcebat ordo, illi ſubſcribendum fuit? Alia omitto vnum pro coronide allaturus. Exploratum habemus Anſelmum laudatum coactâ Mediolanenſium militum manu

ad

ad ſacrum bellum in Syriam traieciſſe; Hoc autem Puricelli teſtimonio Anno Ch. contigit 1099. Vt igitur huiuſce diplomatis fidem hic Auctor tueatur, Anſelmi reditum Anno 1100. ex Oriente in patriam excogitare cogitur, exiguoque dein tempore interpoſito iterum ad ſacram expeditionem profectum eumdem eſſe Archiepiſcopum, quum hæc habeat Landulphus à S. Paulo vetuſtiſſimus Scriptor, & MS. in Ambr. Biblioth. *Archiepiſcopus verò ille de Buis* (ſcilicet Anſelmus) *à Turcis & Saracenis fugatus in graui luctu Conſtantinopoli expirauit*. Sed coniecturæ Puricelli quis vmquam acquieſcat? Non paucorum dierum iter illud erat, vt tam facilè è Syriâ in Italiam, rurſuſque ex Italiâ in Syriam Anſelmus migrare poſſet. Quin Landulphus memoratus vnam tantùm Archiepiſcopi expeditionem refert, multaque addit, quæ numquam illum poſt primum iter in patriam rediiſſe luculenter ſuadeant. Pluribus parco, vt Lectorem hac in re tu firmiùs erudias. Pergamus ad reliqua. Tria poſt Benedicti litem ſecula quæſitum ſibi ius Papienſes nemine interpellante tenuere. At Heriberti Archiepiſcopi Mediolanenſis tempore antiquæ dignitatis memoria in noſtris iterùm eſt excitata. Rem Gualuaneus Flamma his verbis deſcribit in Chronico Maiori cap. 746. *Imperator Conradus Gibelinus Mediolanum redijt, & conuocatis vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Baronibus Concilium in Roncalijs conuocauit pro ſui Imperij ſtabilimento. Leges iuſtas edidit, & toti Orbi pacem indixit. Iſti Concilio interfuit Euſebius Epiſcopus Papienſis portans ante Crucem. Contrà quem Archiepiſcopus Heribertus inſurrexit redarguens eum, quod propriâ temeritate Crucem deferret. Et dicit Cronica Datij, quod Crucem ante pedes Archiepiſcopi depoſuit, vbi erat multum de cryſtallo. Iſtam Crucem Archiepiſcopus in Sacriſtiâ Eccleſiæ Hyemalis depoſuit ad perpetuam rei memoriam, quod nullus Epiſcopus Papienſis Crucem ante ſe deferri faceret*. Hîc vides ſub nomine Datij Landulphum appellari, cuius Chronicon, vt ſuprà ſignificaui, elaboratum ſeculo Ch. vndecimo fuit, & MS. in Ambroſianâ quoque Bibliothecâ ſeruatur. Itaque huius verba in medium proferre non abs re videtur. Inquit is lib. 2. Hiſt. *Eâ tempeſtate Euxebius Papienſis Epiſcopus Crucem tamquam Metropolitanus ante portari faciens, ſummo ſuperbiæ faſtu elatus, Mediolanenſis Præſulatus culmini coæquari anhelans, ſerò & ipſe ad colloquium venit. Vt autem hunc Dominus Heribertus eminùs vidit, tactus dolore cordis intrinſecùs diu inter ſe tacitè ſuſpirans, mirantibus vniuerſis, voce clarâ ex medio infit*. Tum Heriberto ſermonem affingit Schiſmaticus Landulphus irarum plenum, & in ipſam Romanam Eccleſiam non leuiter contumelioſum, quaſi iniuſtè antiquo ſuo iure Mediolanenſis Cathedra exſpoliata fuiſſet, ideoque illum ſciens prætereo. Dein addit hæc Heriberti verba: *Vnde dolores magni, & duplicati cordi inhærent meo ſanctam deuotionem B. Inuentij, & Creſpini, nec non & reuerentiſſimi Epiphanij ſedulè cognoſcens, quam in noſtram Eccleſiam deuotè vt matrem impenderunt. Qui, cum eadem Eccleſia Imperatorum, & tyrannorum ſæuitiâ olim Pa-*

ſtore

flore viduata; Dei adiutorio quandoque ſuſtentata floruißet, ipſam benignis admonitionibus, & conſecrationibus refouerunt, huius Sanctæ Eccleſiæ Primiceriatum, & omnium noſtrorum Epiſcoporum præminentiæ prærogatiuam habentes. Præſertim verò quanti amoris, quantaque diligentiæ S. Confeſſori noſtro Ambroſio eorum Eccleſia fuerit, patet, nam quamuis corporis moleſtiâ grauaretur, inibi Sacerdotem in Epiſcopum manu propriâ ordinare curauit. Quo audito, animis omnium circumſtantium magis atque magis exardeſcentibus, qui multa ſæua, ac aſpera prælia ob B. Ambroſij amorem cade datâ immensâ, ac à Deo datâ victoriâ ſuſtinuerant, Crux, quam Euxebius ſibi anteferri faſtu ſuperbiæ permittebat, ab ipſo ſummâ humilitate, ac deuotione debitâ coram omni multitudine refutata eſt. Quæ vſque hodie plurimum cryſtalli habens in S. Mariæ Secretario in teſtimonium poſterorum decenter cuſtoditur. Quo Anno hæc geſta fuerint prorsùs incertum eſt mihi. Gualuaneus quidem ad Conradi Imperatoris tempora rem refert, ſed Landulphum ab illo diligenter non fuiſſe conſultum ſuſpicor; inquit enim iſte: *Heribertus ſummâ Henrici Imperatoris ductus amicitiâ in Rhoncaliâ ob Regni ſtabilimentum multis cum Ducibus, & Epiſcopis tempore competenti colloquium decenter conſtruxit.* Tum ea, quæ ſuperiùs retulimus, addit. Quamobrem ſub Henrico potiùs Imperatore Sancto, hoc eſt ante Annum Chr. 1024. hoc accidiſſe autumarem. Ceterùm miror Euſebium iſtum Ticinenſem Epiſcopum in Eccleſiæ eiuſdem tabulis haudquaquam apparere, neque de illo verbum quidem penes Vghellum. Quum tamen nullâ hîc ſuſpicione laborare queat Landulphi fides, qui eodem ſeculo ſcripſit, inter Vbertum, & Guidonem Secundum Papienſes Epiſcopos Euſebius iſte numerandus eſſe mihi videtur. Quid verò cauſæ fuerit, cur à Metropolis Mediolanenſis iuriſdictione Ticinenſes euaſerint, & quomodo id factam, tibi viro præclarâ eruditione, & doctrinâ, inquirendum prorsùs reſeruo. Accipe in præſentiâ, quæ habet Anonymi cuiuſdam liber in Ambroſianâ Bibliothecâ MS., vbi Mediolanenſium Epiſcoporum iura recenſentur. Ita is loquitur: *Quo ad Papienſem ſedente Benedicto quadrageſimo ſexto Mediolanenſi Archiepiſcopo, qui ſedit Annos 47. & deceſſit de Anno 735. Non. Mart., habuit litem longam in Curiâ Romanâ cum Domino Epiſcopo Papienſi; Sed tandem Mediolanum ſuccubuit, quia plures Epiſcopi Papienſes à Pontifice Maximo fuere conſecrati, ac inſiguiti Pallio, & Cruce. Arbitror quod hoc euenerit propter Regalem Gothorum, ſeu Longobardorum Sedem, quæ longo tempore viguit in ipsâ Cinitate Papiæ. Tamen in Chronicâ, quæ Datij dicitur, legitur quod Heribertus Archiepiſcopus Mediolani ſeptuageſimus ſecundus, qui ſedit Annos 26. & deceſſit An. Dom. 1045., maximo cum honore deponere fecit Crucem præfato Papienſi Epiſcopo, quam ipſemet conſignauit S. Heriberto, eamque ad futuram rei memoriam in Secretarium Eccleſiæ Mediolanenſis repoſuit. Quidquid ſit, iſte Papienſis habet Crucem, & Pallium, & Crux huiuſmodi in Secretario Mediola-*

diolanenſi non reperitur. Vt vides, Gothorum, ac Longobardorum in Vrbe Ticinenſi diuturna commoratio tantam Epiſcopis illis peperit dignitatem. Hæc ſanè omnium potiſſima ratio eſt, cur à Mediolanenſi Metropoli Ticinenſes abſceſſerint, illamque etiam accuratiſſimus vir Carolus à Baſil. Petri in libello de Metrop. Mediol. num.15. ſcriptis conſignauit. Aliam itidem cauſam Gualuaneus Flamma refert in Manipulo Florum cap. 109., qui liber in Ambroſianâ Bibliothecâ MS. extat. De Benedicto Archiepiſcopo agens: *Epiſtolam*, inquit, *ad Papam ſcripſit, quod de conſecratione Epiſcopi Papienſis ſui Suffraganei ſe non intromitteret. Tamen Archiepiſcopus Mediolanenſis ſuccubuit, eò quod plures Epiſcopi Papienſes non inueniebant Archiepiſcopum Mediolani in ſuâ Sede exiſtere, ſed in Ianuenſi Ciuitate propter metum Longobardorum reſidere, & ideò ad Papam quaſi furtiuè conuolabant*. Quibus verò rationibus ius nouum tueantur Papienſes, & quam facilè eorumdem argumenta refelli queant, altiùs inquirere nolo. Munus hoc tu feliciùs implebis, ſpero enim fore vt è penu tuo vberrimo meis longè præſtantiora depromas. Atque hæc ſunt, quæ in præſentiarum, eruditiſſime vir, pro tantæ Metropolis Maieſtate proferenda duxi, vt laboris communione conſilia tua ad illius amplitudinem præſidiumque collata meliùs procederent. Hinc laudem, hinc nomen, mihi non quæro, ſed tantùm vt obſeruantiæ erga te meæ, ſtudioque in hanc præſtantiſſimam Eccleſiam meo aliquâ ſatisfiat ex parte. Et quamquam hoc meo conatu infirmum fortaſſis tantæ cauſæ patrocinium præſtiterim, me tamen non pudebit ſignis tuis præcurriſſe, quæ certiſſimæ interim victoriæ ſpem nobis faciunt. Leuioris armaturæ militem deſpexerint, vt lubet, Ticinenſes; certè Triarium, fortiſſimumque militem, qualem te egregia eruditio tua facit, ij ſentient, ac formidabunt. Ergò nunc Spartam, quam nactus es, ornare, & egregium conſilium tuum ad exitum ſtrenuè perducere perge, ab inuidiâ ſecurus, victoriæ famæque certus; verè quippe canit Homerus:

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.
Vnum auſpicium optimum eſt pugnare pro patriâ.

FINIS.

Accentus, Diphthongos, & Græca quædam vitiata omitto, reliqua errata ſic reſtituantur.

Pag. 10. lin. 27. *ferunt*. 25. l. pen. *Diſſ. XIX*. 39. l. 18. *ſui* 41. l. 34. adde: *rogantem ipſos*. 42. l. 31. *albo*. 43. l. 15. *effingebatur*. 44. l. 21. 22. *à culmine*. 63. l. vlt. emendari poſſet: *tuguri fortaſſis aperti*. 64. l. 34. tollatur tota. 65. l. 7. reſtitui poſſet verſus: *Ignoto quadrupes pro limine conſtitit hoſpes*. l. 10. *huc*. 68. l. 23. *Apronianus*. 74. l. pen. *Hexametris*. 76. l. 36. *putamus*. 78. l. 23. *Itaque ſcribe annuis*. 86. l. 24. *Tecla*. 25. *fuere*. 89. lin. 18. *ephebis*. 91. l. 23. *Vaſconiæ*. 93. l. 31. *Presbyteri*. 95. l. 5. *Vile*. 98. l. 22. *vicina*. l. 35. *fine*. 123. l. 28. Numâ. 129. l. 3. adde: *ait*. 130. l. pen. *quærunt*: 136. l. 10. *nonum*. 153. l. 16. *generis*. 155. l. 37. *ſacerdotalem*. 156. l. 4. adde: *tributum*. 158. l. 21. *Calaguris*. 166. l. 27. *elucubrauit Paulinus*. 178. l. 20. pro *Caluiniſta* lege *Tigurinus*. 181. l. antepen. pro *Caluiniſta* lege *Tigurinus*. 189. l. pen. *calumniam*. 191. l. 24. *iugulat*. 199. l. 6. *legendus in Heortol*. 200. l. pen. *relatos*. 204. l. 24. *proloquentem* 239. l. 3. *&*

Quodlibet erratum ſum retractare paratus,
Quod tibi nec, Sapiens, nec tibi, Roma, placet.

INDEX RERVM.

A.

A Litera tribus virgis contexta Triadis myſterium ſignat. pag. 45

Abella Vrbs Campaniæ. 106. laudatur à Paulino. Ib. Sancti cuiuſdam ſepulcrum ibi. 106. laudatur à Paulino. 110

Adonis in Vulcanalibus malè habitus. 132. & 133. Quid ſignificaret. 133

Agaparum vſus penes antiquos Chriſtianos. 62

Ædes S. Ioannis ad Fontes Mediolani. 174

Ædiles Curules apud Romanos. 162

Æditui ſunt Oſtiarij, quorum ordo antiquiſſimus in Eccleſiâ. 34

Ægyptiorum Dij innumeri. 11
Ipſorum numen proprium Iupiter Ammon. 8
Eorum Superſtitio in ſacris Iſiacis. 13. & ſeq.

Æmilius Ep. Beneu. 153. adeſt nuptijs Iuliani, & Iæ. 154. Quandò obierit. 155. An parens Iæ fuerit. Fortaſſis frater Memoris Epiſcopi fuit. ibid.
Quo anno is Legatus Conſtantinopolim. 153

Ænigma vetus, In triclinio Coa, in cubiculo nola explanatum. 18

Æther Elementum apud antiquos. 206. Iouis nomine figuratus. Ib. Ignis non cenſebatur. 207. 208

Alaricus quo tempore Romam euerterit. 4

Albina Rufij Ceionij Albini filia. 145. Nurus Melaniæ ſenioris. 146. Eius peregrinatio, ac pietas. Ib. Albina, non Albinus, dicta. 147

Alfia, ſeu Appia ſoror Philemonis. 69. & 75

Altaria antiquitùs Martyrum reliquijs munita. 30

Altaria antiquitùs velo clauſa. 46

Altaria Crucibus antiquo more ornabantur. 46

Altaria prioribus Eccleſiæ temporibus plura erant in templis, non vnum tantùm. 31

Ambroſij Mediolani Paſtoris laudes. 17
Eiuſdem Legatio ad Maximum Tyrannum. 176. Quo tempore is Orationē de Baſilicis recitarit. Ib. Quandò ab Imperatrice Iuſtinâ vexatus miraculo eius furorem repreſſit. 26
Idem SS. Geruaſij, & Protaſij Martyrum repertor. 26

Amen. Huius vocis vſus in primitiuâ Eccleſiâ qualis fuerit. 4

Ammon Iupiter proprium apud Ægyptios numen. 8

Anaſtaſius Tic. Ep. inter Suffraganeos Mediolanenſis Metrop. ſubſcribit. 228

Andreas Patris martyrium conſummauit. 5
Idem apud Patras Achaiæ tumulatus. 8
Illius, & Timothei corporum tranſlatio in Vrbem Conſtantinopolitanam. 27
Ipſius reliquię vnà cum Lucæ oſſibus Conſtantinopolim de Achaiâ tranſlatæ. 8

Anſelmus Archiep. Med. 244. quandò

dò in Orientem tranſmiſerit. 245
Antonius vir ignotus, ad quem ſcribit Paulinus. 114
Anubis caput caninum gerens. 130
Apis, celebre numen apud Ægyptios bouis ſpecie. 8
Apollo Pythius oraculo clarus. 11
Aquæductus Nolanus à Paulino inſtructus. 105.106.&c.
Aquileia olim Metropolitæ Mediolanenſi paruit. 224
Aquileienſis Synodus quandò coacta. 226
Aquitania olim à Gallijs diſtincta. 157.& ſeq.
S.Arialdi mors quo anno contigerit. 238
Ariſtotelis opinio de Elementis, ac Æthere propoſita. 208
Aſterius ab Aſtro denominatus. 86
Fuit Turcij Aproniani filius. 143. Chriſto ab ineunte ætate dicatus. ibid. Aſterij varij. 144
Atys puer à Cybele adamatus. 125. Illam ſpernit, atque icircò virilibus priuatur. 126
S.Auguſtinus natus A.Ch.354.172. A.387. Baptiſmum ſuſcepit. 172. 173. quando in Africam redierit. 173. tempus, quo mortuus eſt. 174. Quâ in Baſilicâ baptizatus. 174. Eius ſermo examini ſubiectus. 213. eiuſdem fama, ac ſanctitas. 146. quandò Ep.250. ad Paulinum ſcripſerit. 152
Auita Aproniani coniux. 144. mulier ſancta. Ib. Eius peregrinatio. Ib.
Aurum in ſacris ædibus antiquitùs vſurpatum. 179
Auſonij familiaritas, & Paulini in Proleg.
Auſonius Paulino amiciſſimus. 114

B.

Baptiſmus S. Auguſtini, eiuſque annus ſtatuuntur. 172
Baptiſterium vnum olim in Vrbibus. 175
Barba quo tempore à Romanis primùm poſita. 160. à Paulino ante Felicis tumulum ſecta. 89. Illam benedicere, cum tondebatur, mos penes Chriſtianos antiquus. 89. Eam tondere, & Deo alicui, aut Penatibus dicare. 89
Baſilica Baptiſterij vna fuit Mediolani. 175. Baſilica Portiana Mediolani non fuit Cathedralis. Ibid.
Baſilicæ à Paulino conditæ Nolæ. 168
Beati ante extremum Iudicium viſione Dei potiuntur. 103. quæ ſit hac de re Paulini ſententia. Ibid.
S.Benedictus Mediol. Arch. ius ſuum in Ticinenſem tuetur. 229. cauſâ cadit. 230. eiuſdem rationes. Ib. & Oratio in Synodo Romanâ. 232. Cuius ille nou eſt Auctor. 240
Benuenutus Auctor MS. 242
Boethia, ſeu Achaia ſepulcrum Lucæ. 8
Burdigala, clariſſima ciuitas Aquitaniæ, Paulini patria. 90

C.

Cælum inter Elementa recenſetur. V. diſſ. 20. 204. Idem eſt ac Æther. 206.& ſeq.
Cælorum numerus. 135. octo tantùm à Poetis recenſentur. 136
Calamina ciuitas Indiæ, vbi Thomas martyrium paſſus. 7
Calix in Aquæductibus. 107
Campani antiquitus Oſci appellati. 18
Campaniæ Conſularis omnium præſtantiſſimus. 160
Cancelli ad Sanctorum tumulos. 98

Candelabra in Sacris ædibus. 32. 180
Candelæ quomodo antiquitùs tum ab Ethnicis, tum à Chriſtianis efformarentur. 32
Candelæ ſanctis oblatæ. 194
Candidati non poterant accedere ad Comitia cum tunica. 40. & 41
Canthara ceroſtrata. 36
Canthari nomen in ritualibus Ambroſianæ Eccleſiæ perdurat. 36
Canthari ſpecies lucernæ. 36
Capita & nauia in ludo quid eſſent. 124
Capua Campaniæ Metropolis. 161
Caſtitas, & pudicitia Sacerdotalis. 93
Cellulæ in templis quid forent. 186
Cerei etiam interdiù in Chriſtianorũ templis accenſi. 181. *V. diſſ.* 16. *eorum vſus ab Ethnicis ad nos rectè translatus.* Ib.
Cereos pingendi mos antiquitùs in Eccleſia, qui adhuc durat. 22
Chriſtiani apud Martyres tumulati. 187. *Hic vſus comprobatur.* 188
Chriſtianorum ſepulcra in templis olim fuere ſita. Diſſ. 17. 185
Chriſti nomen quomodo à Græcis efformetur. 42. & ſeq.
Chriſtus Dominus quo anno obierit. 213. *Eius potentia, ac diuinitas commendantur.* 138
Chronicon Damaſi fallax. 202
Chronicon Datij Landulphum Auctorem habet. 236. *Eiuſdem exemplaria quandò ſcripta.* 238
Chronos Saturni nomen. 127
Codices gemini Bibliothecæ Metropolitanæ examinati. 237
Cæmeteria Chriſtianorum. 189
Complutum patria vxoris Paulini, ex coniectura. 90
Coniunctio in ſecundo conſanguinitatis gradu perpetuò interdicta. 156
Conſtantinopolis à Conſtantino ſecunda, & noua Roma dicta. 27
Conſtantinopolitanus Epiſcopus poſt Romanum priuilegia honoris obtinuit. 28
Conſtantini cura in veneratione oſſium Apoſtolorum. 27
Conſtantinus, & alij pij Impp. leges contrà Paganos ſanxerunt. 22
Conſul in Colonia Aſtigitana. 81. *Barcinonenſis.* 81
Conſulares viri, ac Prouinciæ. 160. *Conſularibus ius faſcium conceſſum.* 162
Conſules in ciuitatibus Imperij præclariſſimis. 81
Conſules ordinarij, ac honorarij 159. *horum munus.* Ib.
Cophinus quid ſit. 108
Coſmos dicitur mundus, & quare. 137
Creta Titi Epiſcopatus, & ſepulcrum. 8
Creta Regnum, ſepulcrumque Iouis. 9
S. Criſpinus Ticinenſis Ep. inter Suffraganeos Metrop. Mediol. numeratus. 226
Cruces antiquitùs in altaribus collocabantur. 46
Cruces corona circundatæ pingi ſolebant. 47
Crucis deſcriptio. 35
Crucis duplex figura. 210. *commiſſa, & immiſſa.* 211
Crux à Ticinenſi Ep. depoſita coram Arch. Mediol. 246
Crux cum candelabris in brachijs. 35
Crux cum cantharulis. 35
Crux in formam antennæ. 42
Crux in formam Tau. 42
Crucis varia deſcriptio. 42. & 46
Cubicula, ſeu Capellæ, in ſacris adi-

ædibus. 186
Cybele Ionis mater libidini ſeruijt. 125
Cybeleia, dies feſti Cybeles. 9
Cybeles à Cybelo Phrygiæ monte ſic dicta. 2
Cynici canibus ſimiles. 117. *Phyſicæ operam non dabant.* 118. *Eorum vita deſcribitur.* 119
Cynocephalus idem ac Anubis. 130
Cypriani ſanctitas quanta penes Latinos, & Græcos fuerit. 16

D.

DÆmon Delphicus nato Chriſto obmutuit. 10
Dæmonum cultus à quibus Impp. vetitus. 22
Dagon, Deus venter, apud Philiſtæos cultus. 20
Damianus Tic. Ep. ad Synodum Med. conuenit. 229
Datius Archiep. Med. non eſt Auctor Chronici MS. 236. *an verè ſcripſerit Hiſtorias, dubitatur.* 239
Decretales Summis Pontificibus ſuppoſitæ. 241
Dei ſummi vnitas. 135. *eius mira clementia.* 138. 139
Delphi antiquitùs Pythus appellati. 10
Delphicus Dæmon Chriſto nato obmutuit. 10
Delphinus Burdegalenſis Epiſcopus Paulinum baptizat. 17
Denarius numerus à Latinis per literam X. expreſſus. 42
Deois quid ſit. 120
Deus venter, qui & Dagon, apud Philiſtæos cultus. 20
Diabolus ſub ſpecie Draconis cultus. 133. *Ad nomen Chriſti timet.* 134
Diaconiſſarum antiquarum veſtigia remanent in Ambroſianæ ritibus Eccleſiæ. 55. *Quænam eſſent in antiquis Eccleſijs.* 55
Dij Ægyptiorum innumeri. 11
Dij ſtercorei. 133
Diogenes Cynicus irridetur. 118
Diplomata duo ſuſpectæ fidei. 243. 244.
Dominædius quid verè ſignificet. 169
Domninus Legatus Valentiniani. fol. 176
Draco apud Paganos in cultu habitus. 133
Dungalus quis fuerit, & quandò ſcripſerit. In Proleg. & pag. 1. *eiuſd. lapſus.* Ibid.

E.

ECcleſiarum dedicationis mos antiquus. 30
Eccleſiæ nomen per vnicum c. ſcriptum. 134
Edeſſa ciuitas, in quam translatus Thomas. 7
Elementa quæ ſint ex Paulino. V. Diſſ. 20. *pag.* 204. *Elementum quintum.* 206
Elementorum compago. 135
Ennodius explicatus. 227. *teſtatur ipſe Ticinenſes Metropolitæ Mediolanenſi ſubiectos.* Ibid.
Epheſinæ Dianæ templum. 10
Epheſus Ciuitas, vbi Iohannes occubuit. 5
S. Epiphanius Tic. Ep. à Mediolanenſi Metropolitâ conſecratur. 227
Epithalamium Iuliano quandò cecinerit Paulinus. 154
Eraſmi dicacitas repulſa. 190
Ethniciſmus quandò & quomodo confoſſus. 4
Εὐχὴ quid propriè ſit. 193
Euentius Ep. Ticin. inter Suffraganeos Archiepiſcopi Mediolanenſis numeratus. 226
Eunomia virgo, Turcij, ac Auitæ filia.

filia. 145
Euſebius Mediol. Archiepiſ. Synodum cogit. 226
Euſebius Ticin. Ep. 245. *Crucem deponit coram Archiep. Med.* 246

F.

FAces ex pinu in nuptijs. 85
Faſces Conſularium. 162
Felix Nolanus Antiſtitis nomine dignus. 44. *Epiſcopatum renuit.* 77. *Dæmonum fugator.* 22. *Miraculis clarus.* 50. & 169. *Quo tempore obierit.* 170. *Aliorum ſententia infirmatur.* Ib. *Martyrio vitam non conſummauit. Sine ſanguine martyr.* 77. *Quanta eius veneratio, & ad eum populi frequentia.* 63. *Ei Feſtus dies dicatus.* 77. *Eius ſepulcrum apertum.* 98
Feſti dies in honorem Sanctorum antiquitùs inſtituti. 76. *eorum translatio vnde prodierit.* 198
Fideles Chriſtiani apud Martyres ſepulti. 187
Fœminarum Græca nomina in vm deſinentia. 147
Foramen, & feneſtella in tumulis Sanctorum. 99
Formæ in Aquæductibus. 108
Fratris nomen inter Epiſcopos vſurpatum. 166

G.

GAlli Cybelis Sacerdotes. 9
Gallia à quinque Prouincijs diſtincta. 158
Ganymedes raptus à Ioue. 121
Gentiles an ſolo naturæ lumine bonum aliquod patrare dicantur. 82. *Eorum Sacra à quibus Impp. vetita.* 22
SS. Geruaſij ac Protaſij inuentio quo anno contigerit. V. Diſſ. XV. 171. *Ex Auguſtini Baptiſmo, & ex S. Ambroſio verus annus probatur. Ib. Eorum corpora ab Ambroſio reperta.* 26. 28
Gothi in Italiá victi anno 405. 72
Græci Ægyptiorum ritibus infecti. 20. *Eorum inſania circa articulum de Spiritu Sancto.* 16
Groſulanus, ſeu Chryſolaus Epiſc. Sauon. 244
Gualuaneus Flamma quis fuerit, & quandò ſcripſerit. 223. *eius diligentia deſideratur.* 231

H.

HÆreticorum calumniæ refelluntur. 178. 184. 185
Haruſpicina deridetur. 116
Haruſpicum veſtes, & furor. 19
Hebromagum Paulini patria. 90
Hedera caput redimitum in Dionyſiacis. 23
Heribertus Arch. Med. 245. *Ticinenſem Ep. caſtigat.* 246
Hierapolis vrbs Phrygiæ, vbi Philippus ſepultus. 7
Hieroſolyma quo anno à Tito capta. 213
Honorarius Conſulatus qualis eſſet. 159
Honorij Auguſti ætas. 73
Horus filius Iſidis. 13
Humanâ victimâ Iupiter Latiaris cultus. 128
Hyginus ſcriptor, Auguſti libertus. 131
Hymnus in S. Ambr. malè Paulino adſcriptus. 140

I.

IA Iuliani vxor. 154
Ianiculum à Iano conditum. 123
Ianus ante Iouem in Sacris inuocatus. 122. *Quis iſte fuerit. Ibid., & ſeq. Duplici figurâ pictus* 123. *Ianus geminus. Ibid.*
Idololatriæ intemperantia. 19
Ignis à nonnullis inter Elem. non recen-

cenſetur. 205
Immunitas Eccleſiarum. 34
Et quo ſpatio comprehenderetur Imperatorum conceſs. 34
Inuicti agnomen Soli tributum. 129
In triclinio Coa, in cubiculo nola, vetus ænigma declaratum. 18
Ioannes Apoſtolus oraculo Dianæ Epheſinæ ſilentium impoſuit. 11. Epheſi occubuit. 5
Io. VIII. Papa Ticinenſi Cathedræ addictus. 242
Ioſeph Patriarcha ab Ægyptiorum ſuperſtit: Serapidem conuerſus. 11.
Iſiaca Sacra. 130
Iſidis, & Serapidis ſacerdotes, & cultores cum capitibus raſis. 13
Iſidorus Auctor quarumdam Decretalium. 241
Italia ſtrictè intellecta Med. Metropolitæ ſuberat. 223
Iudaicus populus ingratus Deo. 115
Iudas, Thaddaeus, & Lebbaeus Synonyma. 7
Iulianus Memoris Epiſcopi filius. 154. Iam ſibi Matrimonio iungit. Ibid. Quo tempore id actum. Ib. & ſeq.
Iuno Iouis ſoror, & coniux. 112
Iupiter Ammon proprium apud Ægyptios numen. 8. Cretâ pulſus, Tito Euangelium prædicante. 8. Cretæ Rex, ibique ſepultus, & ab Ethnicis inter Deos relatus. 9
Iniuſtè ita vocatus. 122. Iupiter optime apud antiquos formula. Ib. Iouis in recto caſu. 125
In Aquilam conuerſus Ganymedē rapit. 121. Eius turpia facta. Ib. Proſerpinam filiam ſtuprat. 120. Eius varia adulteria & libido. Ibid. Eius Metamorphoſes. Ib.
Iuſtina Imperatrix liuore plena in Ambroſium, viſo miraculo corporum Geruaſij, & Protaſij ab Ambroſio repertorum furorem coercuit. 26. 175

L.

Labara cum monogrammate nominis Chriſti. 42. 43
Labari forma. 43
Lactantius cautè legendus. 184. Defenditur. 183
Lampades etiam Paulini temporibus ad latus altaris ſuſpendebantur. 33. Eædem in ſacris ædibus interdiù accenſæ. 181
Landulphus Auctor Chronici Datiani. 236. Eius fides perpenditur. 238. Schiſmaticus fuit. 239. & Orationem Benedicto Arch. affinxit. 240
Latiaris Iupiter, eiuſque ſacra horrenda. 128
Latium vnde dictum. 127
Lebbaeus, Thaddaeus, & Iudas Synonyma. 7
Lucas apud Patras Achaiæ tumulatus. 8. Quandò, & à quo Conſtantinoplim translatus. 27
Lucernæ in templis Chriſt. 179. 181
Lucernarum, quæ Italicè Lumiere, Mediolani mirâ arte elaborantur, deſcriptio. 33
Luci antiquitùs ſuperſtitione memorabiles. 20
Ludus puerorum teſtis vetuſtatis. 124

M.

Macedi ſcriptoris Cl. ſententia de Albino. 147
Manlia Dædalia vbi ſepulta. 188
Marcus Alexandriæ paſtor ibidem martyrium, & ſepulcrum ſortitus. 8
Martinus Epiſcopus quo tempore in Galliâ floruerit, & obierit. 17

Martyr Gracè, latinè teſtis. 76
Martyria SS. ſedulò à Chriſtianis adnotata. 196
Martyrologia quare inſtituta. 197.
Martyrologij Romani fides. 203
Martyres noſtris cereis non indigent. 183
Martyres Vticæ paſſi. 17
Martyris nomen in primitiuâ Eccleſiâ etiam ijs tribuebatur, qui tormentis ſuperſtites erant. 24
Martyrum coetus innumeri vel in vnâ Vrbe. 73. *Eorum corpora, vel oſſa altaribus quibuſque olim ſubeſſe ſolebant.* 30. *Illorum Natales quid ſint.* 195
Materia ſubtilis Carteſij. 209
Matthæi euangelizatio, & obitus. 6. *Eius oſſa in ciuitatem Naddauerem Parthiæ translata.* 6. *Euangelium hebraica lingua conſcripſit.* Ib.
Maximus Tyrannus quandò ſublatus è viuis. 173
Medici medicinæ contrarij. 60
Medicinæ, & medicamentorum incertitudo,& contrà illam, & hac querimoniæ. 60
Medicus, & medicina vera quæ ſit. 60
Mediolanum Vrbs præclariſſima. 227
Mediolanenſis Vrbis magnificentia. 234.
Mediolanenſis Metropolis amplitudo qualis olim fuerit. 223. *Eius Suffraganei.* 225. *Ticinenſem Ep. ſubiectum habuit. Vide Append.*
S. Melania Albinæ filia, Melaniæ ſenioris neptis. 152. *Eius res geſtæ. Ib. quandò eius pater obierit. Ibid. Melanium quoque appellata.* 153
Melania ſenior fœmina illuſtris. 146. 152.
MemorEpiſcopus Iuliani Pater. 154. *intereſt nuptijs eiuſd. ac Iæ.* 155. *fortaſſis Æmilij Beneu. Epiſ. frater fuit.* Ibid.
Metropolis Mediolanenſis olim ampliſſima. 223. *Eius Suffrag.* 225
Metropolitæ omnes Suffraganeos ſuos olim conſecrabant. 226. *ad Synodum conuocare, & cogere poſſunt.* Ibid.
Michael Pizolpaſſus quandò ſcripſerit. 231
Milium pro milliari, ſeu mille paſſibus. 109
Mithra ſolis nomen. 129. *Mithræ Sacra.* ibid.
S. Monica quo anno obierit. 173
Monogramma compendium nominis Chriſti in Labaris antiquis,& quâ formâ. 42. & 45
Mundus cur ita dictus. 137

N.

Naddauer ciuitas in Parthiâ ſita, quò Matthæi oſſa tranſlata. 6
Natales Martyrum quid ſint. 78. 163. 196. *Natales Epiſcoporum.* 165.
Natales Paulini quot ſint,& quandò ſcripti. in Proleg.
Natiuitatis ſuæ diei maledicere an liceat. 79
Nauia quid ſint. 124
Nemora apud antiquos ſuperſtitionibus memorabilia. 20
Nola proſtibulum Veneris habuit. 18. *Sacris S. Felicis ædibus aquam negat.* 109. *Abellæ eſt mater.* 111. *dulciter à Paulino arguitur. Ibid.*
Nolana baſilica quibus Reliquijs ſanctorum decorata. 29
Nolana laſciuia in prouerbium tranſlata. 18
Nuceria in Vmbria. 38

Nu-

Nuceria in Picentibus, quæ eſt Paganorum. 38
Nummi in honorem Iani. 123. roſtrum & caput inſculptum habebant. 124

O.

Oblationes votiuæ in pauperum ſubſidium antiquitùs conferebantur. 62. Earum apud Chriſtianos diuerſitas. 190. in honorem Sanctorum factæ. 191
Oleum ad ſepulcra Sanctorum ferri ſolitum miraculis illuſtre. 100
Omega tribus virgis compoſitum Triadis myſterium ſignat. 45
Oraculum Delphicum. 10
Orgia à Phrygibus cur culta. 9. Per Vindemiatores Paulini tempore celebrata deteſtabili abuſu. 18
Ornamenta in Chriſtianorum templis. 178
Oſci, quaſi obſcæni olim dicti. 18
Oſcula quando apud antiquos Chriſtianos vſitata in ianuis Eccleſiarum. 56
Oſiris filius, non coniux Iſidis. 13
Oſtiariatus primus Clericatus gradus tempore Paulini. 34
Illorum antiquum miniſterium in Eccleſijs noctu cubandi, & vigilias ducendi. 35

P.

Pagani dementes. 115. Eorum ſuperſtitiones. Vide Poema vlt. Nomen vnde hauſtum. 138. Eorum cultus à Conſtantino, & alijs pijs Impp. vetiti. 22
Paganorum Nuceria. 38
Pallium quandò conferri cœpit. 242.
Paradiſi gloria iuſtis promiſſa. 139
Parthia locus martyrij Matthæi. 6
Patræ, vrbs Achaiæ, vbi Andreas martyrio coronatus. 5
Patris nomen Epiſcopis cõmune. 166
S. Paulinus vir eloquentiſſimus. In Proleg. Quot Natales cecinerit. Ibid. Eius vita. Ibid. A Sacchino luculenter ſcripta. 157. Nobiliſſimus fuit. Ibid. Natus in Galliâ. 88. & 158. Senatorum albo adſcriptus, Conſulatum etiam geſſit, & quidem Ordinarium. 159. Anno Ch. 378. id muneris ei contigit. 161. Campaniæ Conſularis fuit. 160. Non fuit Præf. Vrbi. 161. Eius peregrinatio. 163. Nuptias cum Theraſiâ contraxit. 92. & 163. Fratrem habuit. ibid. Nolam ſe recepit. 164. Quo tempore Epiſcopatum ſuſceperit. 165. Ædificia per eum Nolæ excitata. 167. Aquæductum, Baſilicas plures condidit. 168. In Paganos ſcribit, & quandò. 113. Non eſt Auctor Hymni in S. Ambr. 140 Eius opera deperdita. 212. cenſura in illum lepida. 214
Paulus Apoſtolus oratione ſuâ Pythonis expulſor. 11
Pauperes ex reditibus Eccleſiarum nutriri ſolebant. 55
Paupertas ſcala Cæli. 95
Perſis in Parthiâ collocatur. 7
Perſonæ inſignes vtriuſque ſexus, quibus Paulinus carmen Natalis Decimitertij recitauit. 68
Perſonæ triplicis generis in veteribus Eccleſijs precantes. Senes, inopes, & canæ matres. 55
Petrus, & Paulus Apoſtoli cur à Deo Romæ deſtinati. 4
Phallus, & Virilia penes antiquos Synonyma. 20
Pharocanthara quid ſint. 36
Philippus Apoſtolus Hierapoli Phrygiæ ſepultus. 7
Philiſtæi Dagonis cultores. 20

Philoſophi Gentiles vaniloqui. 116
Phyſici Philoſophi. 118
Pinea tæda in nuptijs vſitata apud antiquos. 85
Pinianus Paulini filius ſpiritualis. 85
Idem vir illuſtris quo tempore vixerit. 80. 81. E Valeriâ gente prodijt. 149. Seueri filius. Ibid. Non fuit Præf. Vrbi. 150. Quo tempore Melaniæ nupſerit. Ibid. Quot annis matrimonio operam dederit. 151. Eius pietas, & nomen germanum. Ibid.
Pini morbus Thaeda. 85
Pinus arbor ſemper vireſcens. 84. 85. In tutelâ Cybeles. 10
Plato incertam doctrinam vendidit. 117. Eius liber de animâ nil certi continet. Ibid.
Platonici Philoſophi. 117
Pœniteo apud veteres Latinos. 111
S. Polycarpi Martyrium. 196
S. Poſſidius Calamenſis Ep. 152. quo tempore in Italiam nauigarit. ib. & 154.
Prætura Vrbana biennio Conſulatum præcedebat. 162
S. Priſcus Nuceriæ Paganorum tutelaris, & martyr. 38
Proſerpina à Ioue patre corrupta. 120
Προσευχὴ quid propriè ſit. 193
Prouinciæ Conſulares, ac Proconſulares. 160
SS. Protaſij, ac Geruaſij corpora à S. Ambroſio reperta. 26. 171. quo anno id actum. Vide Diſſ. XV. ib.
Pueri vocabulum quomodo debeat intelligi in ſenſu Paulini. 80
Puerorum, ac puellarum Virginitatem Deo dicare mos antiquus Chriſtianorum. 86
Puluis è Sanctorum tumulis aſportatus. 101
Pythium in ſe habere quid ſignificaret. 11
Pythius Apollo clarus oraculo. 11
Pythus pro Delphis, vel Delphorum incolis. 10

Q.

Quadrageſimæ tempus Sanctorum Feſta olim non patiebatur. 198
Querimoniæ in medicos. 60
Quinque Prouinciæ olim à Galliâ diſtinctæ. 158

R.

Radagaiſus Gothorum Rex Italiam terruit anno 405. 72. Cum ſuo exercitu profligatus. 68. 72. & 73.
Rectores prouinciarum Populi Romani quâ poteſtate pollerent. 91
Reliquiæ Sanctorum à Deo deſtinatæ pro cuſtodiâ Prouinciarum, & Ciuitatum. 3. In lecticis olim collocabantur, quandò transferebantur. 28. Quandò transferri cœperint. 199. Propugnacula, & turres Regnorum. 27
Remigij Rhemenſis Epiſcopi ſanctitatis, continentiæ, ac ætatis teſtimonium. 86
Riculphus Moguntinus Epiſcopus. 141.
Roma quo tempore ab Alarico euerſa. 4
Romani Imperij quæ olim latitudo. 136
Romani Pontifices Beati quo die colantur. 196
Romani primam barbam quo tempore tonderent. 160
Rufius Voluſianus quis fuerit. 145

S.

Sacerdotes Iſidis, & Serapidis raſa capita geſtabant. 13

Sacerdotis nomen ſolis Epiſcopis olim tribuebatur. 102
Sacerdotium ſemper pudicum. 93
Sacra Ethnicorum riſum mouent. 127. *Quam ſint turpia.* 133
Sancti plerumque ijs diebus, quibus obiere mortem, culti. 196. *& ſequ. Aliquorum ſententia refellitur. V. Diſſ. XIX. pag.* 195. *Eorum antiqua veneratio.* 25
Saturni fabuloſa narratio. 127. *tempus ſignificat. Ibid. Latio nomen dedit.* 128
S. Satyrus ab Ambroſio Fratre ſepultus. 188
Scyphus vas ſacrum, ad quem vſum. 36.
Semiuiri Cybeles Sacerdotes. 126
Sepulcra Chriſtianorum in ædibus ſacris ſita. Vide Diſſ. 17. *pag.* 185
Serapis in locum Ioſephi Patriarchæ ab Ægyptiorum ſuperſtitione conuerſus. 11. *Eius templum quandò dirutum.* 12. *Laceratus à Paganis.* 131. *Eius Metamorphoſes.* Ibid.
Seueri plures. 149. *ex eis quidam Conſulatu auctus. Ibid. quidam Præf. Vrbis fuit.* 151
Sigma, & eius figura. 42
Simulacra falſorum numinum malè ab ipſis Paganis habita. 116
Siſtra in Iſiacis Sacris. 130
S. Sixtus Papa quo die obierit. 201
Sol Inuictus Mithra. 129
Soli veſtes ſuſpenſæ. 132
Spelæa, in quibus Mithræ Sacra peragebantur. 129
Sphæra ignis commentitia. 205
Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque procedere probatur. 15
Stercora in ſacris Paganorum. 133
Subſtantia atherea Fluddi. 209
Suffraganei Eccl. Mediol. qui fuerint. 243
Sumen quid ſit. 62
Syagrij familia Conſularis. 143. 150
Synodus Aquileienſis quandò celebrata. 226. *Mediolanenſis ſub Euſebio. Ibid. ſub Manſueto.* 228. *ſub Arderico ficta.* 243

T.

Tabellæ votiuæ in ſacris ædibus. 194
Tau litera Crucis figura. 211
Templi Epheſini magnificentia. 10
Templorum ornamenta apud Chriſtianos. 178. *Varia, ac opulenta.* 179. *& ſeq.*
Thaddæi ſepulcrum varijs opinionibus controuerſum. 7
Thaddaeus, Lebbaeus, & Iudas Synonyma. 7
Theodorus Arch. Med. non eſt Auctor libri cuiuſdam. 239
Theologia Ethnicorum malè per allegorias explicata. 126
Theraſia S. Paulini coniux. 90. 148. *Eius patria. Ibid. caſtitatis impulſu in tori ſeparationem conſentit.* 93. *Eius pietas mirabilis.* 148.
Thomas in India martyrio coronatus. 7. *eius oſſa Edeſſam tranſlata.* Ibid.
Ticinenſis Epiſcopus conſecratus à S. Ambroſio. 225. *ad Synodum Mediolanenſem conuenit.* 226. *quandò Pallium conſequutus.* 242
Ticinenſis Eccl. cur à Mediol. Metropoli auulſa. 246. 247 *Illam vni Romano Pontifici ſubiectam ſemper fuiſſe qui credant.* 222. *Mediolanenſi Metropolitæ paruit.* 224. *Probatur ex Prouinciali Romano. Ibid. ex conſecrationibus, & Synodis. Vide diſceptationem XXI.*